ORATIONVM,

IN RIGENSI ATHENÆO habitarum,

PARS PRIMA,

cum

MEMORIA SAMSONIANA, & repræsentatione materiarum idonea:

Curante

M. JOH. BREVERO,

Eloq. Prof.

BIBL:
ACADEM:
DORPATENS.

Sum ex libris
Ant. Balmerincq.

Francofurti ad Mœnum,
Sumptibus PETRI HAUBOLDII,
ANNO M.DC.LV.

ILLVSTRISSIMO HEROI

MAGNO GABRIELI DE LA GARDIE

COMITI IN LÖCKÖÖ ET ARENSBVRG LIBERO BARONI IN ECKHOLM DYNASTÆ IN HAPSAL MAGNUSHOFF HEINDORF

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS ET REGNORVM SVECIÆ SENATORI ET THESAVRARIO

MAGNO HUJUS SECULI DELICIO MAJORI ORNAMENTO

QVI SUMMAM NOMINIS GARDÆI GLORIAM SUA IPSIUS GEMINA TAM SPLENDIDE ADAUGET PROMOVET EXTENDIT UT IN EO MAGNI PARVI CIVES PEREGRINI OMNIA ILLUSTRIA HEROICAQVE MAGIS TAMEN AMARI QVAM TIMERI DIGNA COLANT VENERENTUR PRÆDICENT,

PRÆSENTEM HVNC SVBIECTISSIMI ANIMI TESTEM CVLTVS OBSIDEM HVMILITER SISTERE DEBVI VOLVI

JOHANNES BREVERUS.

OMnino enim debui ac volui, HEROS ILLUSTRISSIME, devotus dudum cultor Tuæ Gratiæ, in qua concelebranda omnes laborant, onmes deficiunt. Quid mirum? laudes omnium excedit, plurimorum vota, ut non verè modò sit Divinæ radius; sed talis quoque agnoscatur. Nemo eam frustra implorat; quos invitat, juvat, neque minus efficax præsidium bonorum est, quam illicium. Imò certat cum ipsorum votis: sequi ea velit, an præcedere? præcedit sæpius, ut multi fructum ejus priùs sentiant, quam causam. Mihi quidem hoc, quatuor abhinc, & quod excedit, annis contigit, cum vix nomen Tibi meum, GENEROSISSIME DOMINE, innotescerct. O si aliâ occasione! maluissent mecum omnes, quorum lacrumas inopinatus CHRISTINEI FLOSCULI, Flosculi Tui desideratissimi, casus hîc ciebat. Vix aliquid memoriæ illius consecrabam, & illustri statim pignore Tuã mihi firmabas Gratiam. Quid dicerem, nisi non habere me,

quod dicerem? Ut oculi ad lucem magnam connivent & clauduntur : ita mihi pectus magnâ ejusmodi benignitate perfusum & propemodum confusum. Ne subire quidem vultum Tuum ipse audebam, vultum graviter amabilem, quem tamen , velut sacram Gratiarum sedem, omnes intueri, venerarï, animo imprimere optabant. Scriptô igitur nunc tandem facio, &, quo nihil minus, nihil majus possum , simul Tibi, COMES EXCELLENTISSIME, humillimas ago gratias. Nec enim ad virtutum maximarum præconia me verterim: aut su-

per-

pergressus illa jam es, aut consecutus à felicioribus ingeniis. Licet proprium illarum theatrum Tibi sit Conscientia; hîc sedem suam sine fuco, sine labe obtinent. nihil prope est, quod expectes ab aliis: ipse Tibi te totum præstas, & Patriæ: nec Te solum ; sed invictos quoque & immortales majores, Patrem præsertim & Avum, Heroës mirum quantos! Horum enim Te non minùs sobolem, quam virtutum æternarum heredem, tot Regna populique suspiciunt, etiam è longinquo. Ego propius, cum tota hac Livoniæ Metropoli, nutrice mea & Musarum be-

 nignis-

nignisſima: Et in hac ipſa edita ſunt hæc ſpecimina Oratoria, quæ, ut quam maximè ornarem, SPLENDIDISSIMO TUO NOMINE ornare auſus ſum. Quantumcunque enim vilia & exigua, magna tamen inde erunt, magna Juvenum, qui antehac dederunt illa, commendatio. Sic enim mecum immortalis Gloriæ Tuæ cultui deduntur, quæ, ut ſidus lucidiſſimũ, cõmunicat ſplendorem, ſi quis applicat ſe illi, aut applicatus. Patiaris modò iſtud in præſenti fieri, GLORIOSISSIME HEROS, neque noſtram ſive operam, ſive ſtudium omninò ſpernas. Quin gratioſè po-

potiùs admittas teſtem hunc animi ſubjectiſſimi, qui ſiſtitur, & ſiſtentem. Id quod quidem pluribus contenderem, ſi videretur, TE exuere naturam, h. e. non ampliùs GARDEUM COMITEM, comem illum atque magnum, ſeculi delicium & ornamentũ, eſſe poſſe. DEUM ſupplex veneror, ut Te, GRATIOSISSIME DOMINE, inter alia Regnorum & populorum lumina columinaq; omnium felicitati & ſaluti, ſemper ſalvum & felicem benigniſſimè conſervet. RIGÆ LIVONUM, Menſe Nov. anno 1654.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

PEriclitantur ergo lucem Oratoria hæc exercitia, quæ Genere & Geniô præstantes Iuvenes, maximam partem RIGENSES, exactis aliquot annis, publicè hic dederunt. Multi jam ex istis, in officiis Ecclesiasticis Politicisq; constituti, præmia possident industriæ; alii exspectant. Plura quidem in lucem edi, cum his, potuissent, imò debuissent, quia multa Sacra; sed meâ, an alienâ negligentiâ: culpâ, an casu, perierunt, aut sunt

sunt in absentium manibus. Quæ tamen adhuc reliqua Programmata, ad asserendam industriæ adhibitæ memoriam, priori huic parti subjunxi. Cæterum, ut dicam aliquid de præsentibus, materias suppeditavi Eloquentiæ amasiis plerunq; tales, quæ ad meliorem morum cultum faciunt. Malè, sine hoc, Eloquentia & docetur, & discitur. Sermonis formam addiderunt ipsi, ne mireris, quod tam variam in variis; imò in iisdem quoque Orationibus, offendas. Sæpe animi profectuumq; sæpius autorum, quos adhibuerunt, quorum verba usurpârunt, vultum referunt. Vnus

idem-

idemq; hîc est alius, qui ibi alius. Malignitati proximum fuerit, exactè pulcra omnia ab hac ætate poscere, cui talia tentâsse, aut voluisse saltem, ad laudem sufficit. Ipsa olim repetat maturior conatûs juveniles, & profectûs suos, ex eorum rudimentis, interpretetur. Levia hic multa & tenuia occurrunt, fateor; sed ut avena aut lolium in meliori fruge. Quid mirum, in hoc numero? Facilis tamen emendatio: non lege; sed elige desinere & incipere, ubi libet, licet. Mea verò addidi Progrãmata, non uno certè modo concinnata; sed ut animus, occasio, materia aut tempus tulit, & suasu quidem Amicorum addidi, ordine, quo scripta sunt, vix semel mutatô. Nec sine qualiquali Indice exire passus sum Prolusiones istas, ut Juventuti nostræ consulerem, aut alijs, si fuerint, Lectoribus. Summã quidem earum ordine exhibet; si paginarum numeri addantur, non pœnitendũ fructum Tibi promitto. Obvia minimum de his vel illis rebus disserendi occasio exinde dabitur. Sed unum addo: mendorum, quæ occurrunt, culpam nullus præstabo. Quî possum? absum, & nimis procul absum Francofurto & Te Benevole Lector, valere favere jubeo.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

ELOQUENTIA IN TACENDO.

HVjus enim, in præsenti, laudes dicimus, disciplinæ usu hodiernò rarissimæ: Ipsum prope nomen cum ea perdidimus, in qua curatè tamen prisci versabantur. Fortè nunc superfluum censemus discere, quod sciunt pecudes, ut ita neque loqui sciamus, ut oportet, nec tacere. Cur enim loqui nescimus? quia tacere non discimus: Cur nescimus tacere? quia loqui semper cupimus. Vtrinque pigri: (parum hoc,) utrinq; miseri, qui importunè loqui malumus, quàm opportunè tacere. Fabricandô quidem fabri fiunt, cantandô cantores; sed hoc nihil ad nostram Andromachen. RECTE loqui non est artis simplicis: non tantùm illud non callemus; sed, ne discamus, contrarium sequimur. Sine ordine, sine lege, sine modo effutimus omnia. Quis possit hoc, nisi tacendô, dediscere, & observandô eos, qui loqui possunt? Ingredimini mecum auditorium Pythagoræ: quid ille ibi tam solicitè tacentibus? PRIMUM sapiendi rudimentum explicat, & in tacendo situm ostendit. In pisces ergo trans-

 formabit

formabit homines? ne, quæso, hanc de eo mentem induite, cujus singula sententiarum fragmenta gemmas habent. In tacendo profitetur eloquentiam: non omnem proloquendi facultatem adimit: insulsum modò linguæ impetum frangit. TACERE, *donec, quid loquatur, didicerit, magnum hîc & primum est discentis studium, sed, post silentium, loquentem audiri à tacentibus, maius præmium: per omnem verò vitam &, cum dictô opus, loqui impigrè, &, cum tacitô, rectè tacere, maximum emolumentum, divinum donum. Certè, non tàm homines, quàm Deos hic Magistros asserunt. Numa ex Camœnis veneratus semper est Tacitam: Sigalionem Græci: Harpocratem Ægyptij, infantis formâ, os dextrâ signantem, quoniam tacendô ætas hac transigitur: & quid eâ loqueremur, qua nescimus omnia? Haud procul à Minervæ templo Angeronam Roma coluit: qui huic non litâsset, non adibat aram Prudentiæ; neq; audebat.* QUIS *enim prudens sine prævio silentio, quem scire plura oportet, quàm loqui, & nescire sæpius ea velle, quæ non ignorat? Turpe illi, vagabundam linguam volvere: duas ea venas, alteram ad cor, ad cerebrum alteram, porrigat, ut non nisi bene consulta propalet. Profectò, SI quid uspiam peccatum est silentiô, loquendô potest corrigi: non item, si quid est ineptè proditum. Nulla oratio dicta tam utilis fuit, tàm hominibus commoda, quàm multæ pressæ silentiô. Quod adhuc tacitum, dici potest: non, quod dictum, taceri. Quantô sæpe quis redimeret verbulum, quod dentium sepia evasit? sed alatum est, Poëtâ judice: volat irrevocabile,*

certa malorum vel occasio, vel causa. O cœcas hominum mentes, qui tam cautè sibi ab opum cavent furibus! omnes iis obserant aditûs: omnes vias: consiliorum verò fures ipsi vocant garruli. Quasi minùs perirent, aut seriùs inopiâ consilij, quàm rerum. Imò, quô illius fides sanctior: eò arctior custodia: PRÆTER *taciturnitatem vix quicquam nobis nostra servat integra. Quid sibi volunt anseres, qui, Taurum montem transmissuri, ore tenent lapidem? premendæ vocis tenent studio: tenent menent metu aquilarum. Quam feliciter silendô montem transvolant! quam velociter rapaces dentes fallunt! quam sagaciter nos omnes instruunt! Nimirum multæ quoq; nos petunt insidiæ: multa in via vitæ mala obsident; sed evadenda sunt similiter. Convitiis nonnunquam petimur? silere præstat, quàm referre paria.* SATIS *vindicat injurias, qui, more feræ nobilis, latratûs canum audit tacitus: ultionem petit acerbissimam, qui maledicentem dignum non æstimat, ex quo petatur ultio. Sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat frangitur, non frangit: sic contumeliam triumfat taciturnitas. Hostibus hinc inde cingimur? & crebrior fortassis est cum his congressio, quàm cum amicis, hoc est, iis, qui verè sunt, quod volunt videri. Vbi est phœnix iste, qui hostis nulli? cui hostes nulli? ast,* NON *jactare minas in hostes: nihil inter eos damnare: damnanda silere; silendô observare omnia, aureæ sunt ad hanc rem regulæ. Negligis illas? salutem tuam negligis, quam vix inter non inimicos satis tuearis.* BENE *fert fortunam, qui de ea silet, vox est magni*

Lipſii; ſed de aſpera: mihi de utraq; nihil viſum verius. Cum ad votum ea Tibi favet præ aliis, quid avaram famæ linguam explicas? tace: in ſinu gaude. Nonne invidiam roſpicis? illam in tua dicta atq; facta vigilem: illam felicitatis comitem: illam meliorum adverſariam. Nihil eâ periculoſius: multos in teſtatim ACUET, INSITA *mortalibus naturâ, (loquar cum Tacito,) recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere, modumq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vidêre. Quod ſi contra te inſurgat aſpera, tace itidem: non niſi coactus querere.* QUID *effers temere triſtia tua? moleſtus amicis, ridiculus hoſtibus, tibi noxius. Optimè ferre illa vis? abſconde, fruſtra multum ponis in aliorum miſericordia. citò areſcunt lacrumæ, præſertim de alienis malis.* UT VIX *poteſt non eſſe querula calamitas: ita vix poteſt non eſſe ſuperba felicitas. Subinde ergo commentare cum animo illud Caßianum: Cui bono? & minimum loqueris cum aliis, dum vel neceſſitas imperat, vel rei exactè notæ utilitas; plurima tamen ſemper tecum. Nec aliter conſtat peritia artis huius, quæ tacendi dicitur, nullis ſectis varia, ſemper ſibi integra, nullis nos ligans legibus, Qui loqui docent alios, aut potiùs dicere, quod & quanta præcepta ingerunt? Invenire ſcitè jubent: aptè diſponere. Stylum modò laudant: modò vituperant, Huic placet tumor Aſiaticus: illi Spartana brevitas. Ibi hiat oratio: hic numerus deficit: iſthîc pigmenta deſunt, & elegantia in diſcrimen mittitur. Quid autem hæc noſtra Schola tradit? ſcribam, ut videatis & ſequamini*

quamini: nam efferre neq; vos poteſtis, neq; ego. Tale enim eſſe debet, quod ſilentium indicet. Fingite vobis Harpocratem, ſilentij magiſtrum: ecce levat digitum & docet: St, ſt! Habetis hîc præcepta eius, quæ dixi, omnia. Agitè verò, numerate literas. Loqui diſcentem plures viginti oportet diſcere; qui tacere vult, duabus monetur: imò qui jam tacet, nullâ indiget. Non errat in pronunciando: non labitur memoriâ: nullum metuit orationis vitium, niſi cum loquitur, quod tacere præſtabat. Non excedit in laudando, nec auget vituperia: neminem accuſat: abſolvit neminem: nihil ſuadet aut diſſuadet aliis; ſæpe tamen perſuadet melius, quam ſi pomposè oraret. Miſerant Legatos duos Peruſini ad Rom. Pontificem, quem lecto morbi vis affixerat: alter eorum multas dicendi phaleras expediit; ſed moleſtus fuit adeò, ut audientis oculi meram indignationem loquerentur. Quid hîc legatus collega? mutanda vela vidit: mutandum genus Eloquentiæ. Tanquam ſeorſim quid afferret: Sanctiſſime Pater, inquit, mandatum nobis præterea eſt, ut, niſi brevi votis potiamur, non breviorem & ego orationem promam. His tacuit, riſuq; excitatô ampliùs quam alter potuit: indultum protinus, quod petebatur. Ita, qui locutus curiosè eſt, nauſeam; qui tacuit prudenter, gratiam retulit. Sic arbores, quæ frondibus luxuriant, non rarò carent frugibus; quà curſu flumen tacitô delabitur, latet profunditas. FELICIOR *ſæpè in tacendo, qnàm dicendo Eloquentia. Idcircò, quotquot ad prudentiæ Scholam tenditis, nolite præterire Scholam Pythagoræ. Formidatis ejus*

quinquennium? ite ad Isocratem, Doctorem Græciæ, qui & prudenter tacere docet, & bene loqui. Prius tamen audite de hoc argumento differentem Iuvenem Eruditissimum, DAVIDEM CAHLEN, *qui eleganter illud vobis d. XIV. Mensis huius, horis usitatis, exhibebit. Vos Patres Patriæ, Vos Boni publici cuiuscunque ordinis pararij, ne denegare, precor, nostris votis Vestram tunc præsentiam. Parva erit de magnis rebus Oratio, ut vel eô nomine occupatis grata sit, apud quos omnia cogenda in compendium. Magna verò sunt, quæ sunt utilia, quæ civili vitæ necessaria: alia, quæ artem jactant, usum non præbent, parva omnia. Favete! Ex Museo meo, d. VIII. Augusti, Anno 1645.*

CICERO l. XIII. ad Attic. epist. 40.

Hoc locô ego sumsi quippiam de tua ELOQUENTIA: *non* TACVI.

ORATIO
IN TACENDO.

CUm in Republica Athenienſi, Legatis Ptolomæi Regis convivium præberetur, invitati ſunt præcipuè Philoſophi, ut, cognitis eorum actionibus, haberent, quæ de mirabili Græcorum ſapientia referre domi poſſent. Unus eorum Zeno erat, qui, cum reliqui Philoſophi de variis ultro citroque diſſertarent tacitus aſſedit, & interrogantibus Legatis; de te verò quid dicemus Regi noſtro? reſpondit: aliud nihil, quàm quod tacere ſciam. Prudens omninò

omninò tam eximii Philoſophi reſponſum, qui ſapientiam ſuam, non quæſitis Eloquentiæ deliciis, non ſubtili diſcertatione; ſed decorô ſilentiô probare voluit. Haut dubiè ex Pythagoræ Gymnaſio prodierat, qui totum quinquennium, in docendo, ſilentio, conſumebat, PRIMA putans rudimenta ſapientiæ, rectè facere poſſe. Quaſi loqui non poſſit, niſi qui tacendo audiſſet priùs, quæ loqueretur: Quaſi nihil ſit facilius, quàm multa blaterare; ſed magnæ artis, opportunè ſilere. Sic verò à Sophiſtis recedebat maximè, qui loquaculos reddebant ſuos, non Sapientes, & complebant pulpita clamoribus; animos ſapientiâ vacuos linquentes. SCITU quidem utrumque judicatur neceſſarium, & cum dicto eſt opus, impigrè dicere, &, cum opus tacito eſt, libenter tacere; ſed cum poſterioris prudentiæ maior propemodum, inter homines, videatur neceſſitas, maior utilitas, natura ipſa fecit nobis indicium, quantopere ſit pro ea laborandum. Muro ſanè duplici hanc linguam noſtram, quam ex reliquis membris, maximam partem binis, dedit unicam munivit: quam ob cauſam? eam ſcilicet, ne nimis properè, ad effutiendum quippiam, porrumpat. Neque eſt ex ſanioribus, qui dubitet, prudentiam tacendi, ex eo eſſe Virtutum genere, quod regendis animi motibus eſt aptiſſimum, cuſtodiamque vitæ noſtræ adminiſtrat? Nihil juvant urbis munimenta, nihil portæ, niſi vigiles cuſtodes adſint qui & claudere

dere portas tempori, & aperire norint. NULLA quoque linguæ est utilitas, nisi quis claudendi & aperiendi oris artem sciat, id est, nisi cautam taciturnitatis prudentiam sequatur. Nemini non constat liquidissimè ; constare certè debet, verè dictum horâ veritate: QUI custodit linguam, is custodit & animam suam ; idcirco, si à natura ipsa probè communito, Illi propugnaculo, virtus, taciturnitas rectè prospexerit, tuta sunt omnia, Sed tacendum subinde esse, Auditores nemo erit fortassis, qui non admittat facilè, at verò, quomodo tacendum sit, quis est, qui definire satis audeat? Pythagoram certè aliquem, aut Zenonem ea res desiderat, ex priscis Philosophus, qui Polificum taciturnitatis Regimen formare, aut Ciceronem facundissimum ex Oratoribus, qui adhibitam à se in tacendo Eloquentiam docere nos possit. Nec enim sine causa temeritatis postulandus videor, qui nullis ad hoc ipsum sive à natura, sive ab usu præsidiis instructus, de tam difficili materia dicere ingrediar. Verùm, cum dicendi Eloquentia eloquentiam in tacendo possit ostendere eum, de hac loquentes, in illa possint exerceri, fiduciâ benignitatis illius vestræ commendatissimæ, Auditores, quâ non dedignati ante hac fuistis alios, in hunc me dicendi locum contuli, eâ, quâ par est, animi humilitate orans, rogans, ut taciturnitatis regimen nonnihil adumbrare conantem, benevolo silentio sublevare velitis, quò, cum non satis

tis concinnè, de tam prolixo argumento, dicere, felicius tamen & concinnius desinere tandem, & tacere possim.

QUEMADMODUM non potest liberalis dici, quisquis aliis promiscuè sua largitur omnia; sed prodigus : Similiter qui aliis sua omnia temerè aperit, sive bona, sive mala fuerint, non diserti; sed loquacis: imò inconsulti & iniqui titulum meretur. Magna omninò vis negotiorum nostrorum, magnumque momentum positum est, in silentio, præsertim, quod, illius beneficio, in potestate, hominis relinquatur, ut pedem sine damno referat, & se, citra existimationis jacturam, à negotio (quod minùs processurum videt) subducat. Si quis enim manifestâ declaratione se obstrinxerit, impactis quasi cuneis includitur, ut aut, eum detrimento rerum suarum, pergendum ei sit, aut desistendum, cum dedecore. Docet quidem nos Magistra rerum experientia, paucos admodum reperiri homines, qui tàm fidi arcanorum etiam suorum sint custodes, aut taciturnitatis artem ita, ut oportet, exerceant, quin nonnunquam ea improvidius de mentis custodia laxent. Illum sui immemor & occultari nescia, ira, stimulat: ambitiosa istum incitat jactantia. Quem non impellit blandus dæmon, ebrietas? ONERATI enim mero, uti cibum, vino redundante, non continent : ita nec secretum. Sed ex intima quoque in amicum benevolentia intimos animi recessûs sæpe aperimus, &, si molem

lem cogitationum non sustinemus ampliùs, quid non effundimus in alios? quid non revelamus? Neque desunt ubicunque versantibus callidi verborum aucupes, qui mirò sæpè ostentatæ fidei, & simulationis, artificio, invadunt homines & sibi aditum in cogitationum & consiliorum adyta vestigant, quibus nisi declinationem providam obvertas, nisi prudentis silentii clypeum opponas, quî, per DEUM immortalem! tutum teà periculis & immunem præstabis? Candida fuit & observatu digniſſima Philippidæ illius responsio, quam Lysimacho Regi, inter candida familiaritatis commercia interroganti: Cuius vis rerum mearum te participem faciam? dabat: Cuiuscunq; volueris, inquiens, exceptis tamen arcanis, nec scisscitandum scilicet, nec detegendum judicans, quod sive bonum, sive malum in rebus nostris ignoratum volumus. MALE enim alteri indicabitur, si, rem arcanam ex te dimittens, continere volueris in alio. Quistunc, quæso, proditor, nisi Tu ipse tui ipsius, exsistit? In alterius confugisti fidem, ut, si tibi similis sit, jure pereas: Si melior, præter rationem serveris feliciter, invento nimirum homine, qui tibi sit, quàm tu ipse, fidelior. De fortissimo salutii Principe Italicarum rerum scriptores referunt, quod secretum mentis votum aliquando aperuerit Præfecto & familiari suo, simul præsentibus, sed cum audiret, illud paulo post in mensa Mediolanensis Reguli memoratum, arces-

arcessito familiari, de mala eius fide conquestus est, cum præfectum extra omnem suspicionem esse, sciret, rogavitq; seriò: cui quis prodidisset? Cui familiaris animosè: Tu ipse, inquit, prodidisti. Ibi Princeps quasi attonitus, quâ ratione? quæsivit. Tum ille: Tu ipse, non alius hoc propalavit: nam si in animo retinuisses, nulli quicquam de eo constaret. Et hoc modo omnem temeratæ fidei suspicionem effugit, neque tamen infidelitatis præfectum arguit; sed Dominum potiùs stultitiæ. Aasi dixisset: uti nobis perperam asperuisti hoc: ita forsan & aliis. Nos cum illos, qui sint, nesciamus, & roges, te ipsum non immeritò hujus rei autorem nuncupamus. TAM studiosa scilicet consiliorum nostrorum est habenda, ratio, ut, ex præscripto taciturnitatis, secretissimè gerantur versenturque, nec per linguam garrulam, à nobis ipsis dimanent in publicum. Id quod in nostris quoque laudibus accuratissimè respiciendum est. Decant & sanè illas, si merebimur, os alienum; sordent in nostro, & in nostri vituperium vertuntur. Nec alienæ semper laudes æquis solent auribus accipi, quid dicemus de nostris? præsertim eruditionis nomine, de qua, laudantibus eandem aliis, ruborem induunt, qui verè sunt illius compotes: non autem solertiam suam aut ingenii acumen stultè jactitant. Magnos quidem Viros, singulari meritorum fiduciâ, se suaque extulisse non nunquam, sine nota, legimus; Sed rarissimos, & eos

eos quidem magnos, hoc est, de Republ. diu multumque laudabiliter meritos, & extra livoris aleam collocatos; Sed tunc temporis, cum circumvolantibus invidiæ telis oppugnarentur, ut non tam sponte suâ, quàm lacessiti, & aliorum provocati injuriis, huc descenderent; sed apud illos, apud quos, natium cordis, sibi benè conscij, candorem licuit exponere. Aliâs ne Cicero quidem, importunâ sui ostentatione, meliorum etiam odio se subduxit. Contra verò prudentissimus Agricola, memorante prudentiæ Civilis Magistro, Tacito, Virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando extra invidiam, non extra gloriam constitutus fuit. Cujus exemplum qui non sequitur, hanc utiq; respiciens, illam reportabit, sive sit felicitatis, consiliorumque ad eam relatorum, sivè laudum suarum buccinator. Sed forsitan in malis nostris liberius laxanda frena linguæ sunt? ibi forsitan loquaciores esse decet? Nihil minus! sive enim ea naturæ, non adeò, ut videtur, in nos, benevolæ, sive novercanti fortunæ, sive aliorum accepta referamus injuriis, solertissimum taciturnitatis regimen, in tegendis detegendisque illis, semper est observandum. Quid enim? Auditores: NUNQVID sedula defectuum nostrorum occultatio minoris est momenti, quàm virtutum prudens ostentatio? Cum ratione ipsa insanire videntur, qui vel corporis vitia, vel animi sui morbos, extra summæ necessitatis casum, pro palant. Cui enim bono?

bono? Quam primam in nostris actionibus cogitationem Senator Romanus voluit. Cui, inquam, bono? ut te homines deferant? Sic multi se loquaculi reos faciunt, à nemine, nisi à seipsis, accusati: ut homines vicem tuam doleant? At MAJVS malum in contemtu est, quàm spes in misericordia, ut ostentes vitia? Sed hoc ipsum ipsis etiam flagitiosis odiosum est AMANT plerique flagitiorum præmia; flagitia damnant, ut detestandi prorsus illi veniant, qui suæ turpitudinis aut malitiæ facinora, tanquam heroica facta, referre gestiunt. Nihil præfectò in vita moribus & honestate amabilius: Nihil turpius, quàm vitiorum suorum luto, impuram linguam volutare. Nihil viris gravibus accidit molestius, quàm toties de temporum iniquitate & fortuna quiritari. OPTIME ferunt miserias, qui abscondunt, ut cum Euctemone Curtiano loquar, nec ulla est tam familiaris infelicibus patria, quàm solitudo. Qui multum in aliorum misericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter inarescant lacrumæ. Nemo fideliter diligit, quem fastidit. Si similis simili gaudet; quid mirum, fortunatos semper parem quærere? Hostibus plerumque suis gratus est, qui sua narrat incommoda, & velut hebdomadales fastos in omnibus circulis ostentat. Notatus fuit Imperator Augustus, ab illius seculi prudentibus, quod impudicitiam Filiæ Juliæ, domus suæ malum, divulgando, sibi & infamiam, & orbitatem attulerit. Filiam enim unicam

unicam relegare coactus est, quam & suo silentio, & domestico imperio, existimatione salvâ, compescere potuisset. Num verò in calumniarum morsibus verbosiorem esse decet? minimè; prudentia tacendi tunc potissimum requiritur. SIVE convitiandi occasionem in nobis aliquam detractor inveniat, homines enim sumus; sive fingat, ut mendaciis subjecti sumus, silendum profectò, quantum possumus, & opponenda generosa taciturnitas, detractionum & calumniarum victrix optima. Quid enim? eum respondetur, eum excusatur, cum jure agitur, longè lateque nota spargitur infamiæ, quàm multo tutius silentium sepeliisset. Canum, in pagis allatrantium, ira non defervescit melius, quàm transeuntis viatoris silentio cautâq; patientiâ; apum circumvolitantium aculeos non difficulter fugit illæsus, quisquis inter eas quietus fuerit, repugnans & procax, quantum, bonè DEUS, pungitur? quantum læditur? ita faciebat disertissimus Romuli Nepotum, in simili propè negotio, cum ad omnium suorum arcanorum arbitrum, Pomponium: Atticum scriberet. Hoc loco, inquiens, ego sumsi quiddam de tua ELOQUENTIA, nam tacui. Utinam omnes, præsertim inferiores, de illa Eloquentia, in contumeliis præsertim, aliquid sumerent! Utinam tacerent potiùs, quàm frustra gladium in linguis gererent! PESSIMO loco constituti sunt, qui pati non nunquam injurias ita nequeunt, ut non videantur

tur sensisse. Stultitia est profiteri iram & indignationem, ubi vindictæ locus nullus est. Optimum ejusmodi injuriarum remedium, si non intelligantur, ut Agrippina, à Nerone petita, solertissimè judicabat. Quàm prudenter agunt subinde, qui plura sciunt, quàm loquuntur? HOC enim scire est, nescire velle, quod non ignoras. Nam ad solidæ laudis possessionem adspirans, etiam multiscius, multiloquus esse non debet: ut enim vasa inania maximè tinniunt: ita illi, quibus minimum est mentis, loquaciores exsistunt. Nescio, quo naturæ lusu fiat, ut, qui plus balbutit, plus loqui cupiat: ut plus sese jactitet, qui minus potest, quasi docere alios uterque velit, quid desit sibi: ne videantur scil. Epaminondam Ducem sequi, in cujus laudibus hanc censuit præcipuam Poëta, quod non facilè repererit aliam, qui plura sciverit, & pauciora sit locutus. Sed jactare ista, in quibus ne versatus quidem es, quàm ridiculum? quæ dementia est? Liceat mihi, Auditores, ex Jesuita notissimo, conveniens huic rei exemplum, Doctoris nempe Pontificij, adducere, ut præmium, ejusmodi decretum hominibus, cognoscamus. Degebat ille Viennæ Austriæ, Paulus Florenius nomine, homo nullius artis minus gnarus, quàm quæ tacitutnitatis & modestiæ est. Jactabat sese plurimorum idiomatum peritissimum, & credebatut vulgo, ingentem eorundem copiam possidere. Idcirco, cum alius Jesuita, Georgius Schererus, idio-

mate mirabili ſcriptam ſchedam accepiſſet; collo forſitan infantum, pellendæ febri, appendendam, Florenium adiit, explicationem characterum & multiplicis notitiæ experimentum quæſiturus. Accepit Schedulam Florenius; illius linguæ ſcientiam audacter ſimulans, & illud idioma eſt, inquit, quo Sacerdotes Ægyptii, in Sacris ſuis, utuntur. Receſſit admiratione dubiâ plenus Jeſuita, denuoq; exploraturus Mithridatem illum πολύγλωτ⟨ον, tres voces germanicas: Gånſe gehen barfuß: ordine literarum inverſo conſcripſit: hoc erit, dicens ad comitem Jeſuitam, quem aſſumebat hoc erit lydii lapidis inſtar, quo veritatem explorabimus, iterumque Florenium adit, ſchedam oſtendit, interpretationem modeſtè poſtulat. Quid dicam? vix inſpexerat eam oſtentator, & converſus ad offerentem: Eadem ſunt, inquit, Ægyptiæ linguæ verba, ſacrificulis idololatricis ſolennia, qualia in ſcheda priori exſtabant. O jactantiam miſerabilem! ſemper in vita ſua flevit Heraclitus; ſemel tantùm, cum aſinum videret devorantem carduos, riſit: Secundâ vice profectò, ſi hunc audîſſet Florenium, inverſa verba germanica, pro ſolennibus Ægyptiis venditantem, non riſiſſet; ſed, eum Schererо ejusq; comite, ſonorè fuiſſet cachinnatus. Hoc enim, loco præmij, tribules interpreti tàm promto exhibuerunt, quàm miſero, ut riſum ut contemtum, ut poſthac contumeliam, pro laude ſapientiæ, abomnibus referret, quæ ſin dubi

dubio omnes, politicum taciturnitatis regimen ſupinè negligentes, expectant. MISERUM quidem eſt, loqui non poſſe; pejus tamen, quod tacere oportet, loqui; peſſimum, quod neſcis, fingere. Quemadmodum qui lapidem jecit tametſi poteſtatem jaciendi habuerit, non habet tamen retinendi, poſtquam jactus eſt: ita qui ſermonem à ſemiſſum fecit, nunquam adſequetur, ut idem poſſit velut poſt liminio redire. Fruſtra, cuicunque velis, ſuccinueris, in cujus ſinum mentis tuæ cogitata depoſuſti: Hæc tibi ſoli dico, quæſo apud te ſint iſta! Sic ancilla Apulejana elegantius, quàm alia: Quæcunque inquit, hujus religioſi pectoris tui penetralibus commiſero, ſemper hæc intra conſeptum clauſa cuſtodias oro: noſti ſilentij fidem. Nam qui à te aûdiit, ſimili ratione de iisdem communicabit cum alio. Quod autem tibi non imperaſti, quomodo ab alio ſilentium ſperas. Neque tibi tamen ſoli fidele præſtes ſilentium, aut in tuis tantùm rebus prudentem taciturnitatis ductum ſequaris; ſed aliis etiam, quos vel privata tecum amicitia conjunxit. SANCTA eſt illius ara, quæ mutuis amantium officiis exſtruitur; nullâ verò propemodum re facilius evertitur, quàm neglectu artis, de quâ nobis ſermo eſt. Quid mutuâ jucundius amicitiâ? quid ſermone ultrò citroq; in ea habito amabilius? cujus inter alia fructus ille eſt maximus, ut levemur animi anxietate, quâ, inter varias mundi hujus curas, multis

modis fatigamur. NEQUE ulla invenitur medicina, ut sic loquar, apertiva, ad obstructiones cordis, commodior, quam amicus fidelis, in cujus sinum dolores tuos, tua gaudia, tuum metum, & quicquid denique cor opprimit, tanquam sub sigillo confessionis civilis, effundas. Mirum est; sed verum tamen est, quòd ista eum amicis communicatio, contrarios duos effectus producit. Si gaudia respicis, hæc duplicat; mœroribus verò dimidiam partem adimit. Quis enim unquam amico suo læta impertit, quin lætetur amplius? Quis tristia unquam ad amicum detulit, quin multum de mœrore amiserit? Sed qualis amicus ejusmodi esse debet, quæris? Nullus alius, nisi qui Eloquentiam in tacendo benè didicerit, qui non sit vasaliquod futile, rimas agens undique ut hac atque illac perfluat. Præterquam enim quòd magnam animi levitatem arguat, quòd garrulam sese fœminam fingat, de quarum ordine illa apud comicum: nullam inventam esse mutam omni seculo: quod fidem, quod amicum amittat; ita sanè fidem omnem amittit, ut recuperare amicum vix unquam possit, ut ad omnem conversationem civilem ineptus censeatur. SICUT tempestatis: ita amicitiæ non est eadem semper facies. Jurgia nonnunquam oriuntur inter conjunctissimos, ira accenditur. Hîc verò si quis amici statim secreta detegat, quis unquam illum frugi hominem judicet minas in ejusmodi rixarum incendiis prætereo dignas

dignas enim risu quis non existimet? Sive enim possis perficere, admonere stulti est; sive non possis, stulto stultior iste à nullis non habebitur. Quid? quòd & de inimici facti secretis verè dictum sit: olim tibi qui credidit arcana Sodalis, fisors inimicum faciet, nulla recludas: quod quidem inter vitæ civilis monita non postremo loco numerari meretur: Sicut autem boni publici major semper honesto viro, quàm privati habenda est ratio: ita regimen quoque taciturnitatis cautiùs teneriusque circa hoc, est observandum. NON tacendo multi hîc fecerunt, ut nunquam postea loquerentur. Quot hîc in medium exempla proferri possent eorum, qui loquaculâ linguâ perniciem totis Rebuspubl. & sibi attulerunt? Quod censetis, Auditores, hominum linguas cessasse priùs loqui, quam ipsi vivere? illas Erechtio & Aristomeni præcidi Imperator Valentinianus jussit, quod invidiosa tantummodo quædam protulisse dicerentur. Ne Staterios Romanos, ne Pausanias Lacedæmonios, aliosq; quàm plurimos nominem, qui nos ad silentium publicis præstandum rebus hortari saltem, si non graviter compellere valent. Veterem Persarum disciplinam fuisse, dignus Rege Alexandro scriptor, Curtius, commemorat, ut silentium de negotiis publicis vitę periculo sanciretur. Alexander enim, in expeditione Persica, omni curâ vestigans omnia, tamen explorare nihil potuit, more quodam Persarum, (verba sunt historici)

arcana Regum mirâ celantium fide: non metus, non spes elicit vocem, quâ prodantur occulta, lingua gravius castigatur, quàm ullum probrum. Nec magnam rem magis sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facilimum tamen voluerit esse natura. Nec revelâsse tantùm verùm & cognovisse arcana ejusmodi, nonnullis extra officia constitutis, capitale fuit. Quis sine certo exitio Tiberij sensuum abdita penetrare potuit? Quid Ovidium in exilium egit, nisi quod nescio quid, in secreto vidisset, ut ipse queritur? Unde quàm periculosum sit talia vel saltem indagare, luce meridianâ clariùs patescit. Innuere hoc ille, ex Romanis sapientioribus, voluit, qui à non nemine curiosiore interrogatus, quid Cæsar ei in aurem longo adeò sermone dixisset? in audisse Cæsarem, respondit, curiosos in Republ. nonnullos reperiri, qui in ejus arcana inquirant: hos severè punientos, & jam de supplicii genere sermonem fuisse. Ob mutuit alter, neque quicquam posthac curiosius rogare visus est. Nullum majus apud Venetos periculum est, (ut politicarum rerum autores referunt) quàm nimia cum Senatoribus, & his, qui Senatui à Secretis sunt, familiaritas. Nolunt enim illi abaliis ullo modo Reipubl. suæ arcana cognosci: ad instar Romanorum Veterum, quibus fidum erat & altum pectus, curâ silentiiq; salubritate munitum & vallatum undique ut, curiæ limen intrantes, abjectâ privatâ caritate,

caritate, publicam inducerent, ideoq; non dicam unum; sed neminem audivisse crederes, quod tot auribus, in pleno consessu, erat commissum. N A M & belli, & pacis commoda intercidunt, si utriusq; secreta in publicum manent. Hinc inter signa quondam militaria Minotauri præcipuè comparebat, ut, quemadmodum ille in intimo & secretissimo Labyrintho esse dicitur; ita belli consilium semper sit in occulto, cum multa oporteat ignorare militem, ne sermo in castris & in triviis circumlatus, arcana Ducis & salutem in hostium aures & manus deponat; de qua Ducum virtute rerum militarium consulti, cum quotidiana experientia fusius loquuntur. Mirantur non immeritò Civilis prudentiæ Doctores, quodnam, inter Venetiarum instituta, præclarissimum, cujus beneficio non admirabilior libertate, quàm imperio, Respubl. mille & trecentos ferè annos, in publicis Italiæ ruinis raro Aristocratici regiminis exemplo, adhuc floreat, adhuc vigeat? Et in tacendo prudentiam esse existimant; Cum enim paucis concredita Reipubl. summa, tyrannidi viam aperiat, à prudentissimis Venetis præcipua rerum agendum cura Senatui Rogatorum, ut vocant, permittitur, qui licet tot ibi constet nobilibus, omnibus tamen sancta est fides silentij, omnibus inviolabilis, ut nullâ mercede venalis, nullis pervia proditionibus exsistat. Non possum, Auditores, quin, in honorem nostræ in tacendo Eloquentiæ, experi-

mentum, ex prudentissima Republ. ad ducam, ut tantorum Virorum judicio & exemplo sermonis mei ruditas commendetur. Erat illis superiori seculo Imperator bellicus, Patritij sanguinis heros, cujus tamen occultissimâ perfidiâ, ut putabatur, res belli Mediolanensis minùs ad votum cadebant. Deliberabant inter sese Patres patriæ, & quid agendum, vix satis videbant. Non erat commodum, tam properè Carmaniolam, (hoc enim ipsi nomen erat) revocare ab officio, ne suspicatus, quod res erat majus Reipubl. damnum, cum Romano illo Coriolano, afferret. Octo igitur menses, de illius proditione, de proditionis pœna, & quidem si Egnatio habenda fides, quotidie actum est. Erant inter ducentos illos & quinquaginta Senatores non pauci & sanguinis, & amicitiæ vinculo Imperatori junctissimi: erant, qui vel tantillâ monitiunculâ tanta poterant ab eo expectare; nulli tamen erant, qui vel minimo indicio, taciturnitatis, bono publico debitæ, fidem libarent. Nunquam igitur aliquid suspicari potuit bonus Carmaniola; sed, post octo Menses honorificè in patriam vocatus, inter tripudia & usitatas pompas in Senatum deductus, & prius captus, damnatusq; fuit, quàm suspectum se esse ullo indicio senserit. O prudentissimam taciturnitatem! O taciturnam prudentiam! Quis te non optimum tutissimumq; administrandæ rei cujuscunque vinculum nominet? quis non colat numen tuum? non

non quidem ritu Persarum & Romanorum Ethnico; sed quem erudita nobis exempla proponunt. Tu nostra de negotiis nostris consilia dirigis! Tu nostra velando encomia patefacis? Tu defectûs quoscunque & mala occultas: jactantiam retundis: In sinum nostrum à quibuscunque effusa reticere jubes! Tu bellicorum Ducum ornamentum es! Pacis subsidium: omnium pro Salute publica actionum promotrix felicissima! omnem ætatem ducis! omnem statum doces! à te dicere discimus, à Te tacere, cum velut ex tripode dictum illud æstimare oporteat, QUOD nemo possit unquam rectè dicere, qui non possit nonnunquam rectè tacere.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

PRIOR IN SERMONE LIMA, QUAM LINGUA.

QUANTUM malum est, non posse loqui! pejus tamen, loqui, cum tacere præstat: solum illud, & quod paucis datur, bonum, bene loqui posse & tacere. Sed hoc beneficium est prudentiæ, quàm commodè sermonis Ducem dixeris. Præcedit sanè illum, ut quò fine vel premendus, vel promendus sit, erudiat: comitatur, ut, pro circumstantiarum ratione, promtum ordinet, & sequitur, ut modum per-

fruendi bonis partis tradat. Duabus verò administris utitur: morum Scientiâ & Experientiâ. Exemplum hæc duntaxat præbet: illa causas explicat. hæc arctioret habet limites; quantillum enim experimur, intra tam angustos vitæ terminos? illa nos liberiore cœlo excipit, uberiore prospectu delectat; modò, uti convenit, tractetur. Qui verò convenit? Catonem Iuniorem consule: NON disputandi causa; (ita refert Cicero,) sed ut ita viveret, doctrinam morum didicit. Nimirum, noluit tot ibi speculandis immori: tot operosas ibi tricas morbidè versare noluit. Reliquit otiosis nugivendulis, qui, nunquam umbras relicturi, eas cupiunt & capiant. O si exemplum sequerentur omnes Iuvenes, qui bono educantur Reipublicæ! PARUM eò sit, novisse plurima, nisi prorsus noverint salubria: & hæc parum sit novisse, nisi, in civili vitâ, vitâ ipsâ exprimant. Quid juvat, alteratione sterili, probare tantùm hoc in Ethicis & improbare istud? Sedentariorum hic in claustris labor est, qui, cum agunt omnia, ut sciant, postquam sciunt, nihil agunt, Imò, postquam didicêre omnia, fortassè sciunt, quod utilius nescirent, in luce conversationis politicæ imbelles aut ridiculi. In hanc enim, si ex antro duxeris scholastico, quàm territantur hominibus! vix homines in turba hominum, quibus nervum mentis Minervam incidisse putes. FRUSTRA sunt doctrinæ flores & scientiæ, qui se in germen atq; frugem nunquam exerunt. In gestu, in sermone, in actionibus Tuis exhibe. Vis clariùs? exemplum cape de Sermonis directricibus. Qui tas in scientia morum

morum ita discit, ut de genere, de numero, de mutuo discrimine, de nomenclatione hæc vel ista tantùm differat, quid discit, quod ad conversandi rationem solertiam? Sermonem homileticæ virtutes dirigant, ex beneplacito Prudentiæ, ut comis sit, ut sit urbanus, ut sit veritatis laude nobilis. Sic potens voluntatum victor erit, & interpres rationis efficax, initiis præsertim attractivis & civilibus. His sine forsitan sermonem esse vides, vix prodesse; licèt magis ad ornatum, quam ipsius rei usum, præmittantur; & sic ad usum, sicut speciosiora in domorũ frontispiciis. In colloquendo suave mille se ostendet: in compellando obvios humanum: in respondendo facilem; ubiq; tamen, juxta phrenoschema sapientis, NE QUID nimis. VILES aliâs, qui nimium civiles, & officia familiaritatis inofficiosè præstita, nonne ipsâ civilitate fiunt incivilia? At serius non semper sermo est: miscendæ illi sunt facetiæ, miscendi sales; sed Mercurij. Absit Momus, jurgiorum fax & tuba, absint histrionicæ. Spicet aliquid ingenij & serij jocosus sermo nisi talis, non delectat audientem; sed offendit. Ridet tamen? ridet non tam jocum ipsum, quam jocantem, magis fortè facie ridendum, quam facetiis. Scurræ, ut oblectent alios, se viles faciunt. Non ita morum & virtutum amasii. Seriis debetur gravitas, jocis lepor, sed ne dissocientur ista penitus. Cognata comitas urbanitati est: sorores sunt virtutes istæ: junge veritatem, (neq; debes aliter,) habebis q; trigam Gratiarum, civili sermoni necessariam. PUPPIS certè atque prora ejus fides est, & veritas, & candor. SINE

illis

illis colloqui, colliđi est; eoq; sanctiùs colenda isthæc numina, quò rariora sunt. VERAX *sermo sit; nec tamen omni, nec ubique, nec respectu omnium veritatem detegat; nec adversus tamen ei quicquam agat.* FIDUS *sermo sit; nec fidat tamen nimium. Non sumus in Republica Platonis, ubi homines supra homines, & viri nunquam visi vivunt. Quem in civili vita prorsus sentis integrum? quem non fucatum vides partem aliquam? ore aliud, corde aliud: aliud mente, aliud manu multi agitant: unò stabulantur pectore pugnantes quiq; affectus. Nihil iis magis proprium, quàm fallere: nihil magis nobis necessarium, quàm prudens diffidentia: nihil magis proficuum, quàm in tacendo Eloquentia. Hanc alibi nuper docuimus, & tottes docemus, quoties bene loqui docemus. Quid enim hoc est aliud, quàm quædã bene tacere? & quid hoc est aliud, quàm bene loqui? accommodate scilicet ad tempus, ad locum, ad personas.* SERMONIS *fata, sicut illa sæpe variant. Vides hoc in plumis columbarum aut pavonum? ut solem diversimodè excipiunt aut reddunt, discolores sunt, cum nequaquam sunt. Vt ergò placeat, dexteritatem in sermone semper adhibe, & sic doctrinam homileticarum Virtutum in eo exhibe. Quam ut monstrarent sibi ipsis atq; aliis prolixiùs Iuvenes duo Politissimi,* JOH. Benckendorff/ *Rigensis, &* JOH. Kniper/ *Revalienses, laudabili nuper labore defuncti sunt, Civile Regimen Dicendi eruditis Dissertationibus delineantes: quas cum d. VIII. mensis huius, locò usitatò, ex memoria depromturi sint, omnes civitatis huius summates, infimates,*

mates, Patres, Patronos, Fautores, Amicos, quò par est, studiò; quâ decet, humanitate, precor & invito, ut adesse nobis, ut audire Oraturos, ut censere quoq; ne graventur. Priorem certè in sermone limam, quàm linguam esse, intelligent. Dab. in Museo, ipsis Cal. Ianuariis, Anni 1646.

REGIMEN DICENDI.

ORATIO
PRIOR.

CUm aliquando Socrati, Philosopho sapientissimo, Juvenis concinnæ formæ sisteretur, ut, ex ejus contemplatione, de secretis animi moribus, judicium ferret, diutiusculè tacentem intuitus, tandem: loquere, ut TE VIDEAM, inquit: quasi non videre posset, quem intuebatur, dum taceret: quasi oculos in auribus, aures in oculis gestaret suis: quasi NON TAM ex adspectu, quàm sermone relucesceret animus. Licet enim & iste ad Fenestram referatur, quam, in hominis structura, desiderabat Aristarchus divinorum operum, fallacior tamen est, quàm ut certam intuentibus fidem faciat. Ipsa ejus planities, ipsa frontis serenitas, quam esse indicem humanitatis putant, Ingentium non rarò moliminum gurgites & fluctûs condit, quibus incautiores facilè abripiantur. SERMO nos fidelius informat, miro in nobis artificio productus, dum

spirita-

spiritalis à pulmonibus egressa in os fistula, descendentem à mente vocem ad palati convexum defert: hîc excepta à lingua, artifici illius motu, in suavissimum sermonis sonum efformatur. Non certè, sine certo mentis, à qua prodit, indicio! Quis enim hominem, qui semper vinum loquitur & epulas, sobrietatis studiosum judicet? qui sua effert laudibus immodicis, non superbum dicat? qui adeò disertum se in aliena forma prædicanda exhibet, ab illius amore alienum statuat? Profecto, si quid unquam miratuæ est Cynicus Diogenes, rectè miratus illud est, quod, cum vas fictile non emant homines, nisi tinnitu exploratum, in æstimando homine, solo contenti adspectu, nullum mentis ex sermone documentum petant. Sicut enim vasa fictilia digitis pulsantur, æstimatâ probitate illorum ex sonitu: haut aliter SECRETAM mentis indolem sermo noster prodit, interpres animi, verbis discrepans, sententio conveniens quem proinde ita regere oportet, ita gubernare, ut virtutum in nobis hospitantium splendorem ostendere; si quibus verò obnoxij vitiis sumus, ut homines sumus, prudenter occultare illa possit. Magnum profectò negotium! majus in magno negotio artificium! cujus primas lineas, in conversatione potissimum civili, dum hîc ducere aggredios, conceptis equidem votis optarem, ut dignum Vobis meum sermonem, Auditores, dignum argumento ipso formare possim; sed cum imbecillitas

becillitas juvenilium conatuum voto non respondeat, Vos Vestrâ mihi indulgentiâ subsidio futuros, totus spero, totus opto & precor. Ita sermo meus, secundis benevolentiæ subvectus ventis, metam dicendi propositam, sine molestia, & difficultate, assequetur. Cum in quibusvis actionibus insigne temperamentum civilitatis studioso adhibere convenit, tum in primis in tacendi studio & loquendi libertate. Ut enim illud fidem felicissimè conciliat, Facitq; ut homines secreta sua ament apud nos, tanquam in sinu, deponere: ita hæc invitat quoque alios, ut eâdem erga nos, in aperiendis animi sensibus, libertate utantur. Non tamen, nisi tempestivè adhibendam illam suadet diva Prudentia. Sicut enim saccharum, singulare condimentum, quod intempestivè adjicitur, corrumpit cibum & esuro creat nauseam: ita egregium, quod dixi, conversationis civilis condimentum, SERMONIS LIBERTAS, si intempestivè usurpetur, nobis odium; aliis molestiam concitat. QUOTIES aliquid dicimus, toties de nobis judicatur, ut interpres veritatis, Cicero, loquitur, erecto velut digito nos admonens, ut in omni re, quid aptum sit & consentaneum tempori, loco, personæ, tum quid in dictis factisque deceat, consideremus. Habent suum quoque modum, quæcunque optima dicuntur, & desinunt esse talia, si non optimè & tempestivè dicantur. Liceat modò mihi huc vocare vulpem astutissimam, liceat in

ea

ca ostendere, quicquid vel sequendum hîc, vel cavendum est. Quoties in Thraica, locis rigentibus, gelatos lacus, ad pastum, transire cogitur, observatum est, ea aure ad glaciem appositâ conjectare prius glaciei crassitudinem, & explorare, num falsura fortè transeuntem sit? num subter labantes aquæ audiantur, quæ indicium faciant, fallacem crustam vestigiis cessuram? Quotquot adloquendum aliquid os pandimus, glaciem subimus periculosissimam. Qui non prætentemus ergo sollicitè? quî non exploremus omnia, cum vulpe ista, ne cœca nos fallant vestigia? ne de salute nostra periclitemur? Quod si verò ignominiosum judicamus, hanc à brutis discere solertiam, in quibus tamen totam prope sapientiam civilem aut invenit Æsopus, aut commentus est, & dum, quæ humana sunt, ad scripsit iis, divina, bene & feliciter vivendi, præcepta inculcavit; à nobis ipsis addiscamus, &, quam tarditatem, in solvenda crumena, eam in solvenda quoque lingua adhibeamus. Quam lentè, bone DEUS! loculos diducimus? crumenam pandimus? nunquam deliberatior mora est, nunquam magis Lynei sumus, quam cum pecuniam expendimus. Hîc omnem in pectus Senatum cogimus: hîc quæstiones surgunt variæ: an non nomen per hunc, per illum, per alium expunctum sit nostro nomine? & quam levis tamen est jactura nummi, inconsultò expensi, si sermonis jam prolati damnum cogitetur? imò hîc

moremur! hîc deliberemus! IN nullo laudabilius cunctabundi erimus, quam in loquendo. Hîc cogitemus, quem compellaturi, quid locuturi, quâ de re, & quam ob causam locuturi simus, neque facile fraudum dolorumq; tragulis impediemur. Hunc in finem duas lingua mittit venas; alteram ad cor, alteram ad cerebrum, ad sacram Palladis arcem, unde informemur, ut id, quod lingua effert, rationi primùm sobriæ conveniat: Et hinc sapientis atque fatui discrimen oritur, quod hîc cor in ore reponat, ut omnia quæ in buccam modò veniunt, sibi loqui licere, persuadeat: Ille os in corde recondat, ut omnia, quæ ab ore abeunt, consilio, ratione, judicio librata circumspectè veniant. Hoc ergo si à nobis observatum fuerit, solutâ, ex consilio mentis, linguâ, SERMO PURUS, instituendus est, ne, linguas linguis confundentes, centonem aliquem in lucem proferamus. Non loquor equidem de disciplinarum terminis, non nunquam in sermone usurpandis, qui ex lingua græca in latinam, ex hac in germanicam transferuntur; de Germanis modò dissertationibus, loquor, in quibus regimen sermonis hoc, præsenti seculo, immane quantum solet negligi. Etiamsi lingua nostra, multis aliis majestate, selectissimorum verborum splendore, periodorum ductibus, & universa orationis elegantiâ palmam præripiat, plerisque saltem faciat ambiguam, eam tamen ipsimet, (ut solet esse vile, quicquid

domi est) fortiter contemnimus, & exoticorum verborum, ut putamus, emblematis; ut reseſt, inquinamentis, ſolenniter fœdamus. Quaſi in ſentinam duraret lingua germanica, ad quam reliquarum ſordes promiſcuo torrente ferantur. Nulla ferme periodus, nulla interpunctio eſt, in civili præſertim converſatione loquentium, quæ non adſcititium quid redoleat. Jam à Latinis, jam à Gallis, jam ab Hiſpanis, ab Italis, ab Anglis mutuamur, quod domi longè naſcitur melius, tum demum nos eleganter loqui putantes, cum impurè loquimur: Quæ gens cultior bilingues ejuſmodi homines, aut hominum ſermones approbat? Latinorum certè veterum hæc fuit conſuetudo tenaciſſima, ut non niſi Latinè, de rebus ſeriis, loquerentur. In tot Ciceronianis orationibus, quibus nullæ aliæ ad æquandæ ſunt, quid alienæ vocis? quid exoticæ linguæ admixtum eſt? Ne quidem in ſcriptis Philoſophicis, quod mineris, eloquentiæ ille Anteſignanus & Romani Imperij gloria, græcorum teſtimonia aliter, quàm Latinè allegavit. Teſtem ipſum nomine! Cum enim alicubi Epicharmeæ ſententiæ mentionem feciſſet, quam ſecutus videbatur, & eam requireret in Tuſculanis quæſtionibus alius, ita ei reſpondit: Dicam, ſi potero, latinè: ſcis enim, me Græcè in Latino ſermone non plus loqui ſolere, quàm in Græco Latinè. Quis veſtrûm eſt, Auditores, qui non effusè rideret, ut, inſanum & ſcurram, quem ita incedere

conſpicaretur veſtitum, ut pars ad Gallicam indolem, pars ad Hiſpanium faſtum concinnata ſit; aliæ rurſus aut Thracici aliquid, aut Africani referant? Et putabimus hos variarum linguarum centones, quos in ſermonibus, non nulli ſunt, ſine indignatione, ab eruditis audiri? Scilicet, variarum linguarum apparatu inſtructam eſſe bibliothecam animi ſui, innuere volunt! quaſi nulla iſtius oſtentationis occurrat alia occaſio, quàm ut lingua, ut ſermo noſter contaminetur: quaſi felicitatis noſtræ cardo in eo vertatur, ne quis horribile peregrinationis Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ ſecretum ignoret, linguâ nimirum propalandum! Tiberius Imperator, quanquam Græco ſermone promtiſſimus, non tamen uſque quaque uſus eſt, abſtinuitque maximè in Publico, adeo quidem, ut, monopolium nominaturus, prius veniam poſtulârit, quod verbo ſibi peregrino utendum eſſet. Similiter in quodam Patrum decreto, cum vox Græca recitaretur, commutandam cenſuit, & Romanam ſubſtituendam, aut, ſi non reperiretur, pluribus, & per verborum ambitum, rem enutiandam eſſe. O inſignem puri ſermonis amorem, in publicis quoque ſcriptis, ubi tamen ſæpius illetrium literarum tyrannus, Mos, plus poteſt, (& poſſe nonnunquam debet,) quam ratio, amorem, inquam, à quo hodierna tempora tantopere abeunt! Tiberium ſecutus eſt; ſed in Germanica lingua, Rudolphus, Imperator Sa-

pientissimus, qui, suo tempore, non sine gravi rationis fulcro, edicto capit publico, ut omnia mandata, privilegia, decreta, pacta, contractus, & id genus alia scripta, purè Teutonicè conficerentur. Secutus eum est, superiori seculo, Johannes Fridericus, Elector Saxoniæ, vehementer indignatus si quis vel sermones serios, vel diplomata, exoticis verbis, fœdâsset; plus semel certè isthæc suâ manu expunxit, delevit, immutavit. Sequuntur duces alii, ex quibus Germanorum Principum hodie doctissimus puritatem hanc nostræ linguæ etiam atque etiam inculcat. Macti hâc gloriâ, illustres animi! Macti heroës incluti, quotquot decus atque ornamentum vestræ linguæ asseritis! Ita germani estis Germani, germanæ libertatis indices & vindices, in lingua libera, quæ cum plerisque victorioso certamine possit congredi! Quoties Gallum, quoties Hispanum suâ pecorantem, vernacula auditis, toties antiquæ servitutis, quam sub Romanis passi sunt, carmina vos in audire credite. At quoties Germanum declamantem auribus usurpatis, longè aliam hanc linguam judicabitis. Quid enim est, quod mendicando petit ab aliis, ut aliæ? Si Galli, Hispani, Itali, tanta sibi de puritate, in sua lingua, gratulari possent, vah quanta cura exotica, vocabula inde pellerent in exilium! Nos verò, puram habentes, non quotidianis tantùm & cæduis; sed gravioribus etiam sermonibus, præter necessitatem, exotica admiscemus

miscemus vocabula, ut puriſſima illa, & à peregrino ſqualore ante hac libera, lingua noſtra in miras loquendi ſartagines degeneret, monſtraque vocabulorum & carcinomata irrepant occultè, ad quæ genuinus aliquis Germanus neq; riſum fortaſſis, neque indignationem, teneat. Nobis elegans ſermonis puritas & grata ſit, & commendata undique, quæ tamen accuratè ab effectatione defendenda eſt, ut GENUINA ſit & nativa noſtra locutio, nec, adhibitis ineptiarum ſordibus, aliunde vileſcat. Profectò, QUICQUID affectatum eſt, decorum non eſt, color optimus ſermonis, qui nativus. Si circumtonſus nimiùm, ſi nimiùm fucatus, & ad amuſſim curioſè fabrefactus fuerit, in diſcrimen mittit fidem dicentis, ut animus ejus itidem fucatus judicetur. De Gallis referunt ſcriptores, quod frequenter linguam ſuam mutent, literæque hujus aut illius pronuntiationem quandoque varient. Unde verò illud eſt? Si fides adhibenda rerum Gallicarum rerum ſcriptoribus, inde eſt, quod, ſi Rex forſitan, aut aliquis Magnatum linguæ laboret vitio, adulatores ipſos imitentur, ſicut Alexandrum Magnum, qui cervice leviter incurva & panda fuit, certatim proceres & aulici imitati ſunt. Quid mirum, quòd, qui exaffectatorum illorum converſatione in Patriam revertuntur, easdem ſæpe exprimunt loquendi ineptias? ut ſciat nempe univerſus populus, fuiſſe eos ibi, ubi ita fieri, id eſt, linguæ vitia

virtutum loco æstimari, amari, assumi solent. Quanquam malum hoc, in pronunciationis circulo, non subsistat; ad formulas in conversatione certas se diffundit, tam concinnè scilicet, tam argutè sæpius proplatas, ut ipsi quoque Crasso aut Heraclito risum possint extorquere. Nemo saniorum facilè negaverit, singulares artificiosæ insinuationis modos eminere in verbis, inter formulas communes, qui revera homines inescant, & mirificè afficiunt, instar habentes aliquod epistolarum commendatitiarum, ut, si nobis semper sint in promtu, multum gratiæ & gloriæ afferant. Commendatur isto nomine Scipio Africanus à Livio, Germanicus à Suetonio, Titus Vespasianus à Tacito: & ad ista colloquendi ornamenta perdiscenda nihil ferme requiritur aliud, quam ne quis contemnat ea, neque temere affectet, aut majorem formulis ejusmodi civilibus addicat operam. De pretio enim decidunt, quod in illo potissimum situm est, ut nativæ videantur, & non affectata. NEC enim quidvis curvis convenit: fortasse, quod hæc lingua pulcrè effert, sordet in alia. Quævis lingua sua gaudent venere, nativoque ornamento subnixæ sententiæ certis sustinentur idiotismi fulturis, quas in aliam quasi coloniam si deducas, iidem sanè sint cives, gratiam tamen pristinæ commendationis non retineant. Multum interesse potest inter tuum & illorum ingenium, quos ad exemplum delegisti, & qui non interesset? An non,

non, quot capita, tot sensus, tot dicendi agendique modi existunt? Aliud autem est imitatio, quæ laudanda, si rectè: in aliud affectatio, in quam illa degenerat, si temere suscipiatur. IMITARI quidem res est, ut videtur, omnibus in promptu; sed bene imitari haud ita facilè est, ut quidem imperiti existimant, qui à summis sæpe viris, acceptas sermonis virtutes, ridiculis vitiis de decorant. Similes, nisi fallor, simie, apud Ælianum, quæ, cum spectaret, ex eminenti loco, nutricem aliquam, de more, fasciis evolutum infantulum abluere in pelvi, ablutumq; & pannis circumvestitum reponere in cunis, ut est animal, non modò importunæ; sed & perversæ pleramque imitationis, idem tentare voluit: cumq; infantem, remotis custodibus jacentem despexisset in cunis, per fenestellam, quæ patebat, in ædes illabitur, pusionem arripit, fasciis explicat, &, post varias gesticulationes, aquam succensis carbonibus fortè calescentem, in miserum corpusculum effundit, & miserè ipsum perimit. Quid aliud imitatores isti faciunt, qui, circa alieni ingenii fœtus, eundem prope in modum gesticulati, sua illos imperitia depravant miserè? Profectò, si videret illos Lyricorum Princeps, Horatius, alta procul dubio voce exclamaret: O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpe risum, sæpe jocum vestri movêre tumultûs! Dum enim, mediocri nativæ locutionis ornatu non contenti, omnia magnificè, pomposè & singu-

lariter conantur dicere, majora facultate sua & affectant, & conantur, ut pessimè, ridiculè & ineptè loquantur. Sed NIHIL supra vires audendum est in talibus, contentis suo marte, quantillus etiam fuerit. Ut quimus, si non, ut volumus, licet, provida est Comici monitio, quam usurpavit, memorante Quintiliano, Julius Florus Rhetor adolescentem aliquando vehementer tristem interrogans: quæ causa frontis tam obductæ? Cui ille: tertium jam diem esse, regessit ex quo omni labore materiæ destinatæ non inveniret satis magnificum exordium; quæ succurrerent è trivio esse: altiora spirare, & dolere, imò desperare propemodum, quod res non sic credat. Tum Florus arridens: nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quàm potes? Ita enim se res habet, Acurandum est, ut quàm optimè dicamus; dicendum tamen pro facultate, non affectantum, quod excedit eam: si non dicimus, ut volumus; ut quimus, sufficiat. Ipse color nativus commendationem invenit, ipsa orationis æquabilitas, non tot interrupta affectibus, quos si toto sacco, ut dicunt, ad mensus fueris, gratiam omnem penitùs amittunt. Friget sanè oratio, quæ multis exclamationibus, obtestationibus, interrogationibus fulminat, ubi moderata sunt & minuta de quibus loquimur. Proh DEUM atque hominum fidem! clamant nonnulli, de musca fortè forsitan mortua, aut, pulice in vino suffocato, verba facientes, quasi de ruina cœli aut hiatu

hiatu Europæ sermo esset. Quin potiùs pictores in sermone imitandi sunt, spargenda passim simplicitatis umbra, ut cultus elegantior, hinc inde sparsus; sed quasi nativus, illustrior eluceat. Idem quoque attendendum est in gestibus loquentium, qui, concinnè adhibiti, mirum quantum exornant, & verum virtutis condimentum merito censentur. Nam SICUT actio, illa corporis nostri eloquentia, Oratori tanti habetur, licet externum aliquid sit, ut etiam aliis istis partibus, quæ graviores videntur, ante ponat: eodem ferè modo, in civili viro, conversationis regimen, utcunque in externis quoque gestibus adhibeatur, si non summum; eximium certè locum inveniet. Quale pondus in sermone vultus habet compositio? tantum sanè, ut optima etiam verba eo destrui posse, Cicero doceat. Fratri enim utilem erga provinciales affabilitatem commendans, non in hoc eam potissimùm sitam dicit, ut aditûs ad se præbeat faciles; sed vultum illis placidum aperiat. Tetricus enim & agrestis es, frontemque in deformes rugarum sulcos contrahis? quæ dicis inamœna videbuntur omnia. Blandus es, & serenitate audientes recreas? quæ promes, suo pariter lepore allubescent, quamvis alioquin offenderent. Risus ipse, sermonibus mixtus, quando parcus, quando ingenuus, quando suavis est, candoris præbet indicium; si mordax, si insulsus, nimiusque, injuriam præ se fert & infert. Variat sermo aliis

atque aliis prolatus gestibus: Ludit, lædit: placet, displicet; decorum autem si observet, gratus subinde acceptusque est; sed hoc decorum ex nostro esse genio debet; non ridiculè, ad exemplum aliorum, expressum. Quam inepti sæpe ceremoniarum discipuli dicam, an Magistri? occurrunt, non tam gestûs, quam gesticulationes sectantes? Nihil sine motu corporis narrare aliis, aut dicere possunt. Quando de ægro sermonem instituant, medicorum more venas pertentant; si de cytharædo, manus, in modum percutientis nervos, formant. Si de tibicine, admotis ad os vermiculantibus digitis, parum abest, quin sibilum reddant. Hæc ne in scholis quidem Comicorum toleranda omnia, in conversatione civili usurpabimus? Quid est, scenam in vitam transferre, si hoc non est? quid est mimum agere in foro, si hoc non est? GRAVIS eminere in gestu decor debet, ne, imperitæ plebis applausum expetentes, pradentum excidamus gratiâ, quibus gesticulatores ejusmodi non tam loqui, quàm furere videntur. Jactationum plerumque & contractionum corporis, id est, ceremoniarum suarum finem non faciunt, cum Curione illo Patre, quem non immerito interrogavit Junius: Quid in lintre loqueretur? Quid autem nonnulli, inter loquendum, os torquent? quid nares corrugant? quid diducunt labia? Quid frontem caperant? caput ventilant? oculos dejiciunt, attollunt, claudunt? Miseri ludiones!

nes! quid gesticulantur manibus, quasi museas in Japoniam abacturi? quid complodunt pedes quasi lepores terrere, & fugare velint in Ithacas Silvas, ubi omnes mori solent, & tales sine dubio gesticulatores cum illis, si eodem educerentur? Sed inveniuntur alii subtiliores, & ut ita loquar, de capsula homines, quorum vultûs & gestûs, aliaque in sermone externa, instar versûs sunt, ubi singulæ Syllabæ accuratè mensurantur. QUI poterit magna comprehendere, qui pusillis ejusmodi se submittit nimiùm? Quid ab illis ceremoniarum affectatoribus speraveris solidi, qui tantas sermonibus assuunt maculas? Habeant sibi suas elegantias, si Diis placet, suas concinnitudines & ægritudines! ego, portui propinquior, ad illud veniam, quod sermonem vel imprimis ornat & concinnat: si nimirum PARCUS fuerit, si per partes & distinctim aliis res enarrandas manifestet, nec in consultè, uno omnia proferantur, vel potiùs protrudantur spiritu. Ut profluvio carentes aquæ, tument; transitum adeptæ pleno ruunt impetu, & uno quasi fluxu totæ simul inde properant: Ita nonnullorum, in conversatione sunt ingenia & linguæ comparatæ: nesciunt sermone uti parco: tument, dum occasio sermonem evolvendi nulla datur; datâ verò, uno omnia spiritu, ita ut verba à verbis absorbeantur, effundunt: lingua ruit propero contortu plicata rotatu! parva cum laude, minori cum fructu! Parcas sermo, & concisus

quasi,

quasi, est laudabilis, parvus est utilis. Long
quidem penetrat felicius, quàm continuò de
properatus, cum in hoc non excipiatur distin
dè rerum pondus, ut per moram aliquam ins
deat; sed periodus periodum, ratio rationem
antequam insederit, expellat. Et quis tam po
tenti valet eloquio, ut eum, quem alloquitur
elinguem planè primò reddat impetu? quàm
alter aliquid vicissim respondebit & objicie
tum verò sæpe accidit, ut, quæ ad refutatio
nem reservanda fuissent præmissa jam futilite
& viresuas, & gratiam amiserint. Dignu
memoratu est, quod legatis Samiorum Lac
dæmonii, post continuæ orationis tædium, r
sponderunt; excidisse prima, dicentes, quia r
mota; media sine attentione effluxisse, quia n
mia; ultimis se annuere non posse cæteris no
perceptis. Totum Spiritum profert stultus
at sapiens reservat aliquid in posterum, se
tentia est Regum omnium Sapientissimi, no
illorum præcipuè futilitatem corrigens, qui d
cenda aut tacenda promiscuè proferant, n
garrulitatem arguens, quâ, ad nauseam usqu
aliis obstrepunt hirundines quædam; sed o
cultius hoc, quod ira præsentiarum fugiendu
esse inculco, Sermonis vitium, eum videlice
in conversatione civili, ita eum quis instituit,
quæcunque modò habeat in animo, si ad pr
sens pertinere negotium putet, uno simul h
tu, uno impetu proferat omnia. Quanti
hoc, ut innui, negotiis officit! Profecto, si
stinc

stinctè sparsus sermo est, si per partes ad rem
proferendæ proferantur, aliudque hîc injicia-
tur; aliud alibi, vel ex vultu ejus cui loquimur,
conjicere licebit, quomodo eum singula affi-
ciant? quam in partem hoc vel illud capiat?
utrum simul omnia aperienda, an verò sigillo
taciturnitatis sint premenda quæpiam, ut alii
occasioni, aut personæ, cautè reserventur. Id
quod mihi quoque in præsenti dictum judico,
Auditores, qui, nisi totus fallor, ex vultu illo
vestro benignissimo, conjicio, plura quidem
Vos desiderare, de regimine sermonis, sed ab
alio, cum satis ego hactenus infantiam meam
sim periclitatus. Neque repugnato vestro
nutui; orationis meæ vela contraham, reliqua
orationis decoramenta successori meo relictu-
rus. Interea etiam atque rogo, Domini, ut, si
fortè minus à me ornatè & copiosè dictum est,
quam vel hujus loci amplitudo, & summa au-
dientium dignitas, vel ratitio materiæ gravissi-
mæ postulabat, meum in dicendo exercitium
ne improbetis. Cum enim Sermonem cir-
cumspectum, cum purum, cum à gesticulatio-
nibus alienum, cum parcum denique esse debe-
re dixerim, ne mihi ipsi videar contrariari, sub-
sisto, gratulatus mihi magnopere, quod à Tan-
tis Viris, tantâ benevolentiâ, fuerim auditus:
quorum me favoribus, sermonem meum be-
nigniissimis judiciis, humiliter & officiosè com-
mendo.

ORATIO

ORATIO POSTERIOR.

CUm Theseus ille, ferox Herculis æmulus tributi expendendi gratiâ, cum aliis a Cretæ Dominum Minoem profectus, extr sortem perveniſſet ad Labyrinthum, ſubmin ſtrato Ariadnes filiæ filo, ex Dædali Prudentia & ad veſtibulum impacto, remeâſſe feliciter, d hac arte Minotauri ingluviem, præſentiſſ mumque vitæ diſcrimen cum Sociis, evaſiſſ legitur Quod ſi ita geſtum eſt, ut veriſimil fit aliis, rarum profecto fortunatæ animoſita tis exemplum eſt; ſi verò Muſarum aves, po tæ, ex ſuo id dederunt nobis ingenio, ecquis ſub cortice, nucleum tegi, ſapientiæ, non ſu ſpicabitur? Quandoquidem HÆC conſuetu do eſt illorum laudatiſſima, ut ludendo incu cent ſeria, ut ſabuloſis vera doceant. Et la byrintho quidem quid humana converſation eſt ſimilius? quam tot incommodorum anfra ctus undique intrincant: in qua humanarum actionum tam difficilis perplexitas, tam per plexa difficultas, totSalutis noſtræ impedimen ta, ut, ſi æquâ lance illa libremus cum commo dis, quæ inde ſolent expectari, multum ſine du bio præponderent. Illum ergo ſi mundan reip. Quiriter, qui per Theſea ſignificantur petunt, ut petere omnes neceſſum habemus omni animorum ſtudio, cavere debent, ne ob

jician

jiciantur crudeliſſimo Minois tauro, hoc eſt, variis mundanæ converſationis peſtibus, inquinamentis, fraudibus, quibus etiam cautiſſimi quandoque cautores ibi capiuntur. Sed quomodo cavebunt? quomodo exibunt incollumes, niſi filum quoq; Ariadnes? prudens converſationis regimen, quod à Dædalo, ſeu divina rationis ferula, ſuggeritur, adhibeant? Ad cujus lineam ſi omnes actiones noſtræ, à veſtibulo vitæ, inceſſerint, nunquam ſanè tot damnorum veluti beluis prædæ loco futuri ſumus: ſi neglexerimus autem turpiter, facilè exitium hîc aliquod nos impetet, ut, cum Diogene, extra Mundi conſortium in dolio latitare, vel cum Ganymede ad Jovis cœnam rapi, aut ad Elyſios campos cum Ænea deduci præſtabilius videatur. Quod ne ullis fortè accidat, qui ad virtutis cultum, in civili converſatione, adſpirant, Ariadnæi fili ductûs aliquot præcedens exhibuit oratio, de ſermonis regimine, cujus uſum tam latè patere, quam ipſa humana patet converſatio, nemo facilè negaverit. Conatum ego illum quod civiles attinet diſcurſus, pertexturus, cum periculoſæ plenum opus aleæ ſit, balbutientem, & civilis converſationis penitus ignarum talia tractare, Veſtram, Auditores, ſpectatiſſimam benevolentiam imploro, ut mihi itidem benignas aures patefacere ne gravemini, Dædaleis ſupplentes ingeniis, quæ in tanta tanti negocij difficultate, juvenilis hæc ruditas aſſequi nondum poteſt.

test. QUEMADMODUM piscator, lic
aliâs accuratissimam adhibeat diligentiam, n
talem homo escam appenderit, quam piscicu
los, appetituros sciat, incassum laborat, ac sin
spe prædæ moratur in scopulo : haut aliter civ
lis conversationis studiosus, & oleum sermo
suo perdit, & operam, nisi talia in mediu
proferat, quæ aliorum genio & ingenio p
bentur. Non est instituti, neque virium m
arum, Auditores, explicare, quomodo secu
dum dignitatum, aut honorum, aut sexus, a
affectuum diversitatem sermo variandus
nimia hæc esset opera : in communi tantu
vita, inter quoscunque demum versemur, a
commodatè sermones instituere, hoc verò e
quod palmarium judicatur. Certè Orato
hoc præcipuum, ad persuadendum, officiu
esse dixit Cicero ; addere licebit, & ad conv
sandum, cum FRUSTA purum satis & na
vum sermonem proferat, frustra gestibus d
coris, atque parcè opes linguæ suæ prom
quispiam, nisi audientibus, cum gratia & dec
re, accommodentur. NEQUE quicqu
est tam sapientiæ cognatum, quàm hoc ipsu
neque quicquam tam nobis utile, gratum al
Si quæsita enim nostra & responsa captui ap
mus & peritiæ colloquentis, gratulabitur
sibi de occasione, quâ suam possit prodere
entiam, quisque libenter sermones miscet
rebus atque studiis, in quibus laudabiliter v
satus est : quisque amat eum, qui doceri v
quodam

quodammodo. De ignotis aut molestis rebus quærere, examinatoris est, non civilis aut subacti judicij hominis ; aptè hic, & accommodatè ad professionem atque statum colloquentis agit, & sic novis quotidiè scientiarum incrementis ditatur. Quis enim, cum militarium rerum consulto, sermones instituit de bello, & de isto non cognoscit varia? Quis, cum Philologo, de literis, & hospes in iisdem manet ? Quis cum peregrinatore, & non de vario populorum statu, de urbibus, de multis aliis, observatu digniſſimis, eruditur ? Quis adverso vultu in Sole ambulat, & nigrorem non contrahit ? SICUTI non quovis colore lanas suas tinctores imbuunt ; sed eò potissimum, quô vident seculum libentius & sæpius uti : ita non uni ubique sermoni inhæret prudens ; sed subinde variat, & colloquia circa res præsentes cum dissertationibus, narrationes cum argumentis, ipsa delectante varietate, juxta personarum scilicet & temporum momenta, miscet. Quod & à severo illo ridiculoq ; Philosopho, Diogene, notatum est, qui, volubilem se habere aulam jocabatur, & cum temporibus mutabilem. Unde cunque adspirabat aura gratior, eo suum illud Sapientiæ prætorium, illud suum dolium, sedulò vertebat. Unde non absre videtur censuisse lectissimus ille, de civiliter instituenda vita, scriptor, Guazzus : CUM plerunque, inquiens, in conversationibus contingat, ut de variis differatur à variis, & de palo

in ramum prosiliatur, quod est in proverbio, nihil est, mea quidem opinione, quod plus honoris conferat, & majorem, in honestis colloquiis, gratiam conciliet, quam si quis, ut dicitur, universalis sit, & manicas diversorum miscellaneorum plenas habeat. Quî enim aliâs se tam diversis applicet capitibus, cum, ut verbum vetus habet, nec Jupiter omnibus placeat? Aristippus, à Dionysio repulsam passus, tyranni genua supplex amplexus est, &, quod petiit, impetravit. Id cum nonnulli vitio verterent tanto philosopho: non ego, inquit, hujus demissionis autorsum; sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Imperator Adrianus variæ scientiæ famam captans, fortè in Favorinum Philosophum inciderat: hic ab eo lacessitus argumentis, parcius, & ut victus egit, quò impunè princeps exultaret. Molestè hoc tulerunt amici, eumque objurgârunt, quod tam facilè cessisset: malè, respondit, admonetis: nam cur non habeam doctissimum, qui viginti legiones habet? Nec respondit sine argumento, cum in schola polytropiæ, honestæque, ut sic loquar, versutiæ didicerit, vela ventis, sermones personis commodè aptandas esse. Quanquam aliud sit genus hominum, non tam prudentiæ donis, quam blaterandi libidine, ambitiosè tumens, quorum vis omnis, omne robur in lingua situm est. Illi, ut autoritati suæ consulant, diversum planè modum sequuntur, &, ut in sese lumen cultæ, perq; omnes disciplinas adornatæ indolis ostendant, varios sermones cum variis, flexu callido, instituunt, semperq; ejus generis, quibus audientibus imponere, & velut monoculi inter cœcos esse possint. Apud viros bellicâ virtute memorabiles, ignarosque vetustatis, de divinis agunt rebus: loquuntur de antiquorum ritibus, de populorum gentiumq; origine, & si quid est præterea in scientiis curiosa vetustate spectabile. Apud eos verò, quos lychni umbræq; scholarum rudiores, ad civilis gubernationis disciplinas, faciunt, de populorum & imperiorum fatis, de principum genio disputant: neminem in sua arte lacessunt; ignotis rebus audientium occupant animos, extra periculum, nec tamen, quod mireris, extra gratiam & gloriam cum & NOVARUM rerum desiderio teneatur noster animus, & de iis, quæ extra peritiam nostram sunt, quædam nos reverentiæ plena subeat opinio. Quod si verò à sagacioribus, ad maturam judicii severitatem, tales exigantur discursus, quam futilia in illis sæpè & inepta videntur, quæ ante, velut sacræ, & per Oraculum editæ voces, placebantur. Licèt autem sermo noster ad ingenia aliorum atque statum aptandus sit, aptandus tamen nullus ita est, ut adulatorum more agamus. Hi enim illandatos quoque in os laudant, toti mellei, toti byssinis verbis opulenti, & ad delicatiores assentatiunculas, auriumque lenocinia compositi; tunc demum se accommodatè loqui judicantes, cum ita loquuntur.

TRÜ Raamatukogu

Prorsus citra assensum prudentiæ! SINCERITAS & candor vincula humani sunt commercii, fulcra regiminis politici, quod, quantum est in ipsis, satagunt convellere, qui non nisi laudes aliorum, coram ipsis decantant, qui non nisi humilem assensum omnibus dictis factisq; sine judicio, sine delectu, accommodant. Laudatores dicam, an adulatores, cum iisdem literis vox constet utraque? Non sine causa cœlius Senator, cum clientem suum ubique sibi consentire audiret, irascens, exclamavit: dic aliquid, ut duo simus! QUI enim illam semper volvunt animo & ore cantilenam: ajunt, ajo; negant, nego: finem facilè imponere possunt colloquiis, & AMICITIÆ, quæ candore non fulta, ruinæ proxima est. Certè, si quem rectè & rotundè procedere in sermone intelligimus, semotis vilibus ceremoniarum, & palpationum nebulis, hunc esse fidelem opinamur, titulosq; boni socii donamus, libenterq; cum illo conversamur. Contra, si quem in laudibus nostris semper prodigum, fictè & fucatè agere credimus (quî enim non credamus?) cum strui nobis insidias vereamur, nihil minus, quam assensum & amorem præstamus. Imò sæpius ex inimicis quempiam esse ducimus, QUI toties solent laudare; sed ita, ut per selectas à se laudes invidiam nobis & periculum conflent, & tanquam præfatiunculis, aliquibus utuntur, ut postea calumnientur confidentiùs, inimici amicissimi si verba; amici inimicissimi, si sensum æstimemus

mus absconditum, qui in perniciem nostram juravit. Sicut laniones una manu porcum scalpunt, ut caput petant altera; Ista homines ejusmodi melleis dulcisonisq; suis verbis tamdiu abblandiuntur auribus eorum, cum quibus agunt, donec, velut phreneſi quâdam correpti, sibimet ipsis adulari, delirare, perire incipiant. O genus laudationis pessimum, quod tot tantosque viros perdicit, &, apud Græcos, locum fecit proverbio: EI, qui in malum suum laudaretur, pustulam nari continuò adnaturam; sicut apud nos vulgò dicitur, dum quis mentitur, metuendum, ne illius linguæ scabies oboriatur. Ubi verò manet illud Ciceronis; SINE fuco & fallaciis, more majorum? ubi manent verè serii, verè sinceri, in conversationibus, sermones? Si plena sunt omnia blanditiis, si quasi innoxia simplicitate veteratoria, legitur versutia, DUM non nisi Gnathonicis laudibus & fraudibus, assensionibus, & assentationibus utimur, veritas negligitur; candor quæritur sinceritas non invenitur. Sed quid audio? dicat quispiam: tunc omnes aliorum, & præsentium, laudes ex regimine sermonis ejicies? Absit hæc à me temeritas, Auditores! LAUDES moderatæ, laudes tempestivæ, laudes per occasionem prolatæ, laudatorum famæ & fortunæ prosunt plurimum; quia verò nonnunquam FAVOR nobis aliquod glaucoma objicit ut majora nobis de aliquibus polliceamur, quàm pro eorum merito, nimia laus non

ratò solet esse noxia, ipsisq; potiùs ignominiosa, si eventus laudi non respondeat. Hanc ob causam satius omnino erit, unumquemque suis decorare coloribus, quam fictos & adulterinos conquirere, ut, quicquid commendandum suscipitur, veris solidisq; rationibus ac laudum argumentis innitatur. LAUDES parcæ in sermonibus & modestæ, annon invitant ferè alios præsentes, ut ipsis quoque aliquid adjiciant? Profusæ igitur & hyperbolicæ, ut aliquid demant ac detrahant, impellent: ut pondus ac fidem aliorum sermonum in dubium vocent, veraq; narrantibus non facilè posthac credant persuadebunt. Quod si tamen cum iis vicitandum tibi est ut crebrò est, qui cothurnatis & superlativis titulis ornari gestiunt, quid agas? utendum quoque tibi illis erit, nisi, cum Callisthene, de vita & securitate tua velis periclitari, contemtum enim interpretabuntur, nisi feceris, quem manibus pedibusque, & toto corpore, totâ animâ, omnibus viribus ambitiosi ulciscuntur. Præcipuè hoc faciendum esse erga illos, suadet conversandi solertia, quibus cum familiaritate minimè conjuncti sumus, & erga homines ingenio fastidioso. Sit nobis in animo, sit in conspectu illud Laconum de Alexandro Magno. Sit Deus, quia vult esse Deus! observemus accuratè discrimen NOBILIUM, ex quibus mustei & recentes longè tenerius nomina tituloso que suos tractari volunt, quàm antiquâ stirpe oriundi. Licet fastus iste prope omnes hodie

hodie inundet, etiam pauperrimos, qui solatium sæpè ex pompositsimis quærunt titulis, famam scilicet & famem! qui magnificis se verbis efferunt, & originem suam ex veteri sæpe Testamento & Gigantum familia, ante Cataclysmum universalem, deducunt: instar baculi illius in Comœdia, qui patrē se habuisse aurifabrum gloriabatur: interrogatus deinde: quidnam laboris ad aurificium spectantis insumsisset? respondit, solitum ipsum fuisse lapides calce conglutinare. Si Romanos patres intuemur in historiis, patres gravitatis & modestiæ, non intumuerunt, isto fastu aut collisi sunt, ut hodie frequenter fit, in congressibus; factis atque rebus, quam nominibus, præstare maluerunt. Quæ tamen cum Catonis ævo facta sint, ad nostra tempora infeliciter fortasis accommodes. SAPIENDUM est homini polytropo ad indolem seculi, ut semper in laudum magis, quàm in reprehensionum partem, discursus suos dirigat. Amant omnes hodie sermone exprimi, quemadmodum puellæ in tabula, quæ suæ venustatis typum ac lineamenta pingi volunt, non solum sine nævo; sed etiam sine umbra: nam & umbræ indignantur, quam Symmetria fortè, locique situs, vel ratio luminis exigit. Ut igitur sermone nostro peritissimè pingamus, non robustiore semper penicillo est utendum, quod gravitas; sed delicatiore quoque & blandiore, quod Urbanitas concinnat: transeundum à seriis ad jocosa, à jocis

ad seria, sermonesq; jucundis & tenellis lenociniis aspergendi. SATIETATEM parit, uni semper immori sermoni & immorari: varietas est, quæ delectat plurimum. Quemadmodum amœnissimus ille fluvius, Peneus, inter Ossam & Olympum, collibus molliter curvis, per apparatissimas agrorum delicias mollissimis flexibus oberrat, spectantemque incredibili voluptate afficit: sic tenera sermonis in jocando suavitas mirum in modum homines conciliat. Ostenderunt illud veteres, qui Mercurium in Gratiarum medio collocârunt, quasi sermonem nostrum omni genere humanitatis condire oporteat. Hoc Imperatorem Augustum fecisse legimus, qui se tam lepidum jocando, quam suavem, in sermone sociando, exhibuit. Et profectò, in hujusmodi hominum sermone, castæ quædam Veneres & Gratiæ, non quidem violenter arcessitæ; sed quæ naturæ propensionem sequuntur, pulcrè efflorescunt. Quibus adversantur duri illi homines, qui salebrosos asperosq; nodos, sine intermissione, ubique locorum Severius nectunt, &, dum os in aliquem honestum risum nunquam explicant, naturæ inimicos se ostendunt esse, cum SUMMA ratione credendum sit, naturam homines non effecturam fuisse visibiles, nisi facultatem hanc, cum laude, aliquando exercere liceat. Sicuti austerum vinum gustui non est gratum: ita Saturnini, homines & asperi in conversatione nequaquam ingeniis civilibus proban-

probantur, omnia ferme, instar Davi illius Terentiani, turbantes, reprehendentes, frangentes. Quod cum dico, Auditores, cum perpetuam in Sermone severitatem fugiendam & detestandum esse innuo, nequaquam omnes laudo jocos, ex quibus multi hujus vel illius dignitatem lædunt, multi notant vitia illorum, quibus cum nobis est negotium, quorum quidem non est præmium aliud, quàm periculosa indignatio: multi in allusione & æqui vocatione versantur, qui triviales sunt, indigni propemodum civili homine: multi demum ex rebus deducuntur ejusmodi, ut Ulysse opus esse videatur aliquo, qui cera obstruat aures, avertat animos. Sed absent ejusmodi jocorum futilitates! absint inconditæ hujusmodi ineptiæ & facetiæ! quin potius succurrat nobis semper illud Comici: UT homo est, ita morem geras: familiaritatem gravitate temperes, instar apum, quæ, etsi multum mellis habent, suum tamen inter mella retinent aculeum, ut tam jucundæ aliis, quàm metuendæ appareant. Succurrat nobis illud sapientis phrenoschema: NE QUID nimis. Nam, ut parum aquæ in multum ignem projectæ ipsum adauget; multa verò & copiosa eundem exstinguit consumitq;: ita nimis cumulatæ argutiæ omne decorum tollunt; sed sparsæ cum judicio in sermonibus, & cum delectu interpositæ, vivaciores eos & acceptiores reddunt. Quid multis? Imitemur hîc peritos architectos, qui, in affabrè exstructis ædificiis,

ita feneſtras diſponunt, ut frequentia illarum nihil domus firmitati; neque perſpicuitati raritas officiat, lumenq; non qua forſitan fœtentes viæ patent; ſed ex fragrantibus, odoriferis jucundiſſimisque hortis, & à purgato ac claro aëre petunt. Quod ſi verò inter illos degamus, quibus ingenia videatur obdormiſcere, niſi acutum aliquem & mordacem ſarcaſmum in quempiam contorſerint, & nos eodem tangant aculeo, longè MODESTIORES à prudentibus habebimur, ſi gravi concinnoque ſilentio, aut jucundo riſu retundamus illos, quàm ut, par pari referentes, mordacis dicacitate & amicum abalienemus, & damnum incurramus. Cum autem NIHIL turpius, cum nihil indecorum magis ſit homini vel abjectiſſimo, quàm mentiri ac fallere, ita in civili converſatione noſtra ſunt ornanda colloquia, ne quid in iisdem à veritate alienum effingamus. SICUTI enim apertè vera loqui cum licet ac decet, ingenui & honorati animi: ita vanis indulgere mendaciis, parvi & depravati indicium eſt: quis, quæſo, cum talibus libenter converſetur? ne Faunus quidem ille, ut eſt in fabulis, negocium ſibi eſſe voluit cum homine, quem animadverterat, uno ore calidum frigidumque ſpirare. Et quid, quæſo tales mendaci loqui nugigeruli lucrantur? ut, ſi verum fortè verbum extra dentium ſepta miſerint, nihil ipſis credatur; ſed verus etiam eorum ſermo vocetur in dubium. Si dicendum quod

quod res eſt, MIXTURA falſi in colloquiis plumbeæ ſimilis eſt materiæ, quæ efficit ſanè, ut facilius cuti metallum poſſit; ſed ut ſit vilius, nec tanti, quanti purum, pretii. HAUD ſanè ſcio, an ulla magis hominem commendet virtus in converſatione, quàm ſi verus ubique inveniatur. Tanta inde accedit ipſi exiſtimatio, ut vel ſolus ejus nutus majoris apud omnes fidei ſit, quàm eorum, quorum fides laborat, ſanctum jusjurandum. NEC eſt vitium, quod tanto hominem pudore obruit, quàm ſi mendax appelletur. Appellatur enim eâdem operâ & audax adverſus Deum, & timidus adverſus homines. Deo enim inſultat, homini ſe ineptè ſubmittit, & deridendum præbet, ſæpiusq; evidentiore mendacio captus dimittitur. PRÆCLARE quidem agerentur cum hominibus, ſi cujuſque animi integritatem, ſi in dictis atque factis veritatem non pietam aut depravatam; ſed puram atque nudam intuerentur: aut verò, cum negatum illud ſit, ſi non aliter, quam ſentiret, quiſq; loqueretur: tum ſolo candore naturæ convenientiſſimo omnia conſisterent, omnia perficerentur. Quam jucunda tum & ſolida foret noſtra cum aliis converſatio? quàm ſecuræ collocutiones? quam parum contentionis aut rixarum? protinus rationi cedi, orationi credi poſſet. Sed hæc eſt apud omnes querela; alia apud omnes praxis! QUORUM pectora ſæpe domicilia judicamus fidei, deprehendimus eſſe ſtabula perfidiæ ac pravitatis;

tis; vix uſpiam, propter aliorum technas, ſatis cautum nobis eſt, quas, qui callere docent, ut caveantur, cavent nobis maximè, ne illis ipſis implicemur; ſicut medici peſtilentes venenorum ſuccos dignoſcunt, & conſiderant, non ut aliis nequiter miſceant; ſed ut cognita vitentur aut curentur : ita nobis, in mendacij Schola, verſandum eſt, ut, cum vafritiem vitii peſſimi noverimus, & ab eo abſtineamus, & nobis ipſis quam curatiſſimè caveamus. Ne mentiri tamen judicemus eum, qui ſua occulit, qui diſſimulat, qui conſilia neceſſariâ ſilentio tegit. CERTE, qui latere ſua vult conſilia, diſſimulator aliquando vel nolens evadat neceſſum eſt, cum aſtutiores ſint homines, vel naſutiores potius, quam ut patiantur aliquem in æquilibrio ſe continere. Imò, cum accuratiſſimè diſſimulatores videntur ſibi expreſſiſſe morem pugilum, qui obtutu adverſarii ſe caput petituros fingunt; ictum verò vel in pedes, vel in aliam corporis partem dirigunt, deprehenduntur tamen aliquando, obſervantur tenentur. Et ob iſtam cauſam PRUDENS adhibenda hîc eſt mediocritas, ne in aperiendis, recondendiſque animi noſtri ſenſibus, vel nimiùm taciturni, vel loquaces nimium inveniamur. Ibi enim non rarò, præter meritum quoque ſuſpiciones in nos cumulamus periculoſiſſimas, ut noſtra diſſimulatio erroribus nos implicet, qui ipſum diſſimulatorem illaqueant. Hic autem de veritatis laude periclitamur, cum loquaces plerunque

que mendaces eſſe ſoleant. Non enim ſine cauſa veritatis comitem parciloquium vocârunt veteres, quod nimirum PLURA ſcire, quam loqui hominem oporteat: multa ſecum, pauca diſceptare cum aliis: veracitatis laudem ubique ſectari: comparare ſibi taciturnitatis habitum; diſſimulationis tamen uſum atque ſimulationis exercere, ubi tempeſtivus, ubi neceſſarius, & citra honeſtatis læſionem exerceri poteſt; parciloquium verò nunquam non obſervare. O felices, quotquot, in civili converſatione, hoc ſermonis regimen ſequuntur! O prudentes qui omnia ex virtutis lege diſpenſant! Sermones ad perſonam colloquentem accommodant : ab aſſentationibus eosdem evocant : Urbanitatis ſale rectè condiunt, & ſanctam virginem, veritatem, cum comite parciloquio, ſectantur! Nunquam certè contemtum aliorum incurrent, aut riſum ſardonium; ſed ab omnibus amati, ab omnibus æſtimati, libenter audientur, libenter colentur. Proinde, Vos Commilitones optatiſſimi, (vos enim utraque potiſſimum pectavit oratio,) vos, dedita virtutum cultui pectora ſuaviſſima, cum ab ipſis quaſi Gratiis, ad vitæ civilis uſum, ſitis conformati, ut ſalutari ſermonis uſu, publica amplificetis aliquando commoda, agite quæſo, convertite cupidos oculos & animos ad hoc ſermonis regimen! In limine jam ſtamus Prudentiæ, quotquot Muſis cupidum ſacravimus animum, filum Ariadnæum, filum novem hactenus

ctenus contextum filis atripere, affigere, sequi necessum est. Quomodo enim aliâs, cum Theseo illo, Minotauri fugiemus ingluviem? Quomodo recto pede ingrediemur conversationis civilis labyrinthum, ut omnia vitæ hujus incommoda feliciter superemus? Imò, superatis iis, illud petamus fastigium, ubi omnibus virtutum & Prudentiæ Reginæ cultoribus immortales honores gloria præparat, & ad publicam salutem exornandam manu benignissimâ dispensat.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

MERCURIUS ALTER ET IDEM.

PRorsus nihil abest, quin hoc celebretur titulô Deaster ille, quem & Mercaturæ, & Humanitatis Deum celebrat gentilitas. Alter enim hîc negotiatur, alter ibi meditatur aliquid; & tamen dispertitus nec singendus, nec laudandus est. Vbiq; idem sit, ubiq; totus sit necessum est, ut manu alterâ literas, alterâ merces portet. O felicem civitatem illam, quæ ita eum colit & tuetur! quæ philosophandi & mercandi facultatem simul exercet! mutua est enim opera, quam sibi præstant invicem: illa hujus; hæc illius dici alumna potest: alterutra vigere

vigere nequit sine altera. Tolle Mercaturam, nec quid conservandæ alteri consulet: tolle Philosophiam, quis alteri tam probè moderabitur? FRUSTRA *civitas celebritate mercimoniorum mundum terminat, quæ nondum immortalitatis fulcra cogitat. Fruſtra jactat opum mobile subsidium, si sapientiæ negligit peculium, quod & immotum inter rerum motûs, & inconcussum inter concussiones permanet. Fruſtra pretiosis fatigatur mercibus, quæ famæ amplioris pretium ex doctrinarum pretio non expetit.* TOTUS *esse debet Mercurius, ubi esse debet, necessitatibus humanis, quà mercator, ut prospiciat, & vicissim mercatorem, quà Philosophus, erudiat. Alter scilicet, & tamen idem, & ita sibimet dissimilis, ut, cum est talis maximè, sibi sit simillimus.* TANTO *enim fortunatiùs mercatur, quantô Philosophatur acriùs, tantô latiùs extendit lucra sua, quantô est in audienda sapientia attentior. Quot & quanti Mercatoris hostes sunt, qui ipsum satagunt evertere? de quibus omnibus triumfat operâ Philosophi. Si ille nimium appetit, ab hoc monetur, ne, immodicas sectandô opes, excidat immodicis.* HUNC *rerum esse orbem, ut pauper-tate avaritia: ut lucri nimia cupiditas ignominiâ mulctetur. Infinitum esse, quod petit, qui plus, quam Natura, petit, quæ ad vivendum, parvô opus habet. Dives autem amat esse?* PANICUS *hic morbus est, eorum quoq;, qui facilius vituperant, quam fastidiunt divitias. At,* NON *qui plus corrasit; sed qui minus cupit, dives: sicut non qui minus habet; sed qui nimis cupit, pauper est. Ne pauper ergo sit*

in

in tot divitiis, modestè appetat. Sed habet jam, & cristas erigit; laborat sacrô morbô, quam Heraclitus dicit arrogantiam: ut eò induat minorem animum, suadet Philosophus, quò præjudiciô fortuna major videtur. FLUXA *sunt, caduca sunt, quæ possidet, & temporis munuscula. Affert, auffert illa ocyùs: affluunt, refluũt, iisdẽ prope, quib. mare, æstibus pro libidine iisdem, sed pro ratione utatur. Quid? quod hôc ipsô consolatur eum graviter, si forô cessit debitor: si merces vorax mare sorbuit.* DIVITEM *sat esse docet, qui, cum desint omnia, non deest sibi. Non desperandum illi, qui, egenus omnium, in spe habet omnia. Verti posse Fortunam, rectiùs Vortunam; (pace tamen Grammaticorum) & calidiorem sæpe, Solis instar, fluctibus emergere. Periclitetur rursus, tentet, audeat: sed ut* AUDACIÆ *occurret prudens timor: timorem regat fiducia: fiduciam scientia: hanc recti conscientia.* AD *præscriptum honestatis agat candidè; ad nullius sibi caveat injuriam; sed ab injuria aliorum: fidat quidem; sed cui fidat, videat. Tot exhibet & plura tela Philosophus, quæ aliis non minus inimicis suis opponat Mercator!* MERCATOR, *studiosus quidem pecuniæ; sed sine detrimento melioris studij: parcus, sine sordibus: gravis, sine morositate: liberalis, sine ostentatione, qualem sapientia exosculatur unicè; Euclionem autem quàm fastidit! quàm instigat, ut ex messe, quæ obtingit, aurea, spicilegium egentibus indulgeat!* DEDISSE *illi* DEVM, *ut, quod dedit, per eos reciperet, quibus minus dedit: favisse liberalitati, ut liberalitate pari alios quoque foveat. Meliora Duci*

Sapientia, ut fas est, donet spolia, relata ex tot hostibus. Longè plura dat, quam accipit, & plura tamen semper retinet, quam dedit. Discite hinc Mercatores, quam bona vestra distent bonis sapientiæ! ne distent tamen, etiam cum distant, ipsam illam vobis jungite. Formet ea Vestra dicta, facta, mores: vestros cursus dirigat, quos cũ hinc indè tenditis, eandem simul, cum Græcorum sapientibus, extendite. à contemtu, à barbarie, à fame, hostibus pessimis, asserite. Sic veri eritis Mercuriales: sic verus inter vos vigebit Mercurius: sic integra illius erit gloria, quæ sapiendô & mercandô constat, & verè audiet communis Deus, qui divina & humana omnia, cœlum, mare, terras complectitur. Talem semper habuerunt meliores populi: talem habet RIGA *nostra, illa Mercaturæ sedes, illa ædes sapientiæ, inde dudum gloriosa, quod veram sibi gloriam à literarum perennitate vindicat, ut, quæ custos omnigenarum mercium, literarum quoq; fida nutrix audiat: quæ tot provinciarum in circuitu ærarium, sapientiæ thesaruos quoq; eroget: quæ suos liberos adutrumq; educat, veri illius Mercurij, qua & alter, & idem totus est, benigna hospes, alumna, sustentatrix. De quo nuper duas meditati sunt Orationes duo Iuvenes Ornatissimi,* GEORGIUS von Damm/ & JACOBUS Lüdinghausen/ *Rigenses, quorum alter, acuendi melioris genij causâ, probaturus est: Mercurium, quà est mercator, seipsô, quà in literis versatur, præstantiorem esse: alter, veritati commodans industriam, invertet ejus tela & evertet. Dissidebunt; sed amicè, & cum videbun-*

tur Mercurium divellere, magis unient, ut, alterum fistendô, eundem totum cultoribus exhibeant. Quorum cum tot habeat hæc urbs, quot cives, omnes, quibus commodum, officiosâ mente invitamus, ut d. 11. Decembris conflictum istum amicâ & spectabili præsentiâ suâ ornare ne graventur. Dab. in Museo, d. 5. Decemb. 1645.

PRINCIPATVS MERCATVRÆ.

ORATIO

QUanquam multa in creatis rebus sint & varia, quæ homines in admirationem sui possunt rapere: nihil tamen est admirabilius, quàm illa ipsa varietas, quàm multiplex naturæ, suas opes explicantis, industria, ad consummandam mundi pulcritudinem adhibita. CUM enim nihil in hac universitate ita sit exactum undique, quod non defatiget tandem contemplantem, ipsa diversorum ornamentorum artifex alia atque alia venustatis protulit specimina, ut semper delassati animi, novitate rerum improvisâ, reficiantur. Ita regiones aliquas montibus ornavit: aliquas deduxit in planitiem. Has æstu torruit: illas damnavit ad frigora, alias, nec æquali tamen genio, temperavit. Quid dicemus de hominibus, quorum causa cæterarum rerum omnium ornatus institutus est? nonne potissimam in iis hujus varietatis

tatis venustatem ostendere natura voluit? Sive enim tot habitibus distincta eorum respiciamus corpora: sive tot in animis affectûs variabiles, ubique admirationis est materia, in primis verò, si diversos attendamus, imò adversos planè, impetûs, quibus quisque rapitur ad illa studia, ad quæ singulariter aptus natus est. Annon quos in emendis vendendisq; mercimoniis, negotiosa occupari vult indoles ii destinatam sibi operam facilè cognoscunt, & suscipiunt? Annon eôdem studio feruntur, quibus potior armorum strepitus, aut quos vigor mentis Musis consecravit? Quid multis? SINGULÆ animorum species, præeunte naturâ, distinctas atq; varias sibi classes adornant. Et hinc ordinũ in civitatibus exsistit varia diversitas, diversa varietas, eò ampliorem ipsis gloriam concilians, quò est florentior: eò magis commendans autorem, naturam, & hujus imitatores, quo pluribus commoditatibus Rempublicam exornat. Quod artificium naturæ, si in hac quoque LIVONUM METROPOLI, in hac patria nostra, requirimus, duos præcipuè diversos nobis, Mercatorum scilicet & Literatorum, proponit ordines, nec eam minus Mercurii sedem, quam Palladis ædem esse ostendit. Et cum uterque loco huic singularem utilitatem pariat & gloriam, ut non facilè liceat decernere, cui primæ ex iisdem partes tribuendæ sint, constitui cum animo meo, exercitii gratiâ, Auditores, mercaturæ causam impræsentiarum

tiarum agere, & solido, ut spes est, argumentorum robore firmare, principatum ipsi supra literaturam, contrà quàm fit hodie, ab omnibus naturæ matris judicium, totius mundi consensum, inæstimabile per omnem vitam commodum respicientibus, deferendum esse: Nec enim alia, quæ inculcari possent, movebo tædiosiùs, ne attentionem vestram atque gratiam, quam humiliter & officiosissimè imploro, vel offendere velle videar, vel periclitari. Et ipsa quidem mater omnium, NATURA, mercatorum causam acriter persequitur, cujus sapientissimum hoc & antiquissimum institutum est, ut PERMUTATIONIBUS civilibus vitæ nostræ sublevetur indigentia, quarum sine adminiculo ne vita quidem esse possit, aut vocari. Homines creavit Deus; sed ut sibi mutuis prosint studiis: regiones separavit; sed ut institutis mercatibus copulentur: diversis bonis diversa loca ornavit; sed ut negotiantium operâ, quod alicubi est, ubique haberi possit.

HIC segetes; illîc veniunt feliciùs uvæ,
Arborei fœtûs alibi, atq; injussa virescunt
Gramina. Nonne vides, croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua tura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, virosaq; Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum.

Ne igitur, sub egestatis onere, periclitetur humana

humana societas, quam dominam totius universitatis esse voluit Creator optimus, ministram fidelissimam Naturæ, mercaturam, constituit, rerumq; ab ea inchoatarum opera mercatoribus consummanda tradidit, illustri prorsus argumento eminentiæ, ne adventitium quid, & supervacuè assumtum; sed in ipso veluti naturæ gremio conceptum, longeq; omni literaturâ vetustius bonum, mercaturam judicemus. BONUM certè, quod augusta rerum parens, natura, suâ quasi manu nobis dispensat, majus est & excellentius, quam quod, citra illius imperium, ab hominibns adsciscitur; id quod cum literaturæ tractatione factum esse, ex ipsius cultoribus constat. Et quis hanc innatam nobis asserat? quis subolem naturæ, sine veritatis indignatione, appellet? Recens profectò inventum ipsæ sunt literæ, unde Literati nomen habent. Si famæ libet credere, floridissimus ait Curtius, Gens Tyria literas prima aut docuit, aut didicit. Et quinam sunt natales Latinarum literarum, quas eruditi tantopere, ceu peculium suum, jactitant? quibus triumfant? quibus anteire mercatores vel inprimis gestiunt? Fœminæ eos debent, Nicostratæ, Evandri matri, ex Arcadia in Italiam profugæ, quæ commenta eas primum est; Dionysius deinde Licinius in Syllabas coire docuit, Scilicet, nisi Literati hinc exstitissent, qui primatum suo ubiq; vindicarent ordini, collapsa forsitan fuisset orbis hujus felicitas, excisæ spes

& res mortalium, quæ sine nobilissima sustentatrice sua, mercatura, nunquam; diu tamen sine doctis atq; priùs viguerunt, quam nomen eorundem ullibi audiretur. Et unde, quæso, postmodum acceperunt suam eruditi supellectilem, quæ sapiendi atq; eloquendi facultate absolvitur? nonne à mercatoribus? Quib. hanc ob causam veteres ingeniosissimum Deorum Mercurium, illum sapientiæ ac eloquentiæ autorem, præfecerunt. DISCERNENDO quippe quæstum honestũ à turpi, merces probas ab improbis, fucum à colore nativo, rectè sapiendi: commendando autem lenocinio verborum extrudendas merces, eleganter dicendi fundamenta sive posuerũt, sive ostenderunt. ACUIT nim. ingenia lucri spes: spem excitavit utilitas: utilitatem cõmẽdavit indigentia, quæ per varios usus exercita, artẽ fecit non uno modo rem faciendi. Decantata illa in Scholis Phil. Justitia commutativæ appellatio, nonne est à negociatorib.? Sed quid lusoria tela spargo? decretorii opus est, totus mundus primatum mercaturæ judicio suo, decernit. Quæ hominum natio, sive adhuc barbara & immanis, sive exculta disciplinis atq; artib. emendis vendendisq; mercimoniis carere potest? nullam invenietis ullibi, quanquã Solem ipsum, perquirendi gratiâ, comitem assumseritis. Nullum populum invenietis, qui universales illos indigentiæ humanæ curatores non imploret, ut SI quis mercaturam sustulerit, parentem siderum de mundo sustulisse videatur. Quã n, ille operã de cœlo præstat hom.

hom. hanc in terris mercatores: nutrius carere subsidio potest nostra necessitas. Quis Lit. hoc de suo ordine, de sui ordinis cultoribus asserere audeat? Exspatiamini mecũ, si placet, Audit. in Asiã, in Afr. in Americ. interrogate fortissimos Persas, quorũ vim Rom. olim potestas extimuit fama cũctis laùdandã & formidandã proposuit: interrogate validiss. Turcas, metuendũ Christia. populũ: aut vicinos saltẽ nostros, Mosco. utrum mercatorib. an Lit. formidab. imper. potentiã, constans regimen, publicãq; felicitatẽ debeant? Quid dicã tantũ abest, ut illã Lit. se debere dicãt, ut boni potiùs magni loco habeant, nullũ sibi cum Apolline & Musis coñerciũ intercedere: nullos inter sese Lit. inveniri: nullos sive ad judicandas lites, sive ad tractandas causas publicas admitti, sicut hanc eorũ mentẽ in Lydio lapide (ut vocat) Polit. Trajanº Boccal. expressit. Cum n. vitio verteretur, ab imperiorũ censore, magno Moscoviæ Ducatui, ℘, uni mercaturæ intentus, liberales artes alto spernat supercilio: respondet ille: se observâsse, ex lit. studiis, quib. ea locis viguissent, terribilia oborta incendia: eò se edoctũ, ne odiosas illas dissidiorũ favillas spargeret. STUDIIS abduci hom. ab indita naturæ simpl. quæ obedientiss. faciat, ad multiplicẽ versutiã, ut difficulter in officio à superi. contineri possint. Sicut grex oviũ, licet num. ab uno facilè pastore gubernatur; paucis. vulpes quotusquisq; redigetur in ordinẽ? ita & Prin. facil. imperare possunt ignor. myriadi, & qui nullo doct. apparatu

instructi, quàm centum Literatis, qui studiorum tractatione, ad regendum magis quàm obediendum, sagaciter exstimulantur. Non disquiro hîc solicitè, Auditores, utrum ad amussim deritatis hęc exacta sit per omnia assertio, quæ tantum literis intimat exilium, ne, Herostratinæ æmulus audaciæ, imitator nequitiæ, templo Ephesinæ Dianæ facem admovere, hoc est, totum eruditæ gentis cœtum mundo ejectare velle videar. Absit hæc à me temeritas! absit vesanus impetus! maneant, colantur, laudentur studia; sed ita, ut primas cedant mercaturæ, nec invertant constitutum sapientissimo naturæ gentiumque judicio ordinem: quod factum hactenus occasionem, nisi fallor, dedit trito illi apud nos adagio, ut Literati perversi, eleganti, in vernacula nostra, paranomosia, die gelehrten/die verkehrten/ nominentur. Quod tanti semper fecit vir DEI, B. Lutherus, veritatis Evangelicæ restaurator augustissimus, ut inter aureolas supra regium Prophetam, Esaiam, notas referret, & non rotundè minùs, quam verè dictum esse, testis omni exceptione major assereret. Si daretur, quibuscunq; vultis, regionibus, provinciis, popoulis, sive jam exculti sint Musarum dotibus, sive sub barbarie adhuc hæreant optio, ut vel mercaturam eligant, aut amittant, vel literaturam, nullum, sine omni dubio, invenietis, qui hanc illi prælaturus sit. Quin potiùs, sine literis se vigere, se florere, se valere posse, clamabunt omnes felicissimè:

mè: Sine commerciis nihil minus. TANTO nempe universi Orbis assensu cariores sunt, qui in tabernis, in portibus, in foro negociantur, quam qui in Cathedris, in musęis suis, in studiis multa muginantur, multa meditantur. Quodsi cui dubium est, prodeat, ex innumeris, in medium parens illa & nutrix Doctiorum, (ita Lipsius Italiam nominat,) & suo ipsius exemplo meam hanc assertionem firmet, ut judicare possitis de omnibus. Nisi mercaturæ beneficio sustentaretur, quanquam plena esset Virgiliis & Ciceronibus, Pliniis & Platonibus, &, quoscunque nominare licet, Literatis, tristi fame sine dubio & inedia periret, quod & magnus alicubi Tacitus innuit. Sed annon suas etiam dotes ibi dispensat natura benignissima? obvertat quispiam: annon fruges necessarias suppeditat? Suppeditat quidem, dispensat quidem; sed quæ potiùs ad voluptatem, quàm ad vitæ necessitatem sufficiunt. Frumento enim, ab exteris advecto mercatoribus, potissimum vivit, ut non sine causa existiment negociorum publicorum censores, quod mercatorum curis atq; casibus Italiæ vita permissa sit, qui, si inde arceantur, cum toto, licet selectissimo, Doctorum exercitu miserrimâ clade, qualis est fames, conficeretur. Intellexerunt hoc superioribus annis Proceres Turcici, imperatori suo Amurathi, post res in Persia compositas, quò arma verteret, ambigenti, suadentes: pluribus partibus, eodem tempore, maturâ jam

messe, vim in Italiam faciendam, & mercatu
ram exterorum inde avertendam esse: ita, ni
mortem exspectare velle tab inedia, populis i
urbes compulsis, annonâ deficiente, ipsius fa
cilè succubituram potentiæ. Vix enim ac n
vix quidem in pace, cum per otium messis col
ligitur, eam ad alendos suos incolas sufficere
& aliunde frumentum, difficillimis subvectio
nibus, ex Oriente & longinquisad Septentrio
nem positis regionibus, coëmere. Quod er
go vitam hanc transigimus, mercaturæ bene
ficium est: quod bene transigimus, corpusq
hoc adversus aëris incommoda, adversus tem
pestatum iras defendimus, sustentatricis mer
caturæ beneficium est. Quid nobis, quæso
ad talia literæ? quid disciplinæ? quid studia
quid Civitas, ad abundantiam licet literata &
docta, literatorum etiam sedes augustissima, u
Athenæ olim, & nunc Noriberga, sterili soc
condita, sine commerciis præstaret? Et tanc
quidem major est tractantium ista præ Literati
dignitas, quanto major est necessitas, cujus a
stateram nõ immerito, judicia nostra atq; acti
ones expenduntur. Non mea; sed totius mun
di vox est: MERCATURA carere nulla omni
no potest Respublica, si, quod est, esse & mane
re velit, potest facilè literis, quas potiùs ad de
lectationem multæ adhibent, & hujus quasi lor
ti cujusdam Homericæ dulcedine capiuntur
quam quòd tam necessarias existiment, ut mer
caturam, universale illud inopiæ humanæ le
vamen-

vamentum, quod in certamine de primatu vel
hanc unica de causa omnibus humanæ vitæ sta-
tibus & ordinibus, ceu alumnis suis, palmam
præripit, certè ambiguam facit. Quid enim
alit eos omnes? quid sustentat? nonne merca-
tura? Quibus præsidiis fulciuntur aulæ Regum
& Principum? nonne reditibus mercatoriis? Ex
literis nulla speranda sunt ærariis vacuis subsi-
dia: unde Civitates præcipuæ vitam, florem &
famam accipiunt? Interrogate ad æternitatem
conditas Venetias, Genevam, Amstelodamum,
totam Bataviam, aut in fastos veterum, qui
pleni sunt exemplis illis, pergite? Interrogate
hanc Livoniæ metropolin, patriam nostram,
ne evagemur latiùs? unde tot ornamenta, tot
decora? Sine dubio ex eo, cujus defectu flori-
dissimæ antehac civitates Vismaria, Antver-
pia, ne de aliis dicam, magnam felicitatis de-
minutionem patiuntur. FLORENTE mer-
caturâ, florent in Rebuspublicis omnia; de-
ficiente eâ, deficiunt omnia, cum agendarum
rerum nervi deficiant, unde omnis compages
miserè solvitur, & diffluentibus à se membris
labem facit. Nihil horum præstant bonæ
literæ, quæ ipsæ causo à mercatoribus submi-
nistrato, aluntur & vivunt, exsangues sine iis &
aridæ. Unde pacis ornamenta? unde belli
subsidia? Quid quærimus? quærite ex locu-
lis mercatorum, vel eos potius quærite: inde
depromuntur omnia, quod veritatis meridies,

expe-

experientia, satis ostendit. Certè dix ovum ovo tam simile apparet, quàm magno mercatura oceano. Sicut enim ex eo, totum mundum circumambiente, infinita passim derivantur flumina, quibus terra hæc, ad usum nostrum, & irrigatur, & fœcundatur: sic argentei ex mercatura aureique, ut sic dicam rivuli descendunt undique, quos omnes omnium ordinum homines sitiunt, omnes appetunt. Nostisne, Auditores, quodnam, & quantum, & quale sit mercatorum officium? Dicam vobis. Sunt genuini & perpetui thesaurarii potentissimæ Orbis reginæ atque dominæ, Pecuniæ principis rerum mundanarum felicissimæ. Proinde, si nummariam Respublica opem postulat, gravem illi ære sinum solvunt: si juvenum egestas, ad continuanda studia, subsidium quærit, stipem porrigunt: Si conferenda in benemeritos præmia, res domi ampla, ex commerciis benefaciendi copiam præstat. Quid hi Literati? quorum nonnulli, priscis temporibus, eâ vexabantur animi ægritudine, ut mercaturam scilicet in contemtum abducturi, in solo animi cultu omnes suas opes deponerent, nihilque auri argentiq; pretio, ceu æterni pecuniæ hostes, deferrent. Sed O misselle Crates! quàm infructuosa tua fuit, inter Thebanos, institutio, quæ nullos sectatores educavit! Solus pecuniam in mare projecisti: nullus ab eo tempore, gloriam tibi istam vel invidit, vel præripere voluit, nec quisquam hodie, ni

me fallunt omnia, invenietur. Laborant quidem multi Literati, mercatorum patrocinio se eximere, ne illis subsint, aut pecuniam necessariò requirere ad studia videantur. Advocatum assumunt Senecam, qui, virtutem omnes admittere, nudo homine contentam esse, dicit; sed, quod pace dixerim boni Stoici, multum cum eo delirant. Certè, si nudum hominem virtus admittit: si citra mercatoriæ pecuniæ præsidium comparatur eruditio, cur tantis facultatum dispendiis utraque acquiritur? cur tantus potiundæ illius causa sumtus insumitur? Testor vos ipsos, Auditores, qui sensistis, qui feciſtis. Cur plebeiæ inopiæ ad præruptas Musarum habitacula plerumq; aditus obstruitur? Labore quidem veneunt præstantissima doctrinarum bona; sed non minùs pecuniis. VIX quisquam aut arduas de eruditione, de virtute cogitationes suscipit, aut feliciter in ullius Schola versatur, quem acerba domi egestas cruciat. Frangitur deficitq; ingenium, molesto paupertatis onere gravatum. Quemadmodum vano conatu alas movet graculus; pedibus funiculo illaqueatis: ita irretitus inopiâ animus enitescere, lucemq; de se fundere nequit. NON facilè emergunt, quorum conatibus obstat res angusta domi! Mercatores autem, si centies mille sestertiûm in censum deferre, si divitiarum splendore illustrem fortunam profiteri possunt, quam ubique eminent! Ad decimum quartum Orchestræ gradum, summos-

ſammoſq; ampliſſimi honoris apices, etſi nullo natalium honore commendati, univerſi cœtûs applauſu, promoventur. Quantas, Deum immortalem! laudes mercatorum ordini conciliavit Florentiæ Coſmus Medices ſenior! ad quantam majeſtatem, nobiliſſimæ mercaturæ adminiculo, ſeſe extulit & familiam ſuam? quantos honores conſecutus? quam feliciter, cellectis inde maximis divitiis, magno Hetruriæ Ducatu, oppreſſa libertate patriæ, potitus eſt? Ex cujus poſtmodum familia Romani Pontifices & Heroës glorioſiſſimi orti ſunt quot nunquam ex tractatione literarum extitiſſent. Eant hic mercatoriæ dignitatis hoſtes! eant falſis occupati ſententiis negociantium contemtores, & nobilitatem mercimoniis contaminari clamitent! Ne multo enim hic verborum ambitu diducam, opinionem hanc non tam ex veritatis, quam ex arcanorum principalium Schola prodiiſſe, ne, accedentes ad alacritatem nobilium animorum divitiæ, debitam Reipublicæ fidem labefactent, prout hæc profundiùs rimantur civilium rerum conſulti? in Romana quidem Republica, unde rerum judicandarum exempla petuntur à Politicis, Principis Oratorum Ciceronis ævo equitibus mercatura non fuit prohibita, ne totas Hiſpanorum, Italorum, Anglorum nationes, ubi & Comites, & Principes mercaturam exercent, afferam, quæ omnes meam hanc ſententiam & mercaturæ eminentiam ſolidiſſimè confirmant,

confir-

confirmatam ad oculũ demonſtrant. Quid obluctamini exemplis tantis, audaces quidam Lit. quid inanibus ſermunculis, adverſus iſtam conſuetudinem, dentes acuitis? NIHIL profectò eſt injuſtius, ut elegantiſſimus loquitur Barclai', quàm dãnare, quæ ipſi nõ facimus, ſi præſertim totæ gentes in illa conſenſerint. Quod ſi tamen ita ſordet nonnullis Philoſ. mercandi facultas, cur & adhuc hodie ex ipſis ſunt, & olim plurimi fuerunt, qui animos ad ejus ſtudium applicuerunt? Citetur teſtis, ex Athenienſium Republica, graviſſimus legislator, Solon, qui, laudabili commercio, res varias tulit ad exteros, & viciſſim fecit, ut exotica viderent cives ſui. Cujus vitam cum enarrat, Plutarchus, eò, inquit tempore, mercatura glorioſa erat, cujus operâ cum barbaris conſuetudo, cum regibus amicitiæ contrahebantur. Citinibus, teſtis ille, oraculo Apollinis; ſapientiſſimus Socrates, qui & facit, vendendiq; in Græcia rebus variis, gratiam apud ſuos, gloriam apud nos, ſuo meritiſſimo, lucratus eſt. Citetur teſtis Deus ille, ut vocatur, Philoſophorum Plato, qui divinas inter meditationes, olei venditione, nobilem in Ægypto quæſtum fecit, & omnes nobis non obſcurum facient indicium, quâ tantopere præſtabant, SAPIENTIAM, mercaturæ exercitio, ceu nobili coronide, ornari. Proinde noluerunt ditiùs, in ſolo literarum ſtatu, poſſidere famam & famem, cognata ibi nomina: noluerunt cum multis eſurire magnificè, laceris veſtibus,

ſqua-

squalido vultu, cordidâ barbâ disputare in murium collegio, in dolio scil. cum Diogene, & aliis, qui in eo omnem dignitatis suæ cardinem verti existimant, quod ex sua quadam philosophia se miseros esse non sentiant. Ineptissimi homines, ne quid dicam gravius, & digni, qui cum Cornelio suo, hereditario propemodum studentium hospite, inter perpetuos curarum cruciatus morentur aut moriantur. Ad mercaturam vos, ad mercaturam conferte, & convertite, quibuscunq; lautiùs victitare, hilariùs vivere, deliciis circumfluere inter præcipua votorum est! Illius demum cultores verâ vigent jucunditatis supra doctos gloriâ. Beneficio pecuniæ omnibus imperant, quibus fortè, contra æquitatem, subesse coguntur: ad omnes facilè dignitates, eâdem promovente, possunt evehi. Illa est magnæ matris naturæ, in sustentanda hominum societate, socia, omnibus vitæ ætatibus, omnibus mundi statibus necessaria suppeditans. Ab omnibus colitur, exercetur, præfertur. Sine ea omnes hærent, & algent, & esuriunt, & elanguent, sine ea intereunt. Quid horum mihi asseres de literis? MERCATURA flos mundi est, & salus ejus felicissima, ornamentum humanorum ordinum est. Revocanda ubi exsulat, si tamen alicubi exsulat, sustinenda ubi nutat: ubi viget, laudanda, honoranda, veneranda, cum non sine causis, quas attuli, gravissimis à magno Heturiæ Principe, Laurentio Medices, caput nominata

minata sit, unde robur atque nervi in Rempublicam, felici cursu, derivantur.

PRINCIPATUS LITERATURÆ.

ORATIO.

QUod inter plerosq; usu frequentari videmus, ut eorum, quibus cum Oratione contendunt, variis modis perstringant sententiam, quò majus robur argumentis suis, apud Auditores, expalpent, illo etiam me nunc usurum esse, tacitâ fortassis cogitatione, suspiamini: sed abstinendum mihi est ab ista consuetudine, cum de primatu ordinum duorum, in hac civitate præcipuorum, contenditur, eò quod NIHIL esse possit rei alicui publicæ nocentius iis vocibus, quibus ordinum fovetur inter ipsos altercatio, & illud quæritur, non, ut quam amicissimis inter se animis cives vivant; sed ut pessimis quibuscunque modis singuli reliquos præ se contemnant, sugillent, calumnientur. Imprimis verò, præsentis causæ, quàm agendam hodie suscepi, sanctitas non patitur, ut vel mollior argumentorum ornatus, vel quicunq; simulationis colores ac specimina, ex sophistarum myrotheciis, huc adducantur. De Palladis enim dignitate supra Mercurium, de Literatorum super mercatores dicam eminentia; nihil tamen omnino meritis Mercatorum detracturus

tracturus laudibus, quæ non sunt exiguæ; se
hoc unum acturus, quod & ipsis illius ordin
cultoribus displicere non poterit, ut ostendam
tantum abesse, ut allatæ prædecessoris mei r
tiones ipsos in fastigium evehant, ut potiùs l
teratis non parum inferiores esse ostendant. I
ergò, ipsorummet telis ; sed inversis cont
ipsos pugnaturus, spem mihi facio certissimam
vos, Viri Domini, Literarij Ordinis lumina
columina, vos, pro communi causa, incondit
licèt, perorantem, attentione vestrâ usitatâ pro
secuturos esse, cum tam benigna se hîc offera
materies, ut etiam in dicendo infantis trium
fare possit Oratio. CUM universis vitæ no
strææ actionibus ille sit scopus præfixus, non u
quam plurimum possideamus; sed ut quam ho
nestissimè vivamus, in primo statim limine o
fendit Mercatorum advocatus, quod ex com
modiori potissimum discescendi ratione, quam
Mercaturæ præ literis fortassis non denegave
rim, principatum adstruere laborat. Sed in
hac palæstra vehementer extra oleas & sept
cursitant, qui ita cursitant. Quid enim hîc di
sceptare attinet, num Mercatura sit colendâ
urgenda? Commendanda? Sonorâ voce affir
manti assentimur. Hic verò est Rhodus, hîc
est saltandum, erudiri cupimus ; annon a
communem vitæ atque honestatis scopum li
terarum magis, quàm mercaturæ cultus dedu
cat ? unde postmodum, sine ullo difficultatis
metu, uter ordo principatum obtinere debeat,
eluce-

eluceſcet. HÆC enim literarum laus eſt propria! hæc Victoria! hic triumfus, quod ſeges quædam Virtutum uberrima ex ipſis pronaſcatur, adeoq; longè auguſtius utilitatum ſuarum fontes diffundat. Unde, quæſo eſt illuſtris diſciplinarum, animos noſtros ex ignorantiæ tenebris educentium, gloria? Ex literatura? unde cultura virtutum elegantiſſima? Ex literatura, QUÆ in animis noſtris igniculos honorum atq; laudis excitat, quantus ſit in honeſtate ſplendor, quanta ſit in vitiis deformitas, exponit, omnem ſtatum, omnemq; ætatem docet, ac ducit, &, ut vivant, eum jam deſierunt vivere homines, ut poſtquam fuerunt, quod fuerunt, adhuc conſpiciantur, ſola efficit, & ultimæ feliciter memoriæ ſiſtit. Sed quid iis immoror, quæ, in menſa Solis, omnium oculos atque animos feriunt? Videamus potius allatorum argumentorum aciem, quæ adverſum nos educitur, & contemplemur accuratiùs armorum vires, utrum pro Mercatorum eminentia rectè militent? Miror profectò, quod ex naturali inſtinctu illius ordinis gloriam peti poſſe. Anteceſſor meus exſiſtimet; qui tamen ne tantillum quidem laudis rebus conciliat, niſi alio bonorum comitatu ſtipatus, ut in vitioſis actionibus videre eſt, neq; ruſticos minùs ſupra mercatores, quum alios extollit, neque in literarum tractatione deſideratur. O infirmam ergo frontem hujus exercitus! Quid enim Auditores? annon velut extripode dictum ſcimus à

Philosopho: OMNES naturâ scire sive liter
eruditi desiderant? Quod non omnes eruditi
tur, mirum non est, cum nec omnes mercen
tur: TRAHIT sua quemque voluptas, hom
nesq; impedimentis plusculis meliorem sæpiu
naturæ impetum retardant, vel suffocant. Qui
quod excellentius judicandum sit, quod no
tam naturæ impulsu fertur; sed exactiorem ra
tionis usum postulat, quam laudem literato
rum ordini præ aliis omnibus deberi, qui ne
gaverit, eum, rectæ rationis inopem in profun
da rerum nobilissimarum ignoratione versar
necessum est. Sit igitur Mercatura indigenti
humanæ ministra antiquissima, quod tame
ruris cultores non concedent, quorum ordi
nem Adamus cum ligone suo, ut loquuntur, a
spicatus est: sit naturæ famula, sit rerum corpo
ri necessariarum pararia felicissima, modò n
sit literarum Domina, quæ longè sublimius mi
nisterium, ad perficiendam animi nostri cultu
ram, præstant, illumq; efficaciter & informan
& perficiunt. Unde tantò majorem quoqu
necessitatem earundem licet colligere, quant
major est excellentia animi, cui ipsæ, quàm cor
poris, cui mercatura inservit. QUID enim
aliud Doctrina literarum, quàm bonæ menti
sana constitutio? quam singulare alimentum
animi? quam lumen atque custos hominis, ips
usque vitæ vita? Ut aspectus à circumfuso aëre
lumen accipit; Sic animus à doctrina literarum
NULLUS hominum literarum carere præsidi
potest

potest. Pueres? Literæ te juvant, salubrium monitorum face prælucent, præceptorum necessariorum succo, non sine honestissima jucunditate, mentem complent, & beatè vivendi, & benè dicendi rationem edocent. Adolescentiæ robur adeptus est? Literæ te juvant, animi perturbationes & affectus, à quibus, excussio rationis imperiò, agitaris, quibus indulges, capistrant, mores corrigunt, actiones dirigunt, Reliquas vitæ tuæ ætates attingis? Literæ te juvant, omnes appetendæ honestatis vias monstrant, omnes turpitudinis fugiendæ modos docent, utq; omnia, quæ tibi expedienda sunt, aggrediaris expeditissimè, assvefaciunt, rebusq; tandem præclarè gestis immortalitatem donant. Sed quid novi audio? Mercatura Magistra literaturæ est? Nihil minus! contrarium testatur veritas, & vestra, Negotiatores optimi conscientia: Philosophus vester Magister est, vester præceptor, & salubribus sapientiæ monitis nos componit, ut, inopinato lucro aucti, vobis temperetis ab insolenti lætitia: ut audaciæ, in exponendis mercibus, occurset prudens timor, timorem moderetur fiducia, fiduciam scientia, scientiam recti conscientia. QUIS, non observatis ejusmodi Philosophiæ monitis, mercari potest feliciter? Illa, non esse temerè spondendum, docet, cum noxa præstò sit: fidendum esse; sed videndum cui? non omnia emenda esse, ne mox necesse sit, omnia rursum vendere: cavendas esse fœ-

nerationes; quę in societatis publicę perniciem comparatæ sunt: cautos admodum esse oportere in nominibus & syngraphis: quanquam enim in tabulis mille addas cautiones & juris laqueos, quibus debitor constrictus teneatur, omnia tamen eludet versutissimus Danasippus. Fiet aper, modò avis, modò sursum, &, si volet, arbor, &, in jus vocatus, alienis maxillis ridebit. Quod si excutienda magis hæc quercus esset, Auditores, excutiendum sanè esset: quis de tota mercatura præcepta tradit? quis sordidam ab opulenta, tenuem à copiosa distinguat? quis, depromtis ex jure naturali, gentium, civili, canonibus eam universam ordinet? Politicus est utique illius disciplinæ cultor, quam architectonicam vocavit Aristoteles. Quis mercantibus non minus, quàm jureconsultis, sua ista principia largitur: honestè esse vivendum, alterum non lædendum, suum cuique tribuendum? Philosophus Ethicus est. Quis docet, in commutationibus vel rerum cum rebus, vel rerum cum pecuniis, vel pecuniæ cum pecuniis, rei familiaris habendam esse rationem sedulam? quis familias exhaurire, nomina facere, rem fidemque consumere vetat? Philosophus Oeconomicus est, ut neminem tam à recta ratione alienum, tam judicij sanioris inopem, tam tardum & bardum esse judicem, qui non manibus propemodum palpet, Philosophum Mercatoris præceptorem esse, & tamen, ô absurdam agendi methodum! discipulus vult

vult esse supra Magistrum? Quantum ex Geographia, ad rectè suscipiendas mercatorias profectiones: ex Physica, ad noscenda bona curvis loco propria: ex Astrologia, ad discendas tempestatũ, varietates: ex Meteorologicis, ad distinguendos ventorum ordines, à negotiatorum amasiis utiliter discatur, dies me, non materia deficeret, si enarrarem pluribus; & tamen, si credere fas est, major est mercaturæ, quam literaturæ necessitas, cum hæc sine illa; non illa sine hac florere, sicut debet, possit. Intellexerunt hoc Mitylenæi sagacissimi, cum maris essent adepti regimen, sociis; qui deficiebant, sane pœnam imponentes, non ut à mercimoniorum cultu desisterent; sed ne liberos suos docerent literas, aut artes liberales: OMNIUM suppliciorum hoc gravissimum existimantes, in inscitia & ignorantia virtutis ac sapientiæ vitam transigere. Similiter Julianus lege sancivit, ne Christiani literis humanioribus instituerentur, non ut mercaturæ valedicerent, quam utiq; non tam necessariam Imperator laudatissimus (si apostasiam excipias,) censuit. Quid? quod forsitan, si prima respexerimus mercaturæ incunabula, de tanto necessitatis titulo non possit tantopere gloriari. Unde enim potissima? à luxu certè & mollitiè quadam temporum introducta est, postquam domestica sordere cœperunt, nilq; nisi peregrinum his vel istis placuit. Non ex fermis pellibus ampliùs, aut pecorum lanis, quæ in nostris

regionibus obviæ; sed filis servis, ex ultima India advectis, vestes contexi cœperunt: non ampliùs vasis testaceis; sed aureis argenteisq; homines voluerunt immergi: nihil, nisi rarò conditum aromatibus, sapuit, ut INTEMPERANTIA gulæ, & luxuries vestium multos mercatores effecisse videantur. Frumentorum negotia tractant rustici, qui eodem, imò longè efficaciori, necessitatis argumento eminentiam suam possent eum opificibus propugnare, quam, utrum ipsis mercatores tribuere velint, priùs ipsi decernant, quàm literatis illud toties obvertant. Sed novum video arietem; toto orbe sparsi mercatores dicuntur? quanti vobis, Auditores, videtur? quasi vulgares lapides, rarioribus gemmis præstarent, aut araneæ copiosissimæ bombycibus tarioribus. Imò RARITAS conciliat rebus admirationem, quæ ubiq; obvia, crebritate suâ vilescunt. Fortassis ipsi Mercatorum sapientiores tantum examen optarent minui, ne debita ordini isti gloria, cum ingenti multorum damno, adhuc magis periclitetur. QUID enim illa copia, nisi inopiam generat? dum alter interverit commoda alterius, ut neutrius demum felicitas rectè promoveatur. Sed quò nunc ablegamur? In Asiam, in Africam, in Americam, in regiones barbaras, quæ, quod literas non dignè æstimant, barbarè, imò, quod Grammaticorum pace dixerim, barbarissimè factum, quis nescit? Nihil inde laudis Mercatores sibi lucrantur. Audiant

diant potiùs, quod totum, in Parnasso Politico, Collegium, de allegato Moscovitico effato, in Boccalino, tulit: verba Moscovitam fecisse digna imperito, ajunt: sese cognovisse, HOMINES sine literis esse asinos & boves bipedes. Non solum æstimationem ejusmodi regnorum minui; sed maximum quoque ipsis accedere dedecus & opprobrium, quæ hoc agunt, ut subditi à literarum cultu avocentur. Literæ aliàs melioribus semper & cultioribus populis acceptissimæ fuerunt, ne de magnatum amore dicam, quem tot, historicorum monimenta describunt, venerantur, prædicant; ut soli lumen accendere velle videri possim, si exemplorum copiâ illud demonstrem, præsertim, cum tumfum literis, si nihil esset aliud, facilè omnes in omni statu saniores, sint decreturi. Videte enim, Auditores benignissimi, & judicate: an non ad literas confluunt, tanquam ad salubertimos vitæ thesauros, omnium ætatum, locorum, ordinum homines? Divites quidem, quod rectè putent, IN acquirendis literis divitias suas se meliùs, quàm ullibi, collocare; neque frustra mercatores, opulentiores, velut in sublimiorem literaturæ tribum, liberos suos ita adoptari gestiunt; pauperes verò, quòd, eruditione comparatâ, de aliis non adeo sint solliciti, cum virum doctum quævis terra alat. Ignobiles, ut literarum claritate familiæ suæ lumen inferant; Nobiles, ut, partum à Majoribus famæ ornamentum literarum quasi conditurâ,

conſervent. Adeò verum eſt, quod præclarè quidam dixit : PLEBEIS argenti, nobilibus auri, illuſtribus ac generoſis gemmarum loco eſſe literas. Literæ tot omnibus tantaq; afferunt commoda, ut, qui hoc potiſſimum tempore commemorare iſta velit, eâdem operâ & mare exhaurire velle judicandus ſit. Iſtanè dici poſſunt de Mercatura, ut principatum inde obtineat? Utinam ſuperſedisſet tam prolixâ commodorum enarratione mercatorii ordinis propugnator, quæ nemo neſcit, nemo negat, nemo vituperat. Eſt beneficiaria, eſt lucroſa, eſt utilis, largior hoc. SED nonne rectiùs dicetur hoc de ſtudiis? Benefica ſunt, quæ uberem rerum omnium ſcientiam ſuppeditant: lucroſa ſunt, quæ menti lumen, voluntati ſanctitatem, affectibus ordinem & quietem largiuntur. Et profectò, ſi callidi rerum æſtimatores fundos, agroſq; magni æſtimant, quia his pignoribus minùs noceri poſſe credunt, quanti putabitis æſtimandam eruditionem, QUÆ nec incendio eripitur, nec naufragio abſorbetur, & inter ipſas populorum & regnorum concuſſiones inconcuſſa ſubſiſtit? Quanta enim cunq; mercaturæ ſint, quæ afferuntur, commoda, omnium confeſſione incerta ſunt, laborioſa ſunt, fluxa ſunt, ſordidiora ſæpe ſunt, pluribus expoſita periculis ſunt, quàm ea, quæ ex tractatione literarum percipiuntur. Ipſa hoc loquitur experientia, quantos per labores, per nives, per æſtus ad incertum lucrum ad divitias ſuas mercatores

catores contendant. Audite Laconem iſtum, qui cuidam, Lampen Æginetam efferenti ac felicem prædicanti, quod prædives negotiator videretur: NIHIL ſe morari, dixit, felicitatem è funibus pendentem: navigationes, proram puppimq; mercantium, intelligens, in quibus, qui negotia tractant mercatoria, verſantes, quantis, DEUM Immortalem! ſunt expoſiti periculis, dum ſe ligno fragili committunt pecuniæ cupidi, ut ob certiſſimum ante oculos poſitum diſcrimen, nec in vivis ducendi ſint, nec in mortuis. Propterea, cum didiciſſet Anacharſis, quatuor ſæpe digitorum navis eſſe craſſitudinem, tantum, inquit, à morte abſunt, qui navigant! In carcerem enim quendam detruſi videntur, ubi rerum neceſſariarum egeſtas ſæpe ſuprema, ſuppellex nulla, tempeſtatum perennis metus, non dulcis patriæ aſpectus, non congreſſiones amicorum: quoties, è decem navibus in Indiam, pecuniæ coacervandæ cauſa, vectis, difficulter in portum una redit? quoties, procellâ ingraveſcente, mercibus, quantumvis pretioſiſſimis, antea projectis, rapta eſt in profundum navis cum vectoribus, qui, ſi elementiore Deo, utuntur, arreptâ è naufragio tabulâ nudi enatant? LONGE præſtat, pauperem eſſe literatum in terra, quàm divitem mercatorem navigare: hujus enim bona, quanta, quanta ſunt, fortunæ: illius omnia conſilij: hujus levia annorum atque brevia ſpolia ſunt; illius verò fructus ejuſmodi, qui

per

per omnium seculorum memoriâ nigent, quos posteritas veneratur, quos ipsa intuetur, ipsa suspicit æternitas. Sed quid superbiunt Dominâ suâ, isti pecuniæ, ut vocabantur, thesaurarij? FLUXA est illius & fragilis gloria: caducæ sunt divitiæ & fragiles, puerilibusq; similes crepundiis: affluunt subito; repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona, stabilibus nixæ radicibus, consistunt; sed incertissimo fortunæ flatu huc atq; illuc actæ, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Et quæ sunt illæ divitiæ, quas non egestas & mendicitas, si non statim, tamen paulatim, à tergo plerunq; sequitur? Mercatorumne? falleris! Eruditorum sunt, qui divitias non in pecuniarum acervo; sed in animo ponunt. ANIMUS enim est, qui divitem facit, dicam ex Seneca, quod nec ego, neq; alius fortè possit dicere meliùs. Nam, quod ad illos attinet, quos, falso divitiarum nomine invasit paupertas, sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. Quemadmodum fluvius, qui ab alto fertur, appropinquat quidem adstantibus ripæ; simul verò, ut contigit, statim secedit: Sic etiam divitiarum promptitudo celerrimum & lubricum habet accessum; alios ex aliis permutare solet: Sic mercatores suâ felicitate, quæ divitiis nititur, facilè excidunt. De eruditione verò quid dicemus? FIRMUM profectò bonum est, quod certam rectamq; viam commonstrat, ad per-

sequendum illud bonum, quo cætera omnia continentur. Quàm facilè vocatilla belli bellua pecunias eripit? Eripere verò eruditionem, nequit, nequit labefactare. Demetrius, Antigoni filius, cum Megaram cepisset, sua stilponi bona servari, imò direpta restitui jussit omnia. Hic ergo, cum, ut ea, quæ amisisset scripto traderet moneretur, NIHIL suum se perdidisse, respondit, doctrinam & eruditionem sibi ademisse neminem: omnia illa esse adhuc salva & integra. Quid de sapiente illo Biante dicam? cujus Patriam Prienen cum cepisset hortis, cæteriq; ita aufugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, ipse monitus à quopiam, ut idem faceret: Ego verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Nimirum ludicra hæc fortunæ, ex quibus mercatorum primatus colligitur, ne sua quidem putavit, quæ nos bona appellamus, si modò tam venusto nomine sunt decoranda, quæ non omnes status mundi decent; imò, multos devenustât. Clarif. Hist. Rom. verba sunt: Quæstus omnis Patrib. indecorus visus, quib. & navem ad mercandum non licebat habere. Gravis. Imp. ad Uxorem suam verba sunt qui negotiatoriâ ejus navim in portu comburi jusserat: Cum Deus me Imp. fecerit, quid tu me nauclerum esse cupis? mercatura privatis convenit hominib. ut inde sustentandæ vitæ media habeant: quod si nos, præter Imperij opes, etiam mercaturæ emolumenta consectabimur, unde nã fortunæ tenuioris hom. victũ cõparabunt?

Idem

Idem quoque nobilibus dictum judiciamus, QUORUM vigor atq; virtus non potest non elanguescere, si, in quæstu faciendo occupetur: quam ob causam Nervii à suis oris repulisse mercaturam dicuntur : & Apollonius Thyanæus solitus fuit adolescentes ab ea abducere, tanquam à re viliori, quæ non vereatur odium capere omnium, modò sit cum aliquo lucello conjunctum. Sed non expilato scrinia Politicorum, qui hæc mea deducunt uberius. Ad honorum variorum venio fastigia, in quibus Mercatoriæ divitiæ multos collocasse asserunt. Non damno illud, neq; laudo temerè: multa hic sunt, quæ non dicuntur ; multa dicuntur, & non sunt; multa & dicuntur, & sunt: quicquid horum hic eligas, PLURES tamen doctrinarum alis evectos esse, qui non per casus obliquos, sed rectos evecti sunt omnes docent Historici ; imò ipsum Medicæorum exemplum, quod affertur, approbat : Frustra enim fundamenta potentiæ istius jecisset Cosmus Senior, nisi Laurentii, principis Literatissimi, & literatorum fautoris maximi, virtute effectum esset, ut tantum robur adipisceretur. Eminet ergo & hîc Literatura! Triumfat & hic eruditio, nec tantillum quidem de suo principatu periclitatur! Sed quid audio de Philosophis? eos aliquando mercatos esse. Non nego, quod scriptorum fide constat; sed, ut, eminentiam ordinis mercatorii præ suo extollerent, mercatos esse, hoc etiam atque etiam

nego. Fecerunt fortassis hoc ipsum, ut eruditionis opes in plures hoc modo dispensarent: fecerunt ut ostenderent, etiam Philosophos, si vellent, ditescere, & Philosophũ, literatumq; facilè mercatorẽ: mercatorẽ difficillimâ metamorphosi Philosophũ fieri posse. Dum hæc loquor, Auditores, digna prorsus, quæ occurrit memoriæ meæ Imperatoris Sigismundi sententia prudentissima nostro instituto applicetur. Vocaverat ille Doctorẽ quendã furis, Georgium Fiscellinum ad Equestrem ordinem, & Nobilitatis clypeo, tituliscque donaverat: hic verò cum Imperatore Basileam ad comitia profectus, cum in curia certo se adjungere deberet ordini, animo titubavit : num se literatis, an verò equitibus auratis adjungeret? tandem, certus secum sententiæ, ad equites se contulit: quod cum videret Imperator: stultè agis, inquit, quod literis equestria præfers insignia : ego mille equites uno die crearim; Doctorem verò unum multis annis non effecerim. Quod si hoc tantus Imperator judicavit de equitibus, de mercatoribus quoque, citra ipsorum contumeliam, dixerim: mille creari uno die posse à Domina pecunia: literatum verò unum multis annis vix effui. Quid, ergo ? & hic ordo noster excellit, eminet, triumfat ! In quo ipso vera demum est jucunditas, cujus vix umbram in suo prædecessor meus inveniet. An non enim LIBERALIA studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant,

nant, domi delectant, foris non impediunt, nobiscum pernoctantur, peregrinantur, tranquillitatem, gaudium, lætitiam afferunt ? A SEMET ipso in rebus adversis solatium petere vir doctus potest: obliviscitur etiam calamitatum suarum, & aberrat à molestiis eruditis cogitationibus intentus semper animus. Cum tot sæpe excellentissimis veteris memoriæ hominibus colloquitur, & eos quasi hospitio suscipit amplectitur, in monimentis varia doctrinarum delectamenta percipit, velut in imagine ipsorum sensa, ingenia, Sapientiam introspicit, Superioribus & vetustissimis illis seculis videtur interesse, totum mundum omnemq; antiquitatem in Bibliotheca mentis suæ circumfert. Profectò, si agrestibus hominibus parva levisq; rerum naturalium notitia delectationem affert maximam: quanto majorem Viro erudito, infinita propemodum rerum pulcherrimarum maximarumq; cognitio conciliabit ? Mira, è fidium, tibiarum, atq; vocum cantitus, voluptas est; sed continuò evanescit; Sola Literarum stabilis est ac permanens. NIHIL est, si voluptas quæritur, ad oblectandum animum aptius; si usus, ad vitam hominum tuendam commodius: si decus, ad gloriam consequendam opportunius literis: multis ubiq; parsangis mercatura relinquitur, cujus quæ sit plerumq; à servitiis usq; puerilibus, sive in Patria, sive extra eam exantlatis, jucunditas, nolo explicare fusius, ne de ea curiosiùs, quam modestiùs

stiùs loqui videar. Habeant sibi illam cultores ejus, habeant antiquitatem: jactent utilitatem: efferant necessitatem: in omnibus hisce encomiis, tantum abest, ut, cum sua professione, cedant rustici, ut potiùs antecedant longissimè. Nonne enim agricultura negotiandi facultate antiquior ? nonne utilior ? nonne magis necessaria ? nonne jucundior ? sed hoc superius quoque innui. Vindicent negotiatores causam suam adversus rusticos: ego, quò plura dico pro nostri ordinis eminentia, eò plura ad dicendum sese ingerere dudum sentio. Sed abrumpendum in spatio, eum, quæ delibavi paucula, non nisi ex Veritatis Schola prodiisse, ipsi etiam adversarij confessuri, & suorum argumentorum infirmitatem haud dubiè agnituri sint. Vos verò, commilitones optimarum artium studio florentissimi, gratulamini vobis de illo statu, in quem melior vos indoles transtulit, neque vos aut labor deterreat, aut voluptas avocet, aut pecuniæ incerta spes retrahat, quò minus in doctrinarum adyta penetretis, & ita tractetis humaniora studia, ut patriæ honori, vestris ornamento, vobis demum ipsis gaudio sitis & emolumento.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

ROTA HUMANÆ FELICITATIS.

SIC enim agitur cum rebus nostris: tacitô naturæ instinctu & nascuntur indies, & crescunt: inde florent & decrescunt iterum; mutantur deniq; & cadunt. Quid est, quod fixum ostentare liceat? Non satis est, periisse, quæ fuerunt; abeunt & illa, quæ nunc sunt. & jam ruunt. NIHIL levitate hîc constantius: nihil est potentius, omnia sibi & ruinæ subjicit: quô quid magis eminet, instar fulminis, citiùs affligit. Nemo hîc testes quærat & exempla: quisquis sibi de seipso testis & exemplum est; aut, si quid cupit aliud, ecce, quotquot usquam sunt, imperia! nascuntur certè illa ex aliis, quia quoniam priora fuerunt, fuerunt. crescunt & florent, ut adscendant, de quo cadunt, fastigium: decrescunt, postquam satis floruere: mutantur, ut cadant, & cadunt, ut nascantur alia. Circumferte oculos: vetera recentibus, recentia veteribus jungite; omnium hæc Rerumpublicarum alea est, ne Platonicâ quidem exceptâ; ubi tamen supra hominem homines, & viros nunquam visos autor statuit: mutandam certè, sicubi stetisset, satis indicavit, quia metam posuit & periodos annorum, ut naturalem hunc conversionis lusum doceret, sive optimates imperent, sive populus, sive singuli. Omnia ex omnibus

bus singulariter expertæ est terrarum Dea gentiumq; ROMA, cui par est nihil, & nihil secundum, ut ille canit. Natales habuit direptæ Trojæ cineres. Existis, fatô profugi, calamitosi quidam, Æneâ duce, venerunt in Italiam: juncti sunt Aboriginibus, cumq; præter arma & animos nihil exerrore esset reliquum, urbem tamen condiderunt. Sic parens maximi Imperij paupertas fuit, parvô potens & contenta, cultu simplex, custos virtutis, laborum Magistra, ingeniorum excitatrix. Per hanc quidem festinare, parare, ordinare, jus sancire, augmenta sumere Civitas, ut brevi satis pollens, satis prospera videretur. Et jam nutrice opus erat: datur ei; sed quæ olim educârat Herculem, ut crebrô ejus ictu, tanquam in palæstra, indurescceret, invidia. Vix enim caput erigit, in medio crescentem molem reges metuunt & populi finitimi: acuunt ad ruinam ejus animos malevolos: variis hinc inde bellis tentant. Omnia novellæ Vrbis commodô, ut PESSIMA nonnunquam, contra ingenium suum, exerrant in melius. Assurgit illa sub ponderibus alacrior, ut palma: effulget inter strepitus splendidior, ut ignis, qui, munitus ab injuriarum tactu, inerti prunam serpit per alimenta sua, mox sponte suâ moritur; irritatus autem ventis hinc & hinc vexantibus, quantâ vi consurgit? quam totis flammis emicat? Ibant hostibus Romani obviam: ibant, libertatem, patriam, parentes asserturi: ibant, repulsis domô periculis, & masculum ferebant aliis auxilium: ibant ad præstandum magis beneficia, quam ad accipiendum, quisq; se magis extollebat ad gloriam: quisq; in promtu habebat

bebat ingenium, NOBILES alente animos veget
libertate: ingens omnes cupido gloriæ inceſſerat
optimus quisq; negotioſus maximè erat: animum
nemo ſine corpore exercebat, domi militiaq; mor
candidi: concordia maxima: procul avaritia, vo
luptas, ſuperbia, divitiarum alumnæ: jurgia, di
ſcordiæ, ſimultates cum hoſtibus; civibus cum civi
bus certamen de virtute in vita; de fide in amicitia
de benignitate in officiis. Quis non dixiſſet illos a
rei, ſi unquam fuit, ſeculi traduces? His viris at
viribus florebat Reſpublica: his umbram faciebat t
tius mundi populis & imperabat, auguſtum meri
titulum, quem ſupra ex Poëta dedimus, utinam di
retinendum! Sedô miſeras & miras rerum vice
Quàm lubrica poteſtas eſt & inſolens? quo altiùs
adſcendit, eò propius à caſu abeſt: RARÆ adm
dum felicitatis inter homines, felicitate non co
rumpi. Supra humanum prope faſtigium extul
rat Roma potentiam, non tamen ſupra ruinam: bo
mana erat. Reges victi, populi domiti, Carthag
æmula exciſa: nullus extra ipſam hoſtis, cuius m
tus civitatem in bonis artibus retinuerat. Vt ca
deret tamen, quæ altiùs eniti non poterat, alebat
ſeipſa hoſtem, alios irritantem in alios: hos in i
potentiam, illos in luxuriam; iſtos in avaritiam
Hos inflantem: illos mollientem & totos reſolve
tem, in deterius vertentem omnia. Quid nom
quæritis? jam dixi, & quia omnes appetimus, om
nes deſideramus, ignotum nulli erit. MAGN
felicitas eſt, rara bonæ mentis ſocia; aut, ſi ſocia, i
fida tamen, otium & faſtum generans, quibus ip
demu

demum victrix mundi victa eſt. Subnati enim ſunt in ipſa fervidi tumultus: orta civilium diſſidiorum tentamenta. Hic Gracchus ſæviebat aliquis: illic Fulvius: ibi Marius perſequebatur Metellum: Marium Sylla. Quisnam huius in tot facinoribus miniſter? quis, niſi Catilina, jam in omne ſcelus manûs extendens ſuas, ut novam Romæ patriæ perniciem inferrent? Et intulerunt profectò, & minatæ ſunt ruinam, quam tamen incredibilis Ciceronis ſolertia adhuc ſuſtinuit. Ruit tamen illa poſtmodum, per omnes Rerumpublicarum formas variè exercita, & ita ruit, ut, tanquam extincta, hodie quæratur, vix inveniatur in ſuo ſolo. SIC ergo ſe felicitas verſavit & alios: ſemper, ne exſueret naturam, gyrum fecit, donec in calamitatem, unde nata eſt, Romæ deſineret. Prolixè docet hoc hiſtorici ſenatûs princeps, SALLUSTIUS, in bello, Catilinario: utrumq; Vrbis ſtatum exhibet, & Virtutis ſacrarium fuit, & ſcelerum ſentina. Hoc nuper, una cum Iugurthino, tres tractârunt ex Rigenſibus Studioſi Iuvenes, ſub directione mea, quibus & civilis prudentiæ fontes in de aperui, &, quæ actûs publici dexteritatem informant, oſtendi, & maſculam Salluſtianarum orationum elegantiam propoſui ex quibus omnibus, ad exercendum ſtylum fuſiùs elaboratis, tres non itapridem mihi exhibuerunt, quas publicè vellent ex memoria reddere. Primam THOMAS Beeke / ſummâ belli Catilinarij exhibitâ ſequentibus viam muniens, ſecundam JOHAN. Benckendorff / Sub C. Cæſaris perſona diſſuaſurus ultimum ſupplicium, quod de captivis Ca-

tilinæ sociis sumendum aliqui consuerant: tertiam VINCENTIUS Fuchs/*nomine Marci Catonis austerè improbaturus votum Cæsaris, ut mortem mortis machinatoribus infligendam persuadeat. Dignas equidem judicō, si quid judico, quæ in frequentissima audiantur panegyri, ideoq; omnes Politici & Historici studij amatores fautoresq;, summates, infimates, humiliter & humaniter rogo, ni actui huic Oratorio, sequenti d. 3. Sept. instituendo suam denegent præsentiam. Audient, quæ fuerunt, & fortassis adhuc sunt, sub alio nomine & colore.* EADEM *enim, quæ olim, luditur fabula, mutatis tantùm personis.* FELIX, *quisquis rectè respicit, ut prospiciat.* Felix, *qui exemplō aliorum sapit: qui fortunæ lusus inter veteres expendit sine dolore; at non sine fructu: qui in alieno discrimine nullum adit, ut suum inde discat evitare. Dabam in Museo, d. 28. Augusti, Anno 1646.*

CONJVRATIO CATILINARIA.

ORATIO

CUM omnes mihi disciplinæ singulari laude dignæ videntur, quæ, in excolendo animo nostro, operam suam collocant: tum ea præcipuè, quæ, rerum gestarum seriem proponens, ad civilem nos prudentiam, tam exemplis, quàm præceptis, fideliter instituit. Sive enim requiramus amœnitatem, quà potissimum

mum studiosæ juventutis industria ducitur, sive utilitatem, quæ in primis attendenda est, nulla equidem humanitatis pars invenietur, in qua utraq; arctiores complexus misceat, quàm historia. Abstrusa artium præcepta dum traduntur, molesta sunt: Mathematica non plures pulcritudine invitant, quàm difficultate deterrent: ipsa princeps disciplinarum augustissima, nunquam habuit tot studiosos sui, ut non plures osores rosoresq; : sed ob ignorantiam, habuerit. Una Historia est, quæ vegeta omnium studia allicit, attentas aures tenet, animos demulcet, à qua, si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse, se ne hominem quidem esse, fateatur. Parvulos pueros, in quibus vis naturæ maximè elucet, nullâ re magis, quàm narrationibus, duci videmus: ipsi fastu & insciti â tumidi literarum contemtores, qui, ex supino, pulcerrimarum rerum contemtu, gloriam quærunt, velut laurum in mustaceo, ut tamen sic quoque aliquod hominis simulacrum retineant, & vestigium, ab historia non penitùs abhorrent: ubicunque inter sese colloquia miscent, prora & puppis illorum historiæ sunt, & narrationes, ex fastis saltem hebdomadalibus. Utinam earum succum & sanguinem apprehenderent, vim scilicet prudentiæ, rerum omnium moderatricis! utinam sagacitatem sibi, ex præteritis de futuris judicandi, hinc colligerent! NON enim avium cantu aut volatu; non inspiciendis pecudum fibris; non interpretan-

pretandis hariolorum cantibus, futura dignoſcuntur; vana hæc ſunt Ethnicorum ſine ſomno ſomnia; ſed ſi quis diligenter in hiſtoriis notaverit, quid ibi, quo conſilio, quo ordine ſuſceptum & tractatum ſit, is demum, velut in illuſtri conſtitutus ſpecula, quæ metuenda ſit tempeſtas, quæ ſperanda ſerenitas, providebit. Licet enim magna ſit rerum varietas & inconſtantia, ut nunquam certâ & immutabili ſeriê volvantur, & hoc ipſum veriſimile ſit, multa præter id, quod veriſimile eſt, accidere; plerunque tamen è ſimilibus ſimilia exſiſtunt, nec ulla certior eſt judicandi regula, quò quæq; res evaſura ſit, quàm inſpicere, quem exitum ſimilia, in temporis longinquitate, ſæpius habuerint. Et hoc prudentiæ civilis nervus eſt, hæc vera & ſpirans Politica, cum qua tam amicè hiſtoria conſpirat, ut ferè ipſa etiam Politica ſed exemplis propoſita, dicenda ſit. Cum verò plerique populorum, rerum à ſe geſtarum ſcriptores, nacti ſint diligentiſſimos, tum inprimis Romanus, ut, quanto ipſe cæteris gentibus imperii magnitudine præſtitit, tanto hiſtoria illius cæteratum gentium hiſtoriis antecellere videatur. Nimirum, nullius populi tenuiora & obſcuriora principia, nullius admirandos magis progreſſus, nullius tanta majeſtas, tanta in rebus proſperis moderatio, in adverſis animi magnitudo: nuſquam virtutum imò & nuſquam vitiorum omnis generis, aut plura ſunt exempla, aut illuſtriora: de quibus

uti alii autores graviſſimè nos erudiunt: ita primus in Romana hiſtoria Salluſtius, præter Jugurthinas fraudes, triſtia Catilinæ in Patriam machinamenta, eleganter proponit, & arma illa, quibus, in Cicerone Conſule, Patriam nefariè impugnare auſus eſt. De quibus cum hoc tempore dicturus, & in breve orationis compendium, occaſionem & progreſſum conjurationis redacturus ſim, quæ prolixâ ſerie Salluſtius explicuit, veſtram ante omnia benevolentiam, Auditores, humiliter & ſubmiſſè imploro, ne vacivas huic narrationi meæ aures denegetis. Quamquam enim digna veſtris ſubactiſſimis judiciis afferre juvenis hæc ætas nequeat, Salluſtii tamen, ſcriptoris florentiſſimi, quæ ſunt, ut pleraque omnia ſunt, non faſtidietis. Poſtquam labore atque juſtitiâ Romana Reſpublica inſigniter creverat, Reges magni bello domiti, feræ nationes vi ſubactæ; Carthagine in primis, totos centum & viginti annos Urbis æmula prorſus extinctâ, ſublato exterorum metu, ſicut Scipio Naſica dixerat, luxuriari cœpit imperii fortuna, ſævire, mutare, miſcere omnia. Qui antehac labores, pericula, dubias res atque aſperas facilè toleraverant, iis otium ac divitiæ, optandæ aliis, oneri miſeriæq; fuêre: SECUNDÆ res acrioribus ſtimulis explorârunt animos: nimia felicitas varias ibi turbas peperit. Primò igitur pecuniæ, dein imperii cupido, ex nimiis crevit opibus, ea quaſi materies omnium malorum fuit.

CUM enim omnia concupiſcerent homines, difficilè fuit æquitatem ſervare: poſtquam, neglectâ æquitate, pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis inceſſerant, provenêre tot in verbo ac foro civilium bellorum tentamenta. Avaritia, vitiorum compendium, fidem, probitatem, cæterasq; bonas artes ſubvertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. AMBITIO, virtutem ſudolè mentita, multos mortales falſos fieri ſubegit, aliudq; clauſum in pectore, aliud promtum in lingua habere: amicitias inimicitiasq; non ex re; ſed ex commodo æſtimare, magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primò paulatim creſcere: interdum; ſed negligentiùs vindicari: poſt, ubi contagio, quaſi peſtilentia, invaſit, ut Reſp. nec ſua jam amplius vitia, nec remedia paterentur, civitas immutata, imperium, ex juſtiſſimo atque optimo, crudele intolerandumque factum. SIC, inter perpetua fortunæ obſequia, honeſtiſſimi quoque animi fatigabantur, ut, velut occœcati, contra veterem diſciplinam, contra majorum inſtituta, apud quos virtute, quàm pecuniâ, res Romana longè meliùs ſteterat, agitarent. Ita, cum promiſcuè divitiæ honori eſſe inciperent, & eas gloria, imperium, potentia ſequerentur, hebeſcere modeſtia, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. QUID mîrum ergo, ex divitiis civitatem luxuriâ atq; avaritiâ, cum ſuper-

ſuperbia, obrutam? peſtibus nimirum conjunctiſſimis, quibus omnia ferè magna imperia exitium debent: Rapere, conſumere: ſua parvi pendere, aliena cupere: dormire, priusquam ſomni cupido eſſet, non famem aut ſitim opperiri: pudorem, pudicitiam divina atque humana promiſcua, nihil penſi, neque moderati habere, inter ſtudia plurimorum erat. Juxta miſera hæc corruptionum nomina, id quod factu facillimum erat, Lucius Catilina prodiit, nobili natus genere, magnâ vi, & animi, & corporis; ſed ingenio malo pravoque, qui inter inteſtina bella, cædes, rapinas, ſibi gratiſſimas, corpus inediæ, laboris, vigiliæ patientiſſimum fecerat, cujuslibet rei ſimulator & diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus: ardens in cupiditatibus, ſatis eloquentiæ, parum ſapientiæ, corruptus ipſe, & corruptor peſſimus, nimis alta ſemper ſperans & ſpirans. Palàm quidem in eo laudaſſes pleraque; ſecreta malè audiebant. Hic, poſt dominationem Sullæ, magnâ capiendæ Reipublicæ libidine incenſus, calore juvenili, quoquo facinore inclareſcere properabat, & ab hoc veto ad quodvis ſcelus facillimè tranſibat, dummodo ſibi regnum quàm ocyſſimè pararet. Ita ſolent impatientiùs deſiderare imperium, quorum crudelitas, quicquid placet, rapiendi; libido, honeſta fœdandi, jus atque impunitatem requirunt. Inprimis agitabatur animus ferox inopiâ rei familiaris & conſcientiâ ſcelerum, præcipuis ſum-

ſummorum facinorum incentivis, ideoq; (ut ſimilis gaudet ſimili) omnium flagitioſorum atque facinoroſorum circum ſe, tanquam ſtipatorum, catervas habebat. Quod ſi quis etiam, à culpa vacuus, in amicitiam ejus incideret, facilè par ſimilisq; cæteris efficiebatur. RARISSIMUM enim vivere cum ejusmodi nequitiæ magiſtris, nec primum molliter de vitiis ſentire: mox & illis infici. Sed maximè adoleſcentium familiaritates appetebat, quorum animi molles, & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur. Captis amicitia plurimis, tueri illos obſequio, cum omnibus communicare, quod habebat, inſervire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia. Hinc animus impurus neque vigiliis, neque quietibus ſedari poterat; maturabat omnimodò conceptum conjurationis facinus. & mens ſceleratа internos carnifices ſentiebat, fodicante illam malâ conſcientiâ: UTI ſua quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit. Inde color Catilinæ ex ſanguis, fœdi oculi, citus modò, modò tardus inceſſus: prorſus in facie vecordia inerat: intimos affectûs proditor vultus enunciabat, ut, in frontis ſpeculo, peſſimorum vitiorum imagines apparerent. Confuſus tandem ſuæ crudelitatis adminiſtris, ſimul, quod æs alienum, per omnes terras, ingens erat, validus publici tumultûs ſtimulus, opprimendæ Reipublicæ

publicæ conſilium cepit. In Italia nullus, quem metueret, exercitus: Cn. Pompejus in quo ſpes atque opes civitatis eâ tempeſtate ſitæ erant, in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petendi magna ſpes: Senatus, nihil ſanè intentus, publicæ ſalutis, ob privatam utilitatem, deſertor: tutæ tranquillæq; res omnes; ſed ea prorſus opportuna Catilinæ, audaciæ in ſcelus erigebant. Idcirco circiter Cal. Junij, L. Cæſare & C. Figulo conſulibus, primò ſingulos appellare: hortari alios, alios tentare, uti cujusque ingenium vel ex ætate, vel ex ſtatu poſcebat: imparatam in otio Remp. magna conjurationis præmia, docere: ubi explorata à ſingulis, quæ voluit, omnes in unum convocare, quibus maxima neceſſitudo & plurimum audaciæ inerat. Neque alij immaniſſimi facinoris ſatellites eſſe poterant. Convenerunt ſtatim (ô nefas!) Senatorij ordinis & principis fortunæ plurimi: ex equeſtri non pauci: adhoc multi ex coloniis & municipiis, domi nobiles. Fuerunt præterea complures, paulò occultiùs conſilij hujus participes, quorum ambitio, luxuria, impotentia ſcenam deſiderabant, in nervum eruptura, ubi occaſio ferret. Cæterum juventus pleraque; ſed maximè nobilium, Catilinæ inceptis favebat, ut qui, præ cæteris, majorem ſibi audaciæ ſponderent mercedem, &, cum in otio vel magnificè, vel molliter vivere copia eſſet, incerta pro certis, bellum, quàm pacem malebant: temerario prorſus inſtituto!

stituto! A QUEM fata trahunt, ille cum venia miser videtur; at si quis ultrò sese malis offert suis, & seipsum torquet, bona quibus uti nescit, perdere dignus est. Hos cum convenisse videt dux sceleris, tametsi cum singulis sæpe multa egerat, in rem fore credens, universos appellare & cohortari, ut & firmiùs accederent instituto, & multis se promissis animarent, in abditam partem ædium secessit, tenebras quærente nequitiâ, & orationem animosam habuit: Se nimirum maximum & pulcerrimum, invadendæ Reipublicæ, facinus agitare cum animo: spem suam opportunitate mirum quantum foveri: necessitatem vindicandi se adversus potentiorum iniquitatem incumbere: Omnem apud paucos Senatores gratiam, potentiam, honorem, divitias esse, aut ubi volunt: strenuos, nobiles & bonos, sine gratia, sine autoritate, magis magisq; vilescere: non nisi repulsas, pericula, judicia, egestatem sentire. Quis ferenda putaret illa diutius? NONNE emori virisfortibus per virtutem præstaret, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? victoriam, contra invalidam senum aliquot avaritiam, manu esse: Libertatem, divitias, decus, gloriam in oculis: uterentur se vel duce, vel commilitone, nisi fortè servire malint, quàm imperare. Altissimè descenderunt ea verba in corda hominum, quibus inter turbidas cupiditates mala omnia abunde erant; sed neque res,

res, neque spes bona ulla, & postquam Catilina & belli conditionem, & præmia laboris, & quid ubique opis aut spei haberet, sciscitantibus explicuit, alacres & erectos ad jusjurandum adegit, addito conjurationis pignore, sanguine humano, quem circumlatum pateris biberunt, quò magis inter se fidi forent, alius alij tanti facinoris conscij, noxâ conscientiaq; pro federe ligante: Summum nefas, nisi amplius esset, propter quid biberunt! Et jam in acie novacula constituta erat actio: parabantur jam in minus providos incendia, cædes, exsilium: totus Senatus ad internecionem destinabatur. Distributa inter singulas opera; sed vicit populi Romani fortuna, in malis semper major! vicit hostium vigilantiam & malitiam! Scilicet, quotidiana HÆC sunt divinitatis opera, ut malorum consiliorum meditationes, ipso jam successu securas, præcox anticipet impetus, ne vel unquam timor improbis, vel spes absit calamitosæ virtuti. Quintus Curius, haud obscuro loco natus, flagitiis atque facinoribus coopertus, inter conjuratos erat. Non minor hominis vanitas, quàm audacia: neque reticere, quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare, UT solet contemtissimus quisque solutissimæ linguæ esse, & suorum flagitiorum proditor. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo, cui cum minùs gratus esset, quod inopiâ minùs largiri poterat, repente glorians, maria, montesq; polliceri, vanus futuro-

futurorum augur, minari interdum ferrò; postremò fero ejus agitare, quàm solitus erat. At Fulvia, insolentiæ causa, per colloquia callidè dispensata, cognitâ, tale periculum Reipublicæ, ut decuit, haud occultum habuit: Compluribus, quæ de conjuratione audirat, narravit. Ea res inprimis studia hominum accendit, ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, qui primus ferme claustra nobilitatis perfregit, ut aditus, ad summam dignitatem, non magis potentiæ & divitiis, quàm virtuti pateret. In hunc anteà pleraque nobilitas invidiâ æstuabat, & pollui consulatum credebat, si eum, quamvis egregius, homo novus & externus adipisceretur. QUASI homines ejusmodi, si virtute emineant, tam utiles non sint Reipublicæ, quàm qui nonnunquam nihil, præter avitas paternasq; imagines, suis tamen vitiis maculatas, inepto prorsus fastu, ostentant. Sed ubi periculum advenit, invidia, atque superbia post fuêre. Igitur, comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius & Antonius, quod factum primò conjurationis popularis concusserat; neque tamen Catilinæ furor minuebatur: animus malis surgebat audacior. Indies plura clanculum agitare: arma per Italiam, locis opportunis, parare: pecuniam, belli nervum, congerere: plurimos cujusque generis homines adsciscere, mulieres etiam aliquot: per eas credebat se posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere: viros earum vero adjun-

adjungere sibi, vel interficere, sicut A NULLO genere majus periculum est, si cætus & concilia cum illis esse sinas, quod Catilina faciebat. Quibus rebus comparatis, nihilominus in proximum annum Consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facilè se Antonio, novarum rerum cupido, usurum. Interea omnibus modis, omnibus mediis, omnibus viis insidias parabat Ciceroni. Frustra! PRUDENTI & sagaci viro ad cavendum neq; industria deerat, neq; fortuna; &, principio Consulatûs sui, multa per Fulviam pollicendo, secretò effecerat, ut C. Curius, futilis adolescens, consilia Catilinæ sibi proderet: ad hoc collegam Antonium, sæpe adversantem sibi, patientiâ & obsequio mitigaverat, quod ita ferre existimaret tempora Reipublicæ, & NUNQUAM, sine damno publico, collegarû in arduis negotiis dissensiones exsisterent: Circum se præsidia amicorum atque clientum habebat. Nihil prosperè cedebat Catilinæ! Bellum tandem publicè facere constituit: extrema omnia experiri: parare urbis incendia: opportuna loca armatis hominibus obsidere: dies noctesq; vigilare, festinare, neque insomniis, neque labore fatigari: stimulare undique scelerum administros. Frustra omnia! Consiliis potentior Cicero ubique impediebat furibundos & periculosissimos impetûs: devitabat toties paratas sitas, quibus pariter cum Patria petebatur. Tandem, ipso indice & hortatore,

exercitus Romanus, cum duobus prætoribus, adversus externa sociorum Catilinæ machinamenta, mittitur: si quis indicasset de conjuratione, præmium decernitur: Romæ, per totam urbem, vigiliæ frequentes habentur. Quantum, Deum immortalem! his rebus permota civitas! ex summa lætitia atque lascivia quæ diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco, neque homini cuiquam satis credere, nec bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus, pro Reipublicæ magnitudine, belli timor insolitus incesserat, afflictare sese: manus supplices ad Cœlum tendere: miserari parvos liberos: rogitare: omnia pavere: superbia atque deliciis omissis, sibi Patriæq; diffidere! Quid verò inter hæc audacia Catilinæ? movere, ... primis adversus Tullium, fatalem improbitati ... suæ moram, qui, cum Catilina, sui expurgandi causa, in Senatum venisset, laudatissimè com... motus, Orationem luculentam & Reip. utilem habuit: eâq; pulsus Catilinæ, furore turbidus, incendium suum ruinâ exstinguere minitans, nocte intempestâ, ceu tenebrarum filius, cum paucis complicibus, in Malliana castra abiit, excessit, evasit, erupit. Neque tamen hîc quievit impetus; acrior à discessu ducis omnium vastabat animos: cuncta plebes, novarum rerum studio, absentis incepta probabat, id adeò videbatur more suo facere. NAM

semper in civitate, quibus opes nullæ sunt, bonis bene rem gerentibus invident, malos extollunt, vetera odêre, nova exoptant: odio suarum rerum omnia mutari student: turba atque seditionibus sine cura aluntur; quoniam egestas facilè sine damno habetur, & quibus in pace fides afflicta, illi, turbatis rebus, alacres & per incerta tutissimi. Tales, & farinæ hujus alios, Lentulus prætor, vir magni nominis in Rep. conjurationis fautor primarius, aut per se, aut per alios sollicitabat, nec contentus conspiratione civili, incredibile facinus, in perniciem Patriæ, nefariè & absconditè moliebatur. Erant illâ tempestate Romæ Legati Allobrogum: hos, per umbrenum quendam, blandissimè ad societatem belli vocat, callidisq; de avaritia magistratuum, de socordia Senatûs, inescat sermonibus. Cum illis igitur architecti sceleris præcipui conveniunt: conjurationem aperiunt: nominant socios, præterea multos, cujusque generis innoxios, quò legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitas operam suam, domum dimittunt. Allobroges, ubi, post varias cogitationum suarum altercationes, meliora probârant consilia, totam rem Fabio Sangæ, &, per hunc, Argo Reipublicæ Romanæ, Ciceroni, referunt? cujus secreto monito Allobroges conjurationis studium constanter simulant, cæteros per Gabinium conveniunt: jusjurandum postulant, ad cives suos signatum ferendum: aliter haud facilè illos ad tantum

negotium impelli posse. Impetrant omnia Lentulus cum Gallis Volturtium quendam mittit, ut omnia feliciùs & velociùs expediantur. O vigilem Lentuli sollicitudinem! Se pro SCELERE, cujus studia plerunque acriora, quam virtutis esse solent. At, dum confecta putant omnia, curatissima Ciceronis providentia, omnia nequissimorum hominum cogitata, feliciter in Patriæ commodum vertit, contra naturam quoque suam, exerrarent melius. Edoctus nunc per Legatos, qua proficiscerentur, per duos Prætores insidias comitatui struere: ex improviso Gallos, cum Volturtio, capere: literas, quæcunque erant, integris signis accipere; ingenti tamen curâ & latitiâ simul distrahi: Quid enim, in maximo scelere deprehensis tantis civibus, ageret! Prævidebat multorum in se redundaturam invidiam, quam & mox, & deinceps expertus est: ideo pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdendæ Reip. fore. Tandem, confirmato animo, pericula sua bono Reip. libenter donans, proditos Senatorii ordinis viros subitò advocat: Senatum celeriter cogit: tabellas, signa manûs denique, & cujusque confessionem cognoscit: in liberis custodiis haberi jubet. SED nunquam est in otio improbitas: semper novat & minatur & struit pericula! animabantur eo tempore, per Lentuli clientes & libertos, opifices & servi, omnesq; ad audaciam exercitati, ut, facto impetu captivos eriperent. Refer-

tur res hæc ad Senatum, qui in diversas, ut solet fieri, sententias abiit. Alii, cum Cajo Cæsare, civitatis & dignitatis rationem habentes, æternum captivis decernebant carcerem: alii morte multandos Patriæ parricidas judicabant, cum Porcio Catone, licet adhuc admodum adolescente, & penè inter ultimos rogato sententiam, qui tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjurationem, ut ardore oris, orationem omnium, lenitatem suadentium, societati consilii suspectam faceret, & universus Senatus in ejus sententiam transiret. Nimirum DIVERSOS animi mores, diversis referebant orationibus duo illi, ea tempestate Romæ maximi viri, qui majestatem veterem, virtute sua, sustentabant: Marcus Cato scilicet, & Cajus Cæsar. Quanquam enim iis ætas, genus, eloquentia prope æqualia, magnitudo item animi & gloria; alia tamen alii. Cæsar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine & misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiendo, gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium; in altero malis pernicies. Illius facilitas; constantia hujus laudabatur. Postremo Cæsar in animum induxerat, laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus; sua negligere, nihil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi vir-

tus enitescere posset: at Catoni studium modestiæ & decoris; sed maxime severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente, abstinentiâ certabat: esse quàm videri bonus malebat: ita, quò minus gloriam appetebat, eò magis assequebatur. Sed utrumque ex oratione, fida secretorum nuncia, & mentis indice, cognoscere licebit. Dignas judicavit Sallustius, quas totas poneret: diduxerunt illos geminis sententiis successores mei, austeritatem Catonis, cum lenitate Cæsaris commissuri. Si vobis digni videbuntur, A. quos, velut in Senatu Romano, sententias dicentes, audiatis, integrum apud Vos erit judicium, quid faciendum. Nemo hic timere potest Catilinæ odium: diu trucidatus est ab Antonio in cruenta victoria! neque Lentuli Prætoris dignitas, aut aliorum auctoritas extimescenda est; imò ne cognatorum quidem, qui, ad mortem usque Ciceronem postmodum persecuti sunt. Obierunt, strangulati sunt, partim in Tulliano carcere, partim cæsi, fugati, mortui, exemplo nobis relicto, QUAM infeliciter cedant tumultus civium; quàm vehementer in se ipsos peccent & suos, qui, ad turbandam pacem publicam, funesta instituunt consilia, & dum eversionem quærunt aliorum, suam sibi ipsis justa vice machinantur.

SUP-

SUPPLICIUM CONJURATORUM.

M. CATONIS

ORATIO.

Priori opposita.

LOngè mihi alia mens est, P. C. cum res atque pericula nostra considero, QUÆ modum consultationibus & metam statuunt, ne, post vulneratam causam, præposterè quæratur remedium; imò, cum sententias quoq; nonnullorum in hoc ordine mecum ipse reputo, qui aut ea, quæ imminent, non vident, aut ea, quæ vident, dissimulant, & de pœna tantùm conjuratorum mihi videntur aliqua disseruisse. Sed res monet, imò clamat, cavere ab illis magis, qui patriæ, parentibus, aris atque focis nostris bellum paravêre, quam, quid in illos statuendum, consultare. NAM cætera maleficia tum persequare, ubi facta sunt: hoc, nisi provideris, ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores. Nec ea tantùm hîc, quam hostes conjurando intulerunt, injuria vindicanda est; Sed etiam, quam inferre cogitant: nisi præcaverimus, capta urbe, quid nobis fiet reliqui? Sed, QUOD aliâs quoq; infestare malum Civitates solet, ut multi actionum suarum & consiliorum finem habeant non nisi privatum commodum, illud & hîc nobis accidit. Tantum videlicet

ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet : nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum, stimulat lentitudo item præpedit, ne in potentes & factiosos quicquam acerbius statuamus. Sed, per Deos immortales! Vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quàm Remp. feciſtis, si ista, cujuscunq; modò sint, quæ amplexamini, retinere si voluptatibus vestris otium præbere vultis, expergiscimini aliquando, & capessite Remp. respicite commune bonum, officium vestrum vobis ante oculos ponite, QUICQUID publicè salutare non est, privatim alienum existimate. SALVA Respublica & privatas res facilè salvas præstat: publica perdendo, vestra nequicquam servabitis. Incolumi Civitate, longè felicior est fortunarum privatarum status, quàm si his & illis res sunt prosperæ, summa verò rerum afflicta. QUIBUS enim privatæ res lætæ sunt, patriâ perdita, ipsi nihilominus pereunt: at quibus adversæ sunt res, faciliùs longè servantur in felici patria. Respublica privatos casus sustinere potest, publicas verò clades singuli tolerare nequeunt. Expergiscimini igitur ad tuendum nomen vestrum, Patres Consc. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis, neque peculatus ærarii factus est, aut perditæ pecuniæ, quæ, quanquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur: LIBERTAS, bonum inæstimabile, imò anima nostra, in dubio

bio est. Sæpenumero, P.C. multa verba hoc in ordine feci : sæpè de luxuria atque avaritia nostrorum civium graviter questus sum, &, quod, antiqua morum integritate contemta, omnibus sese vitiis miserè inundent, ea de causa ut fieri solet, mortales multos adversos habeo. Sed quî facerem aliter ? Libertas, quam ego primariam hominis honesti dotem existimo, & officium hoc sanctum, quod administramus, naturæq; candor & conscientiæ puritas, hoc mihi severè præcipiunt, ne quid per obsequium dissimulem, ne peccatis quorumcunque obsecundem; Sed INVIDIAM virtute partam non invidiam; sed gloriam judicem. Unde, qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam feciſſem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam. Ita ipse viam præire volebam omnibus ad virtutem, legem mihi indicens innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, nullare motus alia, nisi communi utilitate. Nostis enim, quòd, QUI hoc sibi sumsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, nemo huic ignoscendum dixerit, si qua in re ipse ab religione officii declinavit. Hinc in omnibus meis imperiis in me severior, quàm in Cives, nil quicquam interillos præcipui, præter honorem atque imperium, habebam. Sed privata Civium vitia, tametsi vos parvi pendebatis; tamen respublica firma erat: opulentia negligentiam tolerabat: unusquisque in divitiis suis alimenta reperie-

bat suæ malitiæ, quam diuturna quies peperat. Nunc verò non id agitur: bonisne, an malis moribus vivamus, quamvis hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse bonos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi: Non agitur, quantum & quàm magnificum imperium populi Rom. sit, quod cum omnibus terris agendi modum statuat, suis tamen moribus nequit statuere; sed, cujuscunque modi videntur, nostra, an nobiscum una hostium futura sint: non, qui conditione victuri simus; sed victurine simus, an eum supplicio ignominiaque morituri, quorum bona fortunæq; jam notatæ sunt, & ad perditissimorum libidinem civium distributæ. Hic mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominet? de ira, odio, clementia, benignitate rhetoricetur. Hic mihi quisquam Civium Romanorum jura urgeat? QVASI civis esse ullo modo possit, qui sit hostis Reip. quasi locus civem faciat, non voluntas aut in bonum Reip. propensio. JAM pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus: vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: Virtutes vitiorum patiuntur infamiam: bona aliena largiri, liberalitas: malorum rerum audacia, fortitudo vocatur: cui insidiæ, succedunt & fraudes, is solers, is prudens est: moderationem pro ignavia: gravitatem pro morositate: severitatem pro sævitia: parsimoniam pro avaritia; disci-

plinam necessariam contumelias falsis nominibus appellant. Eò Resp. in extremo sita est, turbatur, laceratur, convellitur. Sint sanè, quoniam ita se mores habent, liberales hi molliculi ex sociorum fortunis: sint misericordes in furibus ærarii; ne illi sanginem nostrum largiantur, &, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant BONORUM certè Salutem custodiunt, qui malos ad pœnas vocant meritas; ipsi autem sunt nocentissimi, qui aut innocentibus nocent, aut parcunt subdolè nocentibus, ut pluribus noceant. NOLO equidem misericordiam illam, quæ justitiâ vocat: iis ipsis quoque, qui deliquerunt, obest plurimum, cum eorum ita improbitas atque audacia majora ad flagitia nutriatur. In corpore, si quid ejusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrorum aliquod potiùs, quàm totum corpus intereat: Sic in Reip. corpore, ut totum salvum sit, quicquid est pestiferum, amputandum est. Dura & austera vox? multò illa durior & austerior; vivant improbi, scelerati, impii: deleantur innocentes, honesti, boni, tota Resp. POENA quidem magnorum Civium Magistratui oneri; sed impunitas perdendæ Reip. est. Bene & compositè C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit, credo, ex Epicuræorum sensu, falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diverso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formi-

dolosa

dolosa habere, multorumq; viscera renasci quotidie & carpi. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per manicipia in custodiis habendos esse, videlicet, ne si Romæ sint aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine corducta, per vim eripiantur. Verum enim verò; ipsa hæc medicina morbo est gravior: nisi penitùs tollantur parricidæ è medio, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus aliqua curâ & metu esse relevati; periculum autem residebit & erit inclusum penitus in venis atque visceribus Reip. Ut sæpe homines ægri, morbo gravi, cum æstu febriq; jactantur, si aquam gelidam biberint, primò relevari videntur, deinde multo graviùs vehementiusq; afflictantur: Sic hic morbus, qui est in Republica relevatus istorum abductione & captivatione, vehementiùs longè ingravescet. Quid enim? maline & scelesti tantummodo in urbe hospitantur? In urbe tantùm ab iisdem imminet periculum, ne captivos eripiant? Imò verò, per totam Italiam dispersi, effrenatam jactant audaciam, scelus anhelant, hos duces sibi quomodo desposcunt. Quid non tentabunt in municipia? Quid non efficient? Ibi enim plus potest audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt: nemo facilè tentat aliquid adversus illum locum, ubi promtos esse & expeditos ad vindicandum intelligit. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit. Majus est, si deferantur hinc

hinc ad loca alia: sin, in tanto omnium metu, solus non timet, eò magis refert, me mihi atq; vobis timere. IN specula Reipublicæ constituti sumus P.C. circumspiendum est sedulò; ubi serenitas, ubi tempestas & nubes in eandem conspitaturæ appareant. NEMO celerius opprimitur, quàm qui timet tardiùs: frequentissimæ calamitatis initium est securitas: Salutaris inter hostilia machinantes metus est: ut bono esset mortalibus, inventus est. Quare, cum de Publio Lentulo cæterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ & de conjuratis omnibus decernere: uno spiritu foventur nequissimi homines: COMPENDIUM devincendi eos erit, Duces sustulisse; superstitibus aliâs iis, licèt moliamur omnia bellum non profligabimus: quinque hominibus occisis, sine tumultu, sine delectu, sine armis, sine exercitu, incensione urbem, internecione Cives, vastitate Italiam, interitu Remp. liberare poterimus: quantò vos attentiùs ea agetis, tantò reliquis parricidii administris animus infirmior erit; si paululum modò vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nihil quicquam igitur fiat, quod malè cogitantibus exemplo sit aut præsidio. VINCAT inanem clementiæ speciem salutaris severitas: frustra spes in apparatu armorum est, si consilii vis in Senatu langueseit. Nolite existimare, majores nostros armis Remp. ex parva magnam fecisse, qui, quæcunque se obtulerit occasio, in

armis

armis vestris confiditis. Si ita res esset, multò pulcerrimam eam nos haberemus, quippe sociorum atque Civium, præterea armorum atque equorum major nobis copia, quam illis, est. Sed alia fuêre, quæ illos magnos & terrarum Dominos fecêre, quæ nobis nulla sunt. NEMPE & fortes vivi, & qui, quid faciendum esset, scirent, & qui in rebus gerendis erubescerent, istam comparaverunt rerum potentiam: santa hæc reddiderunt ex minimis. FUIT domi industria, illa virtutis & felicitatis pararia, illa parens opulentiæ, ut ab aratri laboribus arcesserentur, qui fierent Consules. Fuit foris justum imperium, ne ad ullius vel injuriam, vel perniciem, inter congenitæ strenuitatis experimenta, quicquam patrarent nostri. Fuit animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius, in consultationibus neque gratiam spectans, neque odia, eamq; semper proponens sententiam, quam ipse optimam censebat. Quid apud nos hodie? videmus, quomodo in obsequium servile submissa fides officii sit: pauci ex animi sententia suadent dissuadentq; plerique sui commodi gratia in casum dant & se, & Rempub. Habemus luxuriam & avaritiam: publicè egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias: sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio possidet. QUAM qui honestam esse dicunt, ut non nulli dicunt, prorsus amentes sunt: probant enim & legum

legum & libertatis interitum, earumque oppressionem tetram & detestabilem gloriosam putant. Neque mirum, ubi vos separatim, sibi quisque consilium capitis, mali cives, ubi domi voluptatibus, in hoc sanctissimò habendi. Senatus loco, pecuniæ aut gratiæ servitis, eò fit, ut impetus fiat in vacuam remp. & RES privatæ semper officiant consiliis publicis. O Dii immortales! ubinam gentium sumus? quam Remp. habemus? in qua urbe vivimus? Sed ego hæc omitto. Circumspicite potius omnes procellas, quæ impendent. Non Tiberius Gracchus, qui iterum Tribunus plebis fieri voluit: non Cajus Gracchus, qui Agrarios concitare conatus est: non Q. Saturninus, qui Cajum Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in vestræ severitatis judicium adducitur, sed tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium cædem, ad Catilinam recipiendum Romæ restiterunt: tenentur literæ, signa, manûs, denique uniuscujusq; confessio: solicitatur gens Gallorum, infestissima nomini Romano, ad bellum: Dux hostium cum exercitu supra caput est, id est, initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo nead deplorandum quidem Reip. nomen, atque ad lamentandam tantam imperii calamitatem relinquatur. Vos verò cunctamini etiam nunc, quid intra mœnia deprehensis hostibus faciatis. ITA inutili morâ tempus agendi consultando perditis. Misereamini censeo? Deliquêre

quêre homines adoleſcentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis? næ, iſta vobis manſuetudo & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam vertet. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito incendio concidentem: cerno animo ſepultam patriam, miſeros atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis. Cum verò mihi propoſui regnantem Lentulum, ſicut ipſe ſe ex ſatis ſperâſſe confeſſus eſt, purpuratum hunc Gabinium, cum exercitu venientem Catilinam, tum lamentationem matrumfamilias, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem Virginum veſtalium perhorreſco; & quia mihi vehementer hæc videntur miſera, atque miſeranda, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me ſeverum, vehementemq; præbeo. Etenim quæro, ſi quis paterfamilias, liberis ſuis à ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo ſupplicium de ſervo quàm acerbiſſimum ſumſerit, utrum is clemens, ac miſericors; an in humaniſſimus & crudeliſſimus eſſe videatur? MIHI verò importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum, & cruciatum dolore nocentis & cruciatu lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas unuſcujusque noſtrûm domos, & hoc univerſum Reip. domicilium delere conati ſunt: qui id egerunt,

egerunt, ut gentem Allobrogum in veſtigiis hujus urbis, atque in cinere, deflagrati imperii collocarent: Si vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur: ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis crudelitatis, in patriæ, civiumque pernicie, fama ſubeunda eſt. Scilicet, res ipſa aſpera; Sed vos non timetis eam: imò verò maximè; ſed inertia & malitia, ſed animi alius alium expectantes obſtant: Nullus ſuâ unius negligentiâ Remp. damno affici; ſed aliis quoque aliquid pro ſe curæ fore arbitratur. Quod dum putatis ſinguli, non animadvertitis, ſummam boni publici perire. Videlicet Diis immortalibus confiditis, qui hanc Remp. in maximis ſæpè periculis ſervavêre. AT neq; votis, neq; ſuppliciis mulieribus auxilia Deorum parantur. Nullus eorum propter nos de cœlo deſcendet. Vigilando, agendo, bene conſulendo proſpera omnia cedunt: ita res Romana olim crevit, non his ſenſibus conſiliisve, quæ timidi cauta vocant. NVSQVAM enim nec emolumentum ſine impenſa opera eſt, nec opera ſine emolumento: ubi ſocordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores, irati infeſtique ſunt. NON convenit, cum ipſi inter nos vi-les neglectiq; ſimus, poſtulare, ut à Diis immortalibus aut diligamur, aut juvemur. Apud majores noſtros Junius Brutus, duos adoleſcentes filios, proditionis convictos, ſupplicio affecit: Manlius Torquatus bello Gallico, fi-

lium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necati jussit. Atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit; vos, de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? quorum maleficio dignum supplicium inveniri non potest. In iis, qui violassent ingenuam, pulsassent aliquem, aut postremò necassent, maxima supplicia majores nostri consumserunt, in hos derelictos ab humanitate homines pœnam nullam reliquerunt? Quos an lucem usurpasse fas est, præsertim, si non vacet illud metu summi periculi? Videlicet vita cætera eorum huic sceleri obstat & potentia. CAVTIS hæc, quàm acrioribus, consiliis habetur tutius. Verùm parcite dignitati Lentuli Prætoris, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si diis aut hominibus unquam ullis pepercit. Decora autem ejus prisca, si qua extiterunt, ne vos frangant. INIVRIAM quidem patientibus patrocinari debent: iis verò qui aliquid turpitudinis admisserunt, duplicare supplicium, eò, quòd minimè conveniens pristinæ virtuti peccatum commiserint. RECIDAT malum exemplum tanti viri in autorem, nec ulla miseratio huic contingat, qui tantas injurias faciendo docuit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum jam patriæ bellum fecit, & ostendit, quantum mali patriæ à Cive perditissimo posthac etiam impendeat, nisi hoc infelix lolium citò eruncetur. Quis toties, in uno homine, salutem Reipublicæ periclitandam

dam esse dixerit? Quid ego de Gabinio, Statilio, Cepario loquar? quibus si quicquam pensi unquam fuisset, non ea consilia habuissent de Republica; non ad vastitatem destinassent patriam, quos pro ejus incolumitate sanguinem fundere decebat. Postremò, Patres Conf. si mehercle peccato locus esset, facilè paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis: HOC enim usitatum est & triste socordiæ præmium; sed undique circumventi sumus: latiùs opinione disseminatum est malum: manavit non solùm per Italiam; verum etiam transcendit Alpes, &, obscurè serpens, multas jam provincias occupavit. Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. Celeriter vobis vindicandum est: Catilina cum exercitu in faucibus urget: alii intra mœnia atque in sinu urbis sæviunt hostes. Hîc, hîc sunt in nostro numero, P. C. in hoc orbis terræ sanctissimo gravissimoq; consilio, qui de nostrûm omnium interitu, qui de hujus urbis, adeoq; orbis terrarum exitio cogitant. Hosce nos videmus, hos de Republica rogamus sententiam: quos cum captivis ferrò trucidare oportebat, eos nondum voce vulneramus: neq; parati, neq; consuli quicquam occultè potest. Quò magis properandum est, cum festinatione nihil sit tutius: improviso supplicio plurimum consequemur: factò magis, quàm consulto opus est. Quare ita ego censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium Resp. in

maxima pericula venerit, hiq; indicio T. Volturtii & legatorum Allobrogum convicti confessiq; sint, cædem, incendia aliaq; fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, qui omnia hominum Deorumq; jura novô, inauditô, inexpiabili scelere polluerunt, nefarioq; se patriæ parricidio obstrinxerunt, more, majorum, supplicium sumendum.

SVPPLICIVM CONJURATORUM.

C. Iulii Cæsaris in Senatu habita.

ORATIO

CUM multa sunt, Patres Conscripti, quæ rectæ consultationi maximè adversantur, tum in primis duo isthæc, Celeritas & Ira, quorum alterum cum amentia conjunctum esse solet; alterum cum imperitia, & inopia judicii. Ut enim pœnam culpa priorem, non licet statuere hominibus, qui de rebus dubiis consultant, ne præcipitata consilia tristis potentia suscipiat: ita ab ira, odio, ab amicitia, atque misericordia vacuos esse decet, qui judicium officio funguntur. Pessimi enim sunt hi consultores. Haud facilè animus verum aut justum provident, ubi illa officiunt. NEMO quisquam hominum libidini simul & usui parui ub

ubi intenderis ingenium in causam ipsam, valet; at, ubi lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet, quicquid obstare putat sibi, aut impedire proposito, id, non rationis; sed cupidinis imperio, considerationi subducit. Magna mihi copia est narrandi, P. C. qui Reges aut populi, ira aut misericordia impulsi, malè consuluerint, quos itidem privati odii pertinacia stimulaverit in publicum exitium; sed ea malo dicere, quæ majores nostri, contra libidinem animi sui, rectè atque ordine fecerunt, & toties clementer habuerunt hostes suos, in quos jure poterant sævissima decernere; ut & se hoc pacto vincerent, & ipsos. Ita enim statuerunt Viri Sapientissimi: NON illum solùm hostem vinci, qui cadit in acie, pondere armorum oppressus & virium, sed multo tutiùs etiam sub jugum mitti voluntarium, qui sentit expertus, nec fortitudinem in contumaces, nec lenitatem in supplices animos deesse. Bello Macedonico, quod cum Rege Perseo gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quæ Pop. Rom. opibus creverat, infida, atque adversa nobis fuit; sed, postquam, bello confecto, de Rhodiis consultatum est, majores nostri, ne quis divitiarum magis, quàm injuriæ bellum inceptum diceret, impunitos eos demisere. Item bellis Punicis omnibus, cum sæpe Carthaginenses, & in pace, & per inducias, multa nefanda facinora fecissent, nunquam illi per occasionem talia fecêre, aut par

pari retulêre, ne odio, aut furoris alicujus libidini indulgere viderentur, in bellis eò usque tantum inimicos persequentes, donec clementiæ & probitatis suæ declarandæ facultatem viderent. Et hâc animi magnitudine, hâc benigtate feroces plurimorum spiritus perculerunt, ut, pro infestis hostibus, paratos ad omnia deinceps adjutores, amicos, socios ipsos haberent. MAGIS videlicet, quod se dignum foret, quam quod in illos jure fieri posset, quærebant, ne, cum servare possent, perderent: sed cum perdere possent, laudabiliter servarent. Hoc item vobis providendum est, P. C. ne plus valeat apud vos Publii Lentuli, cæterorumq; scelus, quàm vestra dignitas; non magis iræ vestræ, quàm famæ consulatis. CÆTERIS quidem mortalium in eo stant consilia, quid sibi & suis conducere putent: imperantium diversa sors, quorum præcipua ad famam dirigenda, ut exemplar aliquod clementiæ & virtutis publicum exsistant. Quod si tamen digna pœna pro captivorum factis reperitur, novum consilium approbo: Sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. PERCULOSUM in Reipub. innovandi studium, quod consuetudine firmatum habemus, etsi minùs bonum sit, aptum tamen est temporibus. Si quid utilitate juvare videtur; novitate tamen & inconformitate turbat. Quod diu æquum visum est, quid modò immutabi-

mus? Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositè atque magnificè casum Reip. miserati sunt: quæ belli sævitia esset, quæ victis acciderent, enumeravêre: rapi virgines, pueros, divelli liberos à parentum complexu, matres familias pati, quæ victoribus collibuissent, fana, atque domos exspoliari, cædem, incendia fieri, postremò armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortales, quò illa oratio pertinuit? An uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet, quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est. FORTIUS penetrant animos horrenda ejusmodi scelera, quàm verba, quæ in summo labiorum margine sæpius natant sine pondere: neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur: altiùs descendunt, quàm merita hæc citò defluunt, illas tenax memoria custodit, multiq; graviùs æquo habuêre: nec aures quidem ullis consiliis applicat surdus ex iis animus. Sed ALIA aliis licentia est, P. C. Qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundiâ deliquêre, pauci sciunt, latent in turba virtutes etiam illorum: ut appareant, diu luctantur, famâ atque fortunâ pares sunt. At qui, magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre: nihil tectum, nihil occultum esse fortuna publici officij patitur: intimos etiam secessus redudit, omniaque arcana noscendæ famæ explicat. IDEO

nullis magis cavendum est, qualem famam habeant, quam iis, qui, qualemcunq; habuerint, magnam habituri sunt. Perpendendum ergo nobis erit meritò in rebus, quas decernimus, quas statuimus, quas agimus, quidq; tot, tantisq; hominum opinionibus, tantis de nobis judiciis, tantis honoribus debeamus, cogitandum. IN maximâ fortunâ minima licentia est. Sicut populo honore præstamus; ita ad omnia ut obedientem magis habeamus, duces debemus esse. Omnia enim desiderantur ab eo, tamquam nihil denegatum sit ei, quò minus omnia possit, qui publico negotio præpositus est: neq; studere, neq; odisse; sed minimè irasci decet. NUMQUAM, qui iratus accedit ad pœnam mediocritatem illam tenebit inter nimiũ & parum. Cum imò, qui Reip. præsunt, legum esse debent similes, quæ non affectu aliquo; sed æquitate & veritate ducuntur. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur, utraq; odiosissima, utraque naturæ, quam sequi debemus, maximè inimica. Equidem ego sic existimo, P. C. omnes cruciatûs minores, quam facinora conjuratorum, esse: neq; carcer, neq; laqueus, ne servilesquidem pœnæ, in eos suffecerint; SED plerique mortalium postrema meminêre, & in hom. impijs, sceleris eorum obliti, de pœna differunt, si ea paulò severior fuerit. Miseratio oritur in plebe, quanquã adversus fontes, & novissima meritos, quasi non utilitate publ. sed in sævitiã imperan-

perantiam assumerentur. Decium Sullanum, virum fortem atq; strenuum, certè scio, quam dixit, stadio Reip. dixisse sent. tanquã obsidem perpetuæ in eam voluntatis, sicut & ipsius dignitas, & majorum amplitudo postulabat. Nec in tanta re gratiã, aut inimicitias, exercere eos mores, eamq; modestiã viri cognovi; verum sententia ejus mihi non crudelis, (quid n. crudele in tales homines statui potest?) sed aliena à Repub. nostra videtur. CITRA potius in suppliciis consistere, quam ultra progredi semper elegit, & hanc sibi commen. peperit: alias gloriari in aliis posse; nulli gentium mitiores pœnas placuisse. Et profectò aut metus, aut injuria te subegit, Sullane, consulem designatum, genus pœnæ ultimi supplicij novum decernere. De timore super vacaneum est differere, cum præsenti diligentiâ clarisſ. Viri, Consulis Marci Tullij, tanta præsidia sint in armis, tantus mentium, voluntatum, studiorum consensus, ad conservandam Remp. in omnibus ordinibus. De pœna possum quidem dicere id, quod res habet: in luctu atq; miseriis mortem, ærumnarum requiem, non cruciatum esse. Sapientes nunquam invitos, fortes etiã expectantes invasisse. Eam cuncta mortalium mala dissolvere, &, sicut metus puerorum naturalis, fabulosis quibusdã terriculamentis: ita metũ mortis ipsis improbis exaggerari tantũ: ultra neq; curæ, neq; gaudio locũ esse: in illã omnes nos tranquil. poni, in qua, antequã nasceremur, fuim⁹. Sed per Deos imortal.

quam ob rem in sententiam non addidisti, Sullane, uti priùs verberibus in eos animadverteretur? etiam hoc pœnæ genus est gravissimum, si omnem calamitatum molem iis visum est imponere. An, quia Lex Porcia vetat, & ab omnium civium Romanorum corporibus virgas severè amovet? At aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi; sed exilium aut carcerem permittunt. Sic enim à majoribus nostris accepimus, qui expulsis Regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regiæ retinuerunt, facinus esse judicantes, vincire civem; scelus, verberare; prope parricidium, necare. Quam ob causam igitur curatiùs legem Porciam, quam Semproniam metuis? An, quia gravius est, verberari, quam necari? Quid autem acerbum, aut nimis grave est, in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia civis est: quî convenit, in minori negotio, legem observare, cum eam in majore neglexeris? Nisi forsan graviorem impetum in majora periditatus es, ut minora facilius concidant. Sed quis reprehendet, quod in parricidas Reipubl. decretum fuerit? INUSITATA facinora, inusitata supplicia postulant. Omnium expositi odiis quantascunq; pœnas luant, scelerum meritas luant. Quis nostrum hoc propositum improbare possit? Rectè quidem hoc, si tempus quiesceret, omnia innovare solitum. HOC improbare posset, ubi alium Reipub. statum adduxerit, & inprimis fortuna, cujus lubido gentibus

gentibus moderatur. Nonne in cunctis rebus humanis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum dierum vices: ita morum vertantur, & judiciorum, & sicut in rebus omnibus: ita in Repub. præsertim magni momenti sit inclinatio temporum? Per hanc enim eventus rerum non minus mirabiles procedunt, quàm hominum cogitationes, ut ei, qui rectam consiliorum viam inire cupiat, non solùm præsentis; sed præcipuè futuri habenda sit ratio. Conjuratis meritò accidet, quidquid evenerit, fateor: cæterum vos, P. C. quid in alias statuatis considerate. OMNIA mala exempla ex bonis initiis orta sunt, Non consistunt ibi, ubi cœperunt; sed, quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè evagandi sibi sumunt licentiam; ubi semel recto deerratum est, in præceps pervenitur: ubi imperium ad ignaros, aut minùs bonos pervenit, novum illud exemplum à dignis & idoneis, ad indignos & non idoneos transfertur. Quis tunc rationibus satis obniti potest? Quis ex orta malorum abysso, qulbuscumque etiam modis potest eluctari? Fit HÆC inter causas malorum morum non postrema est, quod & privatim, & publicè ad exempla, non tam ratione componimur, quàm consuetudine. Si quid pauci faciunt, nollemus incitari; cum plures facere cœperunt, honestius fit, quia frequentius, sequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Lacedæmonij, devictis Athenien-

sibus,

bus, triginta viros posuêre, qui Remp. tractarent. Hi primò cœpere pessimum quemq; & omnibus invisum, indemnatum necare. Ea populus laudare, & meritò dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos & malos libidinosè interficere, cœteros metu terrere. Ita civitas, servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostrâ memoriâ Victor Sulla, cum Damasippum, & alios hujusmodi, qui malo Reipub. creverant, jugulari jussit, quis non factum ejus laudabat? Homines scelestos & factiosos, qui seditionibus Rempubl. exagitaverant, meritò necatos nemo non ajebat. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. Namque uti quisque domum aut villam, postremò aut vas, aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam uti is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulo post ipsi trahebantur: neque priùs finis jugulandi fuit, quàm Sulla omnes suos divitiis explevit. ADEO sæpe honestas rerum causas, quidquid etiam provideas, pernicioso sequi exitûs videmus. NEMO præstantior artifex, quàm qui per aliorum errores doctus ante, quod caveret, quidq; faceret, vidit. Idcirco moneo, & prædico, integrâ re causâq; denuncio, omnes homines Deosque tector: dum potestis, dum licet, videte, ne duriorem vobis, vestrisque conditionem statuatis, quàm ferri possit. Serpet hoc malum, (mihi credite,) serpet longiùs, quàm putatis. Quanquam ego nihil hujus

hujus in M. Tullio, aut his temporibus vereor; sed IN magna civitate multa sunt & varia ingenia, varia judicia, variæ voluntates: præterea SUÆ quisq; intentioni favet, hanc adorat, sequitur; ubi accesserit fortuna, varietatum amans, & plerumq; inimica justitiæ, exemplum hoc nostrum periculosè usurpabitur. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per Senatûs decretũ, consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut moderabitur? Si Senatus videre cogatur, eum, quem se cum autoritate defensorem habiturum speraverat, armatum esse imperio adversus ipsammet Rempub. si, cum imperio qui præest, ultra recordari nolit, exercitum cui imperet, Senatûs, populique atque universæ Reip. esse, non suum: si milites, ipsius nomen secuti, sibi ab illo imperari velint, Ducem deposcant ipsum, eoque res sint cardine, ut imperium belli necessitas; fasces Senatus contulisse videatur. An Catilinam, cum proditionis administris, extremam Patriæ pestem putatis? Idem crediderant, qui Graccho, qui M. Fulvio superstites fuerunt, cum interim intestabilior, & sævior exortus est. Non timeo, ut jam dixi, hæc tempora; mutationem eorum timeo: DIUTIUS durant exempla, quàm mores. Majores nostri, P. C. neq; consilij, neq; audaciæ, neq; fortitudinis unquam eguêre, neq; superbia obstabat, quò min° instituta aliena, si modò proba erant imita-

imitarentur, & in aliquem usum suum, quid-quid ullibi bonum, opportunâ derivatione converterent. In multis enim gentibus, devictis etiam, videbant, quæ non erubescerent facere. NEC aliter tantum aptè regi posse imperium existimabant, quàm ut quædam & traderent illis, & ab iisdem discerent. Arma ac tela militaria à Samnitibus, insignia Magistratuum à Tuscis pleraque sumpserunt: apparitorum quoque numerum ab Hetruscis finitimis, unde sella Curulis, unde toga prætexta sumpta est, duxerunt: postremò, quod ubiq; apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur: imitari, quàm invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives: de condemnatis summum sumebant supplicium. Ea res & silvescentem primò improborum malitiam coercuit, & bonos ad officium alacriores, & tutiores fecit. Postquam verò adolevit Respubl. & multitudine civium factiones valuêre, alia hujuscemodi fieri cœpere: tunc instituta, quæ non ad ferendos, sed abolendos malos mores suscepta erant, mutata, boni publici causa, & Lex Porcia, aliæque leges gravi consilio, post seriam Patrum deliberationem, paratæ sunt, quibus legibus exsilium damnatis permissum est, aut decreta captivitas. Ita olim trecenti ferme nobiles Campani, ob facinora, in carcerem conditi, alij per sociorum Latini nominis

nis urbes in custodiam dati sunt: sævitia summorum suppliciorum exsulavit. Et hanc ego causam, P. C. quò minus consilium novum capiamus, mortique statim dedamus cives captivos, in primis magnam puto. Noluerunt hoc fieri Majores nostri, abrogârunt leges veteres, earum aliâs tenacissimi. PROFECTO virtus atque Sapientia in illis major fuit, qui ex parvis opibus hoc imperium fecêre; quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Superomnibus negociis, procul dubio, meliùs atque rectius olim provisum: quæ convertuntur hodie, in deterius mutari sentimus. Unde instituta eorum sequi commodissimum & necessarium judico. Placet igitur eos dimitti, atque augeri exercitum? Minimè. NON est armanda ullâ impunitatis specie audacia: satis jam virium habet: invalescit quotidie quasi amplius. Subtrahenda sunt potiùs nutrimenta flammæ voracissiæ, quæ totam Italiam miserabiliter consumit. Sic autem censeo: pecunias eorum, & bona omnia publicanda: ipsos in vinculis, & horribilibus custodiis hâbendos per municipia, quæ maximè opibus valent: ne quis postea de his levandis ad Senatum referat, neve cum populo ullo modo agat: eripiendam omnem spem, quæ hominem consolatur in miseriis: solam vitam in squalore, luctu, gemitu relinquendam nefariis hominibus: qui aliter fecerit, Senatum existimare, eum contra Remp. & salutem omnium facturum.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

ANIMANT PASCHALIA GAUDIA VOCES.

SIMULACRUM est doloris, occultare quod gaudeas: afflictionis species, silere inter optata. Quid enim est lætitiâ facundius? ostentat sese, foris prominet, ut facilius ignem linguâ comprimat, quàm vocem. Vide mihi impræsentiarum Ecclesiam! ut tota plaudit: ut exsultat: ut tripudiat, quæ tota nuper sub dolore trepidavit, gemuit, tacuit. Nimirum, versæ rerum vices: nubila jubila facta sunt: transiit tempestas crucis funestissima: redit lætitiæ paschalis serenitas, quæ mentes omnium in voces, voces in plausûs plausus in tripudia commutat. Illustre fuit hoc victorum præmium, ut Supplicatio decerneretur à Romanis ejus nomine qui bene, fortiter feliciterque rem gesserat. Quis nostram modò pietatem deceat, res loquitur. Quis tam notabili gentilitatis exemplo vinci vellet? Revocanda potiùs Romana supplicatio quid? non prorsus nobis & Christiana decernenda est, illius nomine, qui victoriam magnificam, terribilem, salutatem, stupendam toti mundo retulit. Magnificam certè. rerum, quas confecit, gloriâ; sed terribilem, tot antè invictorum hostium internecione: salutarem verò infinitis, quæ dispensat, commodis; stupendam opere divino ac successu, in qua nihil mediocre, nihil remissum, optima, fortissima, felicissima omnia Tralatitium fuit, Romanos se in supplicationibus ad pulvinaria Deorum prostravisse, de lectisterniis quoque sollicitos. Nunquid nos inferiores erimus? imò sanctiori cultu jam superiores sumus. Videmus, civitatem populosissimam (testem quemq; nomino) è tectis suis effusam, sacris ædibus infusam, ad DEVM suum se advolvere: videmus, gratas manûs, gratas linguas, gratos animos ad aram gratiæ divinæ tolli: videmus, sancta passim ornari devotionis lectisternia: videmus, Viros Dei animare omnes graviter & suaviter, ut totos sese Christo suo reddant, qui se suis totum reddidit: ut surgant ei omnes, qui surrexit omnibus. Sed ubi arcus triumfales? ubi honorificæ inscriptionis ornamenta, quæ jungebant Romani? Præsto sunt in votis, in suspiriis credentium. Ecce Tibi specimen, quod mens festinè subjicit:

JESU. CHRISTO.

DEO-HOMINI. VERBO CARNI. AGNO-LEONI. PRINCIPIO-FINI. QUI. EST. ET. QUI. ERAT. ET. QUI. VENTURUS. EST. LIBERATORI. ORBIS. FUNDATORI. QUIETIS. SEMPER-AUGUSTO. OB. SALUTEM.

TEM. FORTITER. RECUPERATAM. FUSIS. FUGATIS. CÆSIS. HOSTIBUS. TOTUM. HOC. QUANTUM. EST. ÆTERNO. CULTU. D.D.

Romani, pro victoris & victoriæ conditione, plures dies decreverunt, usque dum ad quinquaginta ventum est. Sed quot nos Victori nostro? quot tantæ illius Victoriæ? æterno beneficio æterna debetur supplicatio. Interim, intempore cum simus, in tempus tempus dividimus: ideoq́, ne Romanis fortè cederet antiquitas, totos etiam quinquaginta dies supplicationi Paschali sacravit. Quonam fine? nullô aliô, quam ut ita salus mundi & regnum cœli, ut clades inferi & superorum gloria; ut mors mortis & vita mortuorum, ut divinæ miserationis testimonium & nostræ liberationis pretium: unô verbô: ut triumfus Christi omnes eo meliùs exhilaret. Sic enim loquitur cœlesti manans ambrosiâ, Ambrosius: Majores nobis tradiderunt, omnes quinquaginta dies Pentecostes, ut Pascha, celebrandos. Quid? quod ludos quoq́ instaurârunt, ad memoriam posteritatis: quod Emblematis ingeniosis penitùs imi infixam voluerunt pugnam Christi & triumfum. Ex illis celebratum est Gregorij Nazianzeni Drama Poëticum: ex his judicaverim fuisse Libyci Draconis victorem, Georgium. Suavis sanè est consensus rerum ab eo gestarum, cum paschali victoria. Nihil est assutum sordidi, quod sanctitatem rerum deterat. Subinde hoc videre est in fabulis, quas ad docendam fidei

fidei mysteria rapiunt. Exhibetur ibi filiæ regiæ calamitas, destinatæ faucibus Draconis horridissimis, quod annon Regis Regum filiam, Ecclesiam, respicit? Proponitur Draconis voracissimi immanitas, imago monstri infernalis, hostis nostri pessimi maximi. Sed mascula subijcitur Georgij felicitas, cujus eò gratius auxilium, quò minus fuit provisum, quò magis fuit opportunum. Venit, vidit, vicit. ita nostri Salvatoris instar habuit. Tandem additur exhibiti triumfi celebritas, umbra ejus aliqua, qui Deo nostro, ex sepulcro reduci, cum laudibus & plausibus, cum gaudiis & jubilis cœlorum & terrarum, adornatus est. Quod cum videret nuper Iuvenis Doctissimus, GEORGIVS von Damm / *jucundô in primis argumentô motus, fusiori omnia stylô ex secutus est, ut & supplicationis telam, in Basilicis divinis cœptam, in Gymnasio pertexeret, & gratam nominis Georgiani memoriam, ex memoria, oratione publicâ recoleret. Vt ergò gratiosâ iterum præsentiâ honorem Deo & lætitiæ publicæ habeant, Patres, Patronos, Fautores, Amicos omnium ordinum honoratissimos, ad audiendum in Musarum domicilio de Georgio, ipso Georgij die, Georgium nostrum, humiliter, officiosè, humaniter, amicè invitamus. Dab. in Museo, Mense Aprili. Anno 1647.*

GEORGIUS TYPICUS.

ORATIO.

TAndem ergo diræ passionis hiems transiit, imber indignationis divinæ recessit: flo-

res optatissimæ gratiæ opparuerunt in terra nostra! gaudia ingeminantur undique & jubila! cœlum ipsum, purpureo fulgore splendidius, lætitiæ suæ ornatum ostentat! Et quidni ostentet? Cœli enim princeps, inferorum domitor, mortis victor, Christus, resurrexit, Christus de omnibus hostibus egregium triumfum reportavit! Sic planctus omnis in risum, sic ira in favorem, sic bellum in pacem, sic mors in vitam conversa est. O delicias! O lætitias! quam longè aliam nunc faciem ostendis nobis, Salvator gloriosissime, aliam, quam in passione nupera? omnem animi sensum, omnia corporis membra immutata cernimus. Illi ipsi tui oculi, qui in cruce & morte caligabant, modò sole limpidius radiant: illæ aures tuæ, quæ in cruce clausæ erant, nunc Mariam plorantem è longinquo audiunt: illud caput, quod coronâ laceratum erat spineâ, nunc diademate sidereô illustratum est: ille vultus, qui in cruce livido cruore madebat, nunc cœlesti quadam pulcritudine resplendet: illa lingua, quæ præ siti & dolore adhærebat faucibus, nunc omnibus afflictis acclamat: Ego sum resurrectio & vita! illud os, quod tunc clausum erat, nunc se aperit, & pacem discipulis ebuccinat: Cor illud, quod modò, ut testa, exaruerat, jam se recolligit, redit virtus ejus: Illæ manus, quæ antè clavis affixæ erant, nunc regia vexilla proferunt: illud latus, quod modò miles aperuit, nunc solis lucem & fulgorem superat: illi pedes, qui

qui in cruce erant alligati, modò sunt celeres ad occurrendum miseris & desperatis. O corpus rutilantissimum, quod mortis nuper caligine vidimus tantopere, obscuratum! Corpus immortale, quod paulò antè erat mortuum! corpus impassibile, quod tot sævos cruciatus subiit? corpus mirâ decoratum agilitate, quod ignominiosæ crucialligaverant! Corpus angelis stipatum, quod famosissimos inter latrones pendebat. O gloriam inæstimabilem! O honorem ineffabilem! Sicut cœli, & præsertim solis incluti, serenitate, mentes hominum ad gaudia concitantur: ita & nobis, tanta illa Solis cœlestis gloria concitatis, exultandum & lætandum est, exemplo primitivæ ecclesiæ, quæ totos quinquaginta dies paschalibus indulsit gaudiis, victorias Salvatoris nostri cecinit, teneris mentibus variis modis inculcavit, ne facilè animis excidat, in quo unicè deliciari possent. Quem in finem crebris usurpabant sermonibus istud, sive factum, sive fictum Divi Georgii, qui, Diocletiano imperante, in Silea, urbe Libyæ, ingentem Draconem, nobili virtute, masculo gladio confoderit, cui pulcerrima Regis filia jamjam erat offerenda. Nimirum cives ejus loci, post frustra tentatas Draconis istius oppugnationes, pactionem facere cum eo hunc in modum coacti sunt, ut singulis diebus duas oves illi vorandas traderent. Quod cum satis diu factum esset, ad extremum penuria ovium tanta exstitit, ut exsolvere promissum amplius

non possent. Idcircò inter illos denuò convenit, ut in dies singulos unam ovem, cum homine uno, darent, ideoque ut res tota jure ageretur, sors missa est quotidie, ut, quemcunque illa tangeret, ad Draconem duceretur. Tetigit regis filiam: educitur illa inter lacrumas & planctus populi: Draco rictûs truculentos ad hanc offam præparat, & jam aderat; sed ecce opus divinitatis ipso jam successu securum monstrum subita excipit ultio, affulget spes calamitosæ virgini & salus. Venit eques cataphractus Georgius, vidit luctu & miseria languescentem civitatem, vicit hydram voraciſſimam, per virginc regia victricem hastam illi objecit & occidit masculè, inter gratulantium & exultantium plausus atque vota magnificè deductus in Regiam. Quis non facilè intelligit, Auditores, sub jucundo hujus narrationis velario, magna nobis exhiberi Christianæ fidei capita? Quis, penitius attendens, non dispicit, statum quondam Ecclesiæ miserabilem sub Regiæ Virginis calamitate: hostem illius horribilem, sub Libyci Draconis immanitate: imprimis Salvatoris nostri victoriam, sub Georgij triumfatoris celebritate, amabiliter proponi? Quod ipsum gaudij paschalis argumentum, cum nonnihil planius evolvere animus sit, prius quam in hoc cursu provehar ulterius, à vobis, Auditores, summopere peto & contendo, ut, quando omne mihi perfugium in vestra bonitate & clementia situm est, tenuitatem meam beni-

benignitatis vestræ favonio sublevetis, quo mea oratio, his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum faciliùs consequatur.

Eò igitur miseriarum calamitosissima Civitas redacta erat, ut illustre decus suum ad mortem traherent cives invitissimi, & Draconis furori offerrent Regis sui filiam, adeò formosa facie ac eleganti splendescentem, ut cupidos omnium oculos atque animos in se converteret, & blanco venustatis robore vinceret planè ac vinciret. Quid igitur mirum fuisset, si, præsentis mali cogitatione, non ipsa modò miserrima victima; sed & alij repentè concidissent? Sicut factum aliis legimus, qui, nihil passi aliud, mortem metuendo, & totis artubus intimisq; sensibus exhorrescentes, mortem subitam oppetierunt. O spectaculum non hominibus modò; verum ipsis quoque undis luctuosissimum! Virgo educitur, Filia regis, Filia omnium virtutum decoramento spectabilis, ut horridi Draconis fauces atque famem satiet. Quæ verò illa omnium virtutum laudibus exornata Regis filia? Ecclesia est, Ecclesia Christi Salvatoris nostri, quæ toties hoc nominis honore celebratur. Adoptavit enim illam Deus ex paterna gratia, ut filia esset, cum hostis esset: porrexit illi sceptrum verbi & Sacramentorum, ut de adoptione & gratia certa esset: imò sponsam dixit Filij sui, & ab æterno ei desponsavit. Hæc laudem pulcritudinis, testibus cœlo & terrâ,

terrâ, meretur. Sed quænam ista pulcritudo? internus variarum virtutum spiritualium decor, quod, admirabili quodam ac verè divino numinis afflatu perculsa, rebus mundi omnibus posthabitis, ad cœlestium rerum culturam omnes suas cogitationes, atque omnia studia conferat, clarissimo virtutum omnium fulgore inde fulguret, ut in ea tot illustria donorum signa, tot virtutum Christianorum tabulæ, ad admirationem affixæ, tot laudum vexilla, ad sempiternam ejus gloriam pendentia, conspiciantur. Hîc enim dux & lux Virtutum, Fides eminet; illîc aureum cœli terræque vinculum, Caritas, sursum spectans Deum; deorsum proximum: Isthîc quoque Spes, felix condimentum malorum, pij cordis augustale decorat, cui Patientia comes accedit, moderationis animi progenies, & aliæ sorores virtutes, quæ miram illam elegantiam Filiæ regiæ conciliant. Ettamen fauces suas distentat Draco horridissimus, ut misellam illam dilaniet ac deglutiat. O crudelissimam immanitatem! O immanissimam crudelitatem! Quod tantum esse potest flumen ingenij? Quæ tanta dicendi vis & copia, quæ, non dicam describendæ, sed tantum primis lineis adumbrandæ illi sufficiat? Draco iste Libycus totam civitatem obturbabat: sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine obvios quoscunque devorabat: nullis puerorum ejulatibus, nullis mulierum lamentis, nullis morientium gemitibus, nullîs denique clamoribus,

motibus, totâ utbe sonantibus, moveri poterat: magis quotidiè magisq; atroci humani sanguinis siti urebatur, omnesq; uno impetu cives tollere cupiebat. Eum in finem totum tractum, habitu sugdissimo, inficiebat, multosq; miserabiliter, pestilentissimâ isthac fraude, extinguebat. Miseros verò cives, qui ad pugnam contra istum toties egressi sunt! ad mortem suam toties egressi sunt, quam Draco illis statim intulit, arma repulit, evertit, ipsos laniavit, in lacu suo habitans, unde tot calamitatis molimina expediit. Quod ovum ovo tam est simile, Auditores, quàm princeps inferorum Draconi illi? quæ actiones ita sibi sunt conformes, quam Draconis Libyci & Sàtanæ? Hic enim, odio truculentissimo incitatus, totum mundum tristi obsidione cingit, &, quod Duces militares faciunt, ut tormentorum modò insultibus & tumultibus obsessos muros quatiant, modò, per cuniculos, viam sibi parent ad victoriam: Idem ille agit sedulò, & modò graves gravium tentationum, afflictionum, plagarum catapultas admovet, modò blandis nos insidiis, ad securitatem, ad voluptatem, ad alia carni amica incitat, ut obsessos tandem capiat, captos furiosè trucidet, trucidatos in abyssum ventris sui insatiabilem dejiciat. Quam latè itidem dispergit virus suum? quos non inficit peccati veneno? quibus non labem & tabem pestilentem affricat? quos non adversus sese pugnantes repellit? evertit? dilaniat? Im-

pares enim sumus, quotquot sumus, nobis relicti: imparesomnino ad resistendum forti huic armato, ad comprimendum validissimi hostis furorem & tumorem. Nimium robustus ille Draco est! ecce caput habet instar capitis Medusæ, quod in nostram perniciem erigit; oculi immaniter fulgurant, & radios venenatos emittunt ad inficiendum: fauces suas, instar barathri, latè aperit ad nos deglutiendum: ex ore lampades, erumpunt cum carbonibus ignitis: dentes ejus gladij acuti sunt, quos in miserorum animos subinde acuit: lingua ejus triplex hamus est ad nos capiendum: ungues suos armat ad diripiendam prædam, caudâ suâ totum mundum verrit, & ubique spargit virus suum. Quod si animum ejus erga nos æstimes, videas in ejus pectore igneas ardere flammas, quas in homines conatu magno evomit; Si æstum consideres, totus ex fraudibus, laqueis, pedicis, decipulis est compositus, & hoc omne in exitium nostrum intendit; si potentiam, nulla est, cui cedat, nulla, quam extimescat in terra. Natura de serpentibus Ceraſtis laudatissimus naturæ interpres, Plinius, eminere in illis cornicula fere quadragemina, quorum motu, reliquo tamen corpore occultato, aves ad se sollicitent; geminum illis caput unum antè; alterum retro & ad caudam, tanquam parum esset, uno ore venenum diffundi. Aliis squamæ sunt, aliis picturæ, omnibus exitiale virus nec pedibus tantùm; sed & missili volare dicuntur tormento.

In Diabolum, antiquum illum serpentem, hæc quadrare omnia, quis non videt? Ceraſtes quadragemina habet cornua; longè plura Diabolus: Ceraſtes occulit corpus sub cornibus; hic suam mirè occultat nequitiam sub mille fraudibus: ille cornuum motatione sollicitat aves; hic miſellas animas: illi bina capita; huic septem: ille missili volat tormento; hic, vento celerior, multiplici ore tela in homines hinc & inde ejaculatur: sufficit illi, si in corpora sæviat; hic etiam in animas venena sua diffundit: picturato corpore ille quam plurimis illudit, magis iſte, variegatis technis & insidiis: ille, squamato corpore, tanquam umbone, tectus, ab omnibus se vindicat; hic squamatis argumentis ferit exterit, volvit, involvit, quos semel prehenderit. O astutam crudeliſſimi Draconis potentiam! Quis à telis ejus immanis? quis ab insultibus ejus tutus esse potest? Fides sit penes annalium Bavaricorum scriptorem notiſſimum, Aventinum, qui refert, sub Carolo Magno, in bellis contra Bojemos Venetos & Hunnos gigantem ex Durgæa, hodiè Helvetiorum sede, oriundum militâsse, qui per Flumina, quæ non strata pontibus erant, Post se equum suum, etiam reluctantem, traxerit, Venetos Avaresque, in modum fœni, demessuerit, &, in morem avicularum, hasta veluti cuspide fixos humeris suspenderit: Cumque, domum reversus, à popularibus de hostium statura, & belli successu interrogatus, non

sine

sine indignatione respõderit: quid multa de istis ranunculis commemorẽ? ego interdũ septẽ vel octo hastâ meâ transfixos, nescio quid coaxantes, ultrò citroque tuli, frustra Imp. & nos tantis sumptibus contra illos vermiculos bellũ gessimus. Magnũ hujus Gigantis robur, quis nõ judicat, & incredibile propemodum? Sed longe majus est Gigantis infernalis, ad quem nos omnes, nobis relicti non ut ranunculæ, aut vermiculi, sed ut pulvisculi reputati sumus: uno rictu nos devorare Draco rapacissimus & potest, & studet. Nullo certè momentò ab eo tuti sumus. Unde ergo in tantis periculis subsidium? Unde miseris civibus Silenis patrocinium? unde? nisi à Georg. heroë glorioſissimo, cui magnus, & à natura ipsa ad fortitudinem commasculatus erat animus, ut nec asperitatibus terreri, nec ullâ immanitatis specie, ab adjuvandis miseris, avocari posset. Dum ergo in extremis hærent omnia, dum nulla amplius tristitiæ medela superest, nullus modus dolori, nullum lacrumis temperamentum, nulla spes terrori, nulla solatio via, ecce! quod in desperatis sæpe rebus accidit, venit ex improviso virtutis gloriæq; magnitudine animosus Heros Georgius gratius exhibiturus auxilium, CUM omne bonũ, quod mortalibus offertur præter expectationem, longe sit acceptius, longe honorabilius, quàm quæ ut sitatâ ratione & provisa contingunt. Hic ergo fumus, hic spem civitatis adjectam erexit, delyderium pene extinctum rursus inflam. inflictas etiam

etiam miserias & plagas lenivit, misertusq; Regiæ imprimis Virginis & Civitatis, seipsum Draconi obtulit. Quod enim inveniret aliud incolumitatis asylum? auxiliandi medium quam ut sævitiam Draconis intolerabilem hastâ suâ; imò rectiùs dicam, masculâ virtute suâ, propulsaret. Hic pleno impetu armis eum suis invasit, insuper habito omni strepitu & crepitu, præterque omniũ opinionem, illorum præsertim, qui jam devorandum Georg. quod factum aliis, cum gemitu metuebant, monstrũ horrendũ, in formę, ingens, felicissimè fudit, debellavit, sustulit. O spectaculũ spectatu longè dignis. quo nulla ætas periculosius ediditur! circo, ut melius illud percipiatis, Auditores, vester labor erit, si placet, ut de auditorib. spectatores reddamini. Fingite vobis lacum amplis. non procul à Silena Civitate: quicquid inter hanc & illum ferè spatii; Rex, milites, populus latè complent. Georg. dux est omnium, & ecce? tollit truculentũ caput ex lacu Draco, & cum videt venientem cataphractũ equitem, in priores sese pedes erigit, caudaq; totũ fluviũ infestat. Hastã incipit vibrare Georg. immani rictu fauces distendere monstrũ. Quis hic vel accenderet pugnã, vel prohiberet? Tanquã aliquo fatali torpore omnes inhorruissent, toto campo silentium fuit, oculis mentibusq; in hoc unum certamen compositis. Ex illius n. eventu suâ quisq; vitam expectabat, &, ceu suâ manu Draco oppugnaretur, quisque tremebat. Multis etiã cor misericor. in piũ equitem

tem incaluit, quod cum balæna ejusmodi invicta concurrere auderet. Sed Georgius circuire, accedere, relinquere hostem, artisq; & ingenij mutatione vexare: urgebat mentem nobilissimam victoriæ præmium, gloria, &, ne justo diutius cædem differret, masculo insultu hastam in collum monstri ad costas usque contorsit. Felix ictus, & Silenis salutaris! prolapso itaque cum incondito fremitu Dracone, omnium exsultantium & tripudiantium clamore aër plenus, prætervolantes etiam aliquot aves, intercepto alarum officio, propemodum exanimavit. Omnes plaudebant, omnes erant bacchantium lætitiæ proximi, cœtuque confuso nulla ordinum discrimina tanta gaudia meminerant! Quodsi piâ hæc devotione æstimamus, Auditores, nemo non videt, nullum alium hoc Georgio victore significari, quam Salvatorem nostrum glorioſissimum. Annon enim & iste opportunè venit? opportunum Ecclesiæ, imò toti mundo præstitit subsidium? Posteaquam enim à serpente maledicto, autore illo mali, & corruptore seculi, in laqueos, quos extenderat, in foveas quas foderat, in ruinas, quas paraverat, devenisset, præceps totum genus humanum, fato suo proximum, occlusis aliis omnibus salutis viis, venit Salvator noster, venit spes nostra, expectatio nostra venit: misertus ipso est humani generis, &, fortunatum attulit auxilium, seipsum, omni crudelissimorum genere suppliciorum devexandum, ut

ut maculas, humanis mentibus inustas, immaculatâ vitâ elueret, ut morte mortis vim ac robur tolleret, ne in ejus aculeo vis ad compungendum, in potestate autoritas ad constringendum, in impetu facultas ad perdendum superesset. Mira sanè, & suprâ hominum fidem erat monomachia Christi & Draconis. Mutuò videbantur vincere & vinci, stare & cadere, vivere & mori. Varia in Salvatorem venenata spicula ejaculabatur Draco, periculosas undiquaque struebat insidias: in miras sese formas & spiras cogebat nequam versutissimus, tacito sæpe ludens cachinno, cum succederet pessimi voti propositum, cum sub flagellorum concursu miserè vapulantem, cum in sanguine miserius natantem videret, imprimis, cum destinatum in Salvatorem mortis telum, tam hæreret acriter, Christumq; ita vulneraret, ut afflictissimum emitteret spiritum. Quanta tum infernorum jubila fuisse credimus? quantos plausûs? victa videbatur Vita: inclusus mortis barathro mortis & vitæ Dominus: transacta omnia, cum propero impetu maximum inde damnum facit Draconi victor noster, ubi minimum putâsset. Vincit victorem, trucidat trucidantem, & plenis omnium jubilis sese toti mundo, Sponsæq; suæ, inter spem & metum, mirum quantum anxiæ, exhibet. O singularia pugnæ Pachalis miracula! O mira singularia! De Ichneumone referunt Ægyptiacarum rerum scriptores, animalculo exiguo, quod immane

& va-

& vastum ventris Crocodili antrum subeat, viscera corredat, & corrodendo ipsum enecet, saturumque deinde & incolume egrediatur, & triumfet. Annon simile quippiam est in Victore nostro Paschali? annon & ille specie exilii (quid enim eò in passione fuit exilius?) fauces Draconis subiit? sed viscera quoque crudelia corrosit, & die tertiâ feliciter egressus est. Egressus utique est, tantis onustus spoliis, quantis nulla ætas in ullo nobis Heroë ostendet. Erant Hispani, & de suo Albano glorientur, quod ab eo territa sit Gallia, defensa Ungaria, pacata Germania, victa Africa, concussum Belgium, castigata Hispania, superata Lusitania, & illa mundi domina Roma, cum capere eam posset ac nollet, contemta! Nihil hæc ad victorem nostrum, cujus solius robore territus est infernus, defensus mundus, pacatum cœlum, victa terra, concussum Satanæ regnum, castigatum carnis imperium, superata mors, suppressa omnis inferorum potestas. Celebrent etiam Germani suum illum summum Tentonicorum Magistrum, nostræ Livoniæ decus & gloriam Woltherum à Plettenbergo quod anno supra millesimum, quingentesimo, potentissimo Moscoviæ Duci, in hanc regionem cum Moscovitarum centum & Tartarorum triginta millibus irruenti, non audacter modo obviam prodierit; sed ô singularem fortitudinem! cum sub signis septem tantùm Germanorum millium & quinque Livonorum haberet; centum quo-

que hostium millia, unâ acie, prostraverit, paucisque suorum amissis, invidendam omni antiquitati victoriam consecutus sit. Plus est, quod Bellator noster, adversus totum regnum Stygium, & omnes ejus phalanges, solus in aciem prodire ausus, universas inferni vires invasit, comminuit, dissipavit. Jactent alij alios sive Duces suos, sive Dominos, vilescunt comparati ad victorem nostrum; parum potuisse & præstitisse, cognoscuntur. Quis enim ex istis gladio divinæ majestatis accinctus fuit, sicut Salvator noster? quis eò accinxit femur suum? quis tanto robore vibrare in suos hostes potuit? Celebratur in historiis alius Georgij Castriot; (Scanderbegum vulgò nominant) gladius, quem cum Mahometes, Turcarum Imperator, ipsiusque hostis juratissimus, videre cuperet, accepta cautione misit Constantinopolin. Sed nemo tanti roboris, in aula Turcica, repertus est, qui eò commodè uti potuerit. Remisit ergo Mahometes, &, velut ad terrorem supposito se gladio hostiliter delusum esse, renunciari jussit: cui tamen Scanderbegus rescripsit: Se bona fide suum misisse gladium, quo in præliis uteretur; Manum verò & brachium suum, quo medios Turcas proscindere, transversos dividere, integrosq; artus detruncare soleret, non misisse; sed sibi retinuisse. O magnum robur gladij! majus autem viri fortissimi! Sed quid ad nostri Georgij? nostri Ducis istius & robur, & gladium? hîc

brachium virtutis est! hîc gladius omnipotentiæ divinæ! invicta omnia! Hic vicit! hic triumfavit Draconem illum, qui regiam deglutire filiam volebat: hic cum tripudio & jubilo à toro cœlestium choro exceptus est. Quantum aliâs honoris equiti Georgio, ex pomposa in Civitatem deductione, obtigisse credimus? Facta illa, Auditores, sine dubio præviis vexillis splendidissimis, facta inter voces exultantium & celebrantium, facta in concursu & plausu omnium hominum, quorum voces, jubila, tripudia, fervebant. Sed quid hæc ad triumfum Christi nostri? quem cœlum atque terra ipsi consecrârunt, postquam nomen suprà omne nomen, ex mirabili victoria, obtinuit, spem suæ sponsæ, in incertos exitus animum intendentis, factorum magnitudine vicit, omnes machinas & conatus infernales fregit, & victorum victor cœlesti gloria resurrexit fulgentissimus? Ineffabilis est pompa: honor prorsus est inæstimabilis. Nisi fallor, video jam mihi videre triumfatorem augustissimum! Ecce, sacro circumfusus nimbo, vexillum crucis dextrâ gestat; Sinistra legis chirographum; sed suo cancellatum sanguine. Quanta spoliorum vis portatur, quam tot hostibus eripuit? Hic trahitur catenis tenebrarum vinctus Draco: mors illîc conculcatur Christi pedibus. Quot Patrum animæ sequuntur, quæ, singulari Dei cura, adusum corporis redierunt. Præcedunt variitibicines, & triumfales modos ca-

nunt. Vox una mentium Cherubicarum est, & hominum: Iò triumfe jubila cœlum! Iò triumfe! exulta terra, cujus bono, quicquid pompæ instauratum, instauratum est. Qui verò illi vexilliferi? angeli sunt, administratorii spiritus: vexilla portant cœlestia, quibus illustrissima victoris opera notata conspiciuntur. Primum nobis monstrat leonem fortissimum, corona insignitum aurea, quo ipso, quid notatur aliud, quàm pugnæ & victoriæ Paschalis gloria, in qua Christus instar Leonis hostes suos invasit, fudit, fugavit, &, in præmium victoriæ obtentæ, glorioso immortalitatis diademate coronatus est? Secundum campo viridi oblectat oculos, certamque resurrectionis nostræ spem designat, quæ ex Christi resurrectione oritur. Cur aquila, in stellato campo, tertium insignis vexillum? ut vis Christi resurgentis patefiat, qui ad ardua se tollit, cœlum petit, & nos secum in cœleste transfert tabernaculum. Hîc triumfales epulæ paratæ sunt: hîc gaudia sine fine, jubila sine modo, tripudia sine termino paratissima! O triumfum omnibus omnium ætatum celebratiorem! De Alexandro Severo, Imperatore, scribunt Historici, quod, cum, devicto Artaxerxe, Persarum rege potentissimo, ingenti gloria, comitante Senatu, equestri ordine atque omni populo, circumfusis undique mulieribus & infantibus, per des palatium conscendisset, levatus fuerit manibus omnium, vixque illi per horas quatuor

ambulare permissum sit, omnibus undique clamantibus: Salva Roma, Salva Roma, quia salvus est Alexander! Similem prope in modum manibus angelorum & beatorum cœlitum in sedem gloriæ suæ deportatum Christum piè conjicimus, exultantibus omnibus itidem, & clamantibus: Salvum cœlum, Salva terra, Salvus orbis terrarum, quia salvus ad nos Christus noster rediit! nunc verè facta est salus, & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est Draco, accusator fratrum nostrorum, qui eos in conspectu Dei die & nocte accusabat gravissimè. Quid verò nos in tanta omnium lætitia, Auditores? tacebimus fortasse & sedebimus? non assurgemus? non comitabimur triumfatorem nostrum, Salvatorem nostrum glorioſissimum? Quin potius jungamus vota votis, laudibus, plausus plausibus: gratulemur illi de victoria: gaudeamus nobis de gloria: osculemur manus victrices. Liberata est civitas, hoc est, mundus ab interitu: asserta Regis filia, Ecclesia, a Draconis rictu: nubila jubila facta sunt: transiit tempestas crucis, rediit optatæ lucis serenitas. Quid cessamus? Comitabimur triumfatorem in spiritu. Ecce, currus jam paratus, equi juncti, in procinctu auriga est. Ascendemus, pergemus. Currus hic est victoris meritum, rotæ ejus quatuor, totidem salutis media: Baptismus, Verbum, Pœnitentia, Sacramentum: equi duo, fides & spes: temo, caritas, vinculum perfectionis: auriga, spiritus sanctus: comites præsidiariis, sancti angeli: Hunc Scandamus, Auditores, grato animo, grato jubilo concinentes cum toto cœlitum exercitu: Ei qui threno insidet, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

FABULÆ POETARUM NIHIL PROPONUNT, DOCENT OMNIA.

QVid enim sunt hæ fabulæ? ingeniosa hominum commenta: simulacra rerum suaviter proposita: fœtus eruditæ mentis, extra quam nec vola earundem, nec vestigium. Hæc parens est, hæc obstetrix & nutrix est; nec ex seipsa tamen gignit, multò minus ex Leucippi condit ebore: tantùm fingit eas, &, quod nihil, tanquam magnum: quod non fuit, tanquam fuisset, multùm explicat. Sic sophistigias proponit; sed innocentes, quæ prætorem nullum metuunt, & nomine mendaciorum falsò traducuntur. Profectò & nos ipsos fallimus mendaciis, & alios. Nosipsos quidem, dum à nobis dissenti-

sentimus ; alios verò, dum efficimus, ut sentiant cum damno suo, quod ingeritur. Plaustra talium vectantur undiq; duce Famâ, comite hominum nequitiâ, ad quæ minuenda saltem (quid tollendâ enim dicam?) opus esset Hercule: laborem sanè decimum tertium hîc inveniret. Sed fabulæ nos docent atque alios, quicunque cupiunt & capiunt, modò non tam verba ipsa & figmenta ; quàm latentem sub hac crusta nucleum respiciant. QUI figmenta enim, ut figmentis, credit, credit, quæ ne quidem credi volunt, qui finxerunt, veteres ; qui verò, cum intelligit, quod legit vel audivit, longè aliud, quod nec legit, nec audivit, colligit, cordatæ sapientiæ consultus est. Hæc enim fabularum velis tegitur, ad temperandum, si qua est, amaritudinem, quò capaces animos jucundè influat. Sic tædia remediorum tegunt Medici, auroq; ornant pilulas. Acerbitatem nescit æger ; devorat, quod aliàs, cum pertinacia, fastidiret. Sic tegunt rerum onera Politici: arcana imperandi tradunt, ut exhibeant, quæ non sunt, ac si essent, ut, quæ nondum sunt, & esse debent, sine damno & periculo obtineant. Nimirum & involvunt talia, & explicant, ut fabulæ, quæ laudem hanc utramque sibi vindicant. Involvunt enim, quorum dignitas ab aliis, ceu velô, discernenda est, ut opera religionis, rerumpublicarum sacra & consulta sapientiæ. Hoc fine ingens tot Deorum & Dearum agmen prodiit, quod tantâ curâ, tanto studiô Lubinus ordinat, in Face Poëtica, ut, qui videt, se videre juret instar aliquod exercitûs, quo Rex Persarum Magno Alexandro occurrit. ita ea

neus cuneum, phalanx phalangem, acies aciem premit: primipilares Duces sunt, Chaos & Æternitas. Explicant non minus plurima, & aditum faciliorem ad abstrusa sternunt. Quò enim, seculis antiquis, cum inventa rationis nova essent, difficilia omnia, omnia fabularum, ænigmatum, hieroglyphicorum plena fuêre ? Quò etiamnum hodie, in evolvendis tectioribus, similia conquirimus? ut mentis faces accendamus in tot tenebris, ne palabunda semper cespitet. O illustrem fabularum usum! quid proponunt? nihil, quia fabulæ sunt ; sed quid docent ? omnia, quia omnes sapientiæ thesauri illis tecti sunt. Vtinam subinde innotescerent! Mercurialis virga venas indicat metallicas. Incurvat sese mira exploratrix, ubi sentit, &, ceu homine sagacior, quod tellus operit, aperit. Quæ virga venas sapientiæ, in parabolica Poesi, monstrat ? Operam fortasse ludimus, quam explicandis fabulis impendimus. versatiles sunt: hinc inde trahi, imò duci possunt, modò promtum sit ingenium : quæ nunquam cogitata, bellè convenient. Et sanè, nisi vel textura ipsa fabularum, vel nominum in iis proprietas, arcanum bonum proderet, quis, de inveniendo illo, certus esset ? At cum Metis fingitur, consilium : cum Typhon, tumorem : cum Nemesis, vindictam ; cum Pan, universum hoc describi, nemo nescit. Quid? quod ipsa tot absurda in figmentis docent, latere, quod non oculis, non auribus ; sed animo sagaci pateat. IN usus enim alios quæsitum erit, quod nemo sanus cogitare potuit. Vtramque in Poetis faciunt paginam in feras, saxa, flores, arbores mutati homines. Quid hîc ridemus ?

quid horrescimus? nihil hîc ridiculi aut horridi, etsi talia videntur omnia. Excutiendum, quod aulæis istis tegitur. stupendô modô verum erit, quicquid fabula, & cum stupore amplectemur, quicquid horridè ridiculum, ridiculè fuit horridum. Sic, sic decipiendi sumus, ne decipiamur? sic ad falsa deducendi sumus, ne, quod vērum est, & sciri debet, negligamus? Et salutaris ista est fallacia. hâc qui decipit, justior est eô, qui non decipit: qui decipitur, sapientior eô, qui non decipitur, ut Gorgias rotundè dicebat. Talis ex præcipuis videtur, quam de Pallade Poetæ proferunt. Nihil non vel mirum ibi, vel absurdum, imò verè nihil proferunt. nunquam parens fuit Iupiter: nunquam obstetrix Vulcania securis: nunquam informatrix Dædale, aut caput Gorgonis, & tamen totam ferè docent Eruditionis indolem, latentem sub triformi Deæ pallio: docent, quibus gradibus ad culmen ejus tendatur. Quod cum videret pridem felix Eruditionis cultor, JACOBUS Lüdinghausen/ *cujus eminentiam superiori anno masculè defenderat, illius cultam indolem aperuit, ejusmodi Oratione, quam eruditis auribus pergratam fore judico. Hanc cum sequenti d. 25. mensis hujus, ex memoriâ velit reddere, mecum omnes Eruditionis Patronos, Fautores, amasios humiliter, officiosè, humaniter precatur, ut tunc ad Palladem in luce publica videndam veniant. Audient, quod nusquam est, & quod ubique est, intelligent. Pro quo beneficio nos ipsos, (& quid aliud habemus?) redhostimenti locô, offerimus. Dab.° ex Museo d. 19. Februarij, Anno 1647.*

IMAGO

IMAGO PALLADIS.

Eruditionis indolem exhibens.

ORATIO

QUÆ Medicorum consuetudo est, ut, potiones præbituri languescentibus amariusculas, dulcorem quendam iis misceant, & ita levent nauseam bibentium: eam primi Sapientiæ Antistites, Poëtæ, in tradendis doctrinarum præceptis, imitati sunt, ut, ad capienda illa, nostrum animum, magnis ignorantiæ tenebris obvolutum, repræsentatione pulcriorum imaginum, allicerent, allectumque luce rerum saluberrimâ illustrarent. Quanquam enim celebrata eruditionis utilitas, ad alacrem illius cultum, excitare omnes debeat, imprimis, cum ejusdem animo circumferamus semina; FIT tamen, nescio quo, ex lapsu miserabili, contracto vitio, ut, plerumque inter de via hærentes, aversemur illam & fastidiamus: Necessario proinde atque utili consilio sagacitas Naturæ, ad quærenda varia subsidia, devolvitur, quorum ope, delitescentes in nobis virtutum & scientiæ igniculi, exsuscitentur acriùs, ne vel vitiorum sordibus torpescant obruti, vel cœno ignorantiæ prorsus exstinguantur. NIMI-

RUM, ut scintilla vegeto adjuta flatu, ignem suum explicat: sic animus congenitum discendi desiderium, præceptis stimulatus, quibus certè vis ingenii & alitur, & crescit, eo meliùs, quò amabilius erudiendis illa proponuntur. INGENII enim humani istæ sunt deliciæ, ut instrui simul velit, & delectari: Instrui quidem, ob innatam cognoscendi cupidinem; delectari verò, ne, honestæ voluptatis vacuum, in primo statim studiorum conatu, à se & suis transversum agatur. Id quod animadvertentes Poëtæ, jucundas fabularum amœnitates protulerunt, quas, qui mera judicat mendacia aut levia quædam, & frugis expertia otiosorum hominum commenta, nescit profectò, quid vel mendacia sint, vel fabulæ Poëticæ. Illa ad decipiendum componuntur unicè: hæ verò informandi causa adinventæ sunt, ut sub iis, velut involucris ac integumentis, omnis solidæ doctrinæ apparatus, omnis homine digna cognitio, omnis denique sapientia exhibeatur. Non diffundam me in aliorum ornamentorum commendationem, quæ uberrimè in istis cernimus: sive enim in invenido acumen spectemus, sive prudentiam in collocando, sive elegantiam in elocutione, sive imitandi rationem statuamus ob oculos, omnia præclara & singularia, omnia admiratione & æstimatione digna deprehendimus. Et hinc robur illud, in colendis animis: hinc virtus illa, ad emendandos mores: hinc singularis illa, & ad persuadendum,

dum, & ad permovendum felicitas in fabulis poëticis, quibus propterea magni viri libros suos, æternitati consequendæ paratos, tanquam gemmulis quibusdam, exornârunt. Has inter singulariter cum se nobis offerat, quæ de Pallade, ingeniorum atque sapientiæ præfecta, agit fictio, operæ pretium me facturum judicavi, si, non solum ex Poëtis eam per tractarem fusiùs; sed imprimis: quomodo, sub amœno ejusdem sipario tota ferme Eruditionis indoles repræsentetur, ostenderem. Quod dum facio, ad vos, Patres Patriæ, ad vos Auditores reliqui, omnium ordinum honoratissimi, ad vos itidem commilitones carissimi, humiliter, officiosè, humaniter me converto, singulari opere contendens, Oratiunculæ meæ vela, benignitatis vestræ favonio sublevare ne gravemini, ut suum, ad quem tendit, portum, faciliùs & feliciùs consequatur. Quod Penelope, exemplum raræ castimoniæ, hospitem suum poscebat, imò maritum; sed non agnitum, ut genus suum aperiret, unde vitam & ortum duxisset: illud in præfectam sapientiæ, Palladem, non insulsè quis transferat, & tantæ Divæ Natalia sollicitus percontetur. Non utique ex proletariis, aut capite censis; sed illustriori natam stemmate, ipsa frontis liberalitas & ex ea loquens elegantia, palàm attestatur. Unde ergo est hæc semper Virgo? Poëtica hæc Eruditionis effigies? Est ex ipsius Jovis cerebro, DEI filia, DEO ex tot Diis & Deabus Ethnicorum

rum proxima, ut Eruditionem non nisi divinæ originis esse, ex hac quoque fabula, discamus. EST enim ea verè semen cœli, & delibatus ex æterni luminis fonte radius, quo, qui cæteris excellunt, propiùs ad cœlestes accedere, & cum iis majus quoddam alere commercium videntur. Hinc NEMO eruditus sine Deo est. Qui posset homo, supra cæcitatem ignorant jamq; suum, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat idoneam ad studia indolem: ille vires discendi largitur, quæ nullæ sunt in nostra imbecillitate; sed, ex adyto benignitatis divinæ, in nos proveniunt: hinc seriò petendæ, seriò impetrandæ sunt. Quod cum attenderent sapientissimi: Græcorum Lacones, eruditum virum laudaturi: divinus est hic Vir: solebant dicere, ut cælestem hunc eruditionis ortum, ut majestatem ejus, ut metam eruditè, & more suo, breviter innuerent. Quid enim? annon ERUDITUS animus ubique memor est suæ originis? ubique eò tendit, unde datus est? sicut heliotropium ad solis sui motus: sic ubique, ad cœlestes impetus, componitur? Versatur quidem in his mundi salebris: longissimè à cœlo, ut videtur, abest; sed tantò melius, tantò attendentiùs eò penetrat; ut nobilis, apud Poëtarum principem, Ulysses fumum patriæ videre, tantò magis expetit, quantò magis ab eadem remotus est. Omnia pro Palladis nostræ, hoc est, eruditionis indole! Hæc à teterrima terrenarum voluptatum servitute, in virtutis & scientiæ,

entiæ, divinorum donorum, justam libertatem, non adserit modò suos alumnos; verum cujuscunque statûs & ætatis homines, ad decus & ad integræ felicitatis gloriam, informat: hæc, supra sortem humanam, suos attolit cultores, ut, cum Pallade nostra, Deo velut proximi, res mundi fragiles despiciant, cælestia meditentur, ad Deum suum corde atque opere convertantur. Magnificè enim inter Ethnicos dixit, qui dixit, SICUT magnæ lucis radii contingunt quidem terram; sed ibi sunt, unde mittuntur: sic magnus & sacer animus conversatur quidem nobiscum; sed origini suæ cohæret; &, quasi in clarissimo quodam & sublimi loco positus, infrase cœcas hominum mentes videt, variis implicatas erroribus, & pro vêris bonis manes tantum bonorum umbras prosequentes, assiduis q; fortunæ tempestatibus agitatas; ipse verò, ceu in portu constitutus tranquillissimo nullas secum tempestates pertimescit. O illustrem Palladis nostræ, hoc est, Eruditionis gloriam! Laudamus fluvios, qui ex nobiliorib⁹ fontib⁹ scaturiunt, quærimus, ad usus nostros adhibemus; & non laudabimus eruditionem, cum nostra anima, divinitatis traducem? non quæremus sedulò? non adhibebimus ad tot vitæ nostræ usus, quibus sese offert utilissimam? Terræ filius sit, qui hanc cœli sobolem non expetat, non amplectatur agnationem felicissimam, quæ in figmento hoc proponitur. Sed labore tamen nostro hic opus est. Non prosiliit

silit Pallas sponte sua ex Jovis cerebro: Vulcano laborante prodiit, qui acutâ & prævalidâ securi caput Jovis divisisse, Pallademque sic elicuisse fingitur. Quid securis ista aliud, quam LABOR est, ille parens eruditionis, serius nempe & constans, quem nemo refugit, qui ad veram felicitatem contendit. Haud ita facilè nimirum est, eò venire, ubi ipsa est Eruditio: spissum iter est, ut vetustatis sapientes non de nihilo, Deum arcem ejus sudore præsepsisse, judicaverint. Licèt via istæc, primò ardua, paulatim diligenter ascendentibus complanetur, & optabili amœnitate post modum labores exantlatos largiter compenset. Et hanc ingrediuntur, quibus non tam delectatio itineris, quam mansionis versatur in animis & oculis. Sit enim ardua, sit difficilis, eat fortior contra Eruditionis amasius, audeat ardentior, difficultatem labor vincet, quo sine nihil laude dignum uspiam invenies. UT sine luce media videre nihil possumus, cum nec colores ad videndum, nec oculi sufficiant; sed hanc, ceu vinculum, natura præparavit, quo colori jungeretur oculus: eôdem prorsus modo animæ oculus nullam eruditionis partem attrectare potest, nisi à labore, tanquam luce, adjutus. Hic docet, hic ducit, hic decet, juxta ordinem divinitus sancitum, omnes, qui divinum eruditionis appetunt. Quod ergò prudentissimus Imperator, Severus, signum dari jussit tribuno suo, nostrum faciamus, quotquot eruditionis impe-

impetrandæ studio capimur: Laboremus, laboremus, industriâ manu, ex divino veluti sinu, dona & bona optatissima petamus. Laboremus, nullo asperitatis metu territi, nullo ignorantiæ delinimento avocati, nullis voluptatum cantibus, imò incantationibus, abstracti. Quid horrescimus initium? IN omni bono illud invenitur difficilius, quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ specimen, formidare inexperta. Cogenda mens est, ut incipiat: nihil est, quod non expugnet pertinax opera, intentaque & diligens cura. SIC guttulæ stillantes saxum excavant: sic manûs contrectatio æs & ferrum consumit: sic quercum, parva licet, securis dejicit: sic labor vincit omnia, parens eruditionis, felix sator gloriæ, pararius virtutis & felicitatis, illa ipsa vulcani securis acuta & prævalida, quæ Palladem ex Jove produxit. Producta verò, cujus informationi atque educationi subdita est Dea nostra, A? Nec enim sine causa hoc quæsivero? MULTUM enim interest, ex quo præcepta vivendi trahas: quale cujusque fuerit puerilis educationis initium: talia sunt quæ sequentur: plus momenti ad eruditionem hæc affert, quam natura ipsa. Quod Lycurgus demonstrare volens suis civibus, ut, ex usitata delicatæ vitæ ratione deducti, magis studerent temperantiæ, productos in foro duos catulos, iisdem natos parentibus; sed quorum alterum domi desidentem; alterum laboribus venandi occupatum

tum educaverat, positâ hîc patinâ, cum variis gulæ irritamentis, illîc lepore dimisso, dimisit; moxque leporem petiit, alter patinam, ad id ut-terque se invitans, ad quod erat assuefactus. Sicut arbores, quas in horto pulcrius comatas, ac quasi ridentes aspicimus, florem quidem emittunt, atque fructûs; sed culturâ hortulani educatæ, nutritæ, ornatæ: sic, ut in studiis floreſcant Juvenes, & fructûs ferant, educatoribus & ornatoribus opus est, qui capaces animos, ad præclara, semper accendant, vigorem studiorum excitent & dirigant, succumque eruditionis, imò sanguinem ac robur illud masculum, illud vegetum suppeditent. Cujus ergò informationi subdita fuit Pallas nostra? Fortitan ad Venerem misit Jupiter, ad amorum & deliciarum Deam: aut ad Junonem, Divitiarum præsidem! Neutrum factum est, Auditores, quia neutra Dearum ad informationem eruditam satis apta est. Dædale selecta fuit, Ingeniosa & ad omnia præclara opera prompta mulier, quæ in teneris illam annis, artibus ingenuis, erudiret, & ab omni voluptatis improbæ contagio assereret. Ex hujus Schola Pallas nostra semper-virgo, hostis veneris, invicta, ornata prodiit, & verum informationis exemplar in se nobis ostendit. Videte enim informatricem! & scientissimo ingenio prædita fuisse, & docendi promtitudine, distinctim à Poëtis dicitur: quid ita? ut DUO illa in docentibus requiri doceant, doctrinam scilicet, & docendi

docendi prudentiam; alterum si fuerit sine altero, manca erit, mutila erit institutio, sine oprato commodo, sine felici emolumento. Certè, PLUS est in docendo, quam discendo difficultatis & solertiæ. Ignoratio docendi, quam Cicero alicubi inordinatæ informationis causam ponit, in multis sæpe est eruditissimis. Unde aliud doctum esse, aliud didacticum esse, sapientiorum suffragatione jam sancitum est. Doctus sit necessum est, ut Dædale nostra, qui docet alios, cum puerile sit, & circulorum ludo simile, docere velle, quod ignoras. Cæcus, enim ubi cæcum ducit, nonne ambo in foveam incident? Sed hoc non sufficit: sagacitate mentis insuper instructus sit, & singulari prudentiâ, quam Aristoteles aptissimo vocabulo παιδείαν nominat, & toties inculcat. Hac variantem instar vultuum ingeniorum dissimilitudinem discernat curatissimè: hac diversissimos tractandi ea modos aptè misceat, ut cum his incipiat à facilioribus, quò ad magis ardua sensim deducantur; cum illis ab initio duriora urgeat, ut, obtentis iis, faciliora meliùs ingerat. Alia enim methodus est, notandi facere initium, cum utribus, qui sublevent: alia saltandi, cum ponderosis calceis, quiaggravent: Hac studiorum conditionem, ad naturam hujus illiusve, applicet: hac ex ipsis studiis medicinam paret: hac exercitiorum usum ita ordinet, ne non minùs vitia, quam facultates à discentibus exerceantur. OMNIA graviter, ne autoritas:

omnia suaviter, ne amor apud disciplinæ subdi-
tos periclitentur, duo scilicet canâles illi, per
quos omnes eruditionis thesauri, ex doctore, in
juventutis animum, fluxu optatissimo, deferri
possunt. Videte verò informationis in nostra
Pallade, materiam. ingenuæ artes fuerunt, qui-
bus & caliginem ignorantiæ discuteret Dæda-
le, & scævitatem morum, inhiberet. Pruden-
tissimè! FRUSTRA bonus informator est,
qui non docet bona; frustra felix doctor qui ad
felicitatem discentes non promovet, non illa
docet, quæ adolescentiam juvant, senectutem
oblectant, bono commodant publico; sed va-
na, inutilia, pomposa, ut & talis Juventus evi-
dat. VASA etenim odorem, quo imbuun-
tur, referunt: colores, quibus simplex lanæ
candor mutatus est, nemo eluet, &, quæ pra-
vitas humani est ingenii, longè facilius mala pe-
netrant, quàm bona; longè penitiùs hærent.
Abstrahendus ergò omni modo ab iis est tene-
rior animus; quod Dædale fecit Palladi; ne tri-
sti voluptatis blandimento, maximo teneræ æ-
tatis hoste, seducatur: corrumpit certè optima
& ad eruditionem nata ingenia, corpus lanci-
nat, vires debilitat, nervos jugulat, obbrutescit;
per eandem ratio, ut nihil altum, nihil magni-
ficum suscipere in studiis possit. Quemad-
modum araneæ, ut impotentioribus insectis
afferant perniciem, subtilissimisque tenuioris
telæ funiculis muscas implicent, tentorium su-
um subdolè protendunt, atque inimitabili con-
texunt

texunt artificio: similiter voluptas, subinde ju-
venuti struens insidias, artificiosè varias subdit
illecebras, quibus, tanquam reticulis, latissimè
protensis, toties implicatur animus, & turpitu-
dinis labem incurrit. Utinam hujus mali cau-
sa non esset ipsa multorum educatio! Quinti-
lianus certè, in sui temporis homines graviter
invectus, ita non obscurè statuit, cum in hæc
alicubi verba erumpit: Utinam liberorum no-
strorum mores non ipsi perderemus! infanti-
am statim deliciis solvimus: mollis illa educa-
tio, quam indulgentiam vocamus, nervos o-
mnes & mentis, & corporis frangit. Quid
non adultus concupiscet, qui in purpuris repit?
ante palatum eorum, quam os instituimus.
Gaudemus, si quid licentius dixerint: verba,
ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis,
risu & osculo excipimus. Nec mirum: nos
docuimus, ex nobis audierunt, nostram luxu-
riem, nostras sordes vident. Fit ex his con-
suetudo, deinde natura. Domi discunt hæc
miseri, antequam sciunt vitia esse: inde soluti
ac fluentes, non accipiunt è Scholis mala ista;
sed in Scholas afferunt. Hæ, tot abhinc secu-
la, querelæ maximi Doctoris fuerunt, A. quæ,
utrum nostro quoque seculo ingeminandæ
sint, quo nullum pluribus abundavit vitiis, pu-
blica morum juvenilium facies, juxta veritatis
meridiem, experientiam, edocet. Gratulen-
tur verò sibi, & gratulantur meritò, qui, cum
nostra Pallade, ingenuis hîc aut alibi excolun-

tur artibus, & variarum rerum cognitione cupidosimbuunt animos. Gratulentur sibi, & ingenium apicularum exprimant, quæ æstivo tempore, in campos exspatiantes, nobiliores flosculos, velut osculo, delibant, ut favum inde mellis in futuram colligant hiemem: ita ipsi tenera ætate, in Virtutis & doctrinæ campos fertilissimos excurrant, de colligendis animi bonis solliciti, quibus, accrescentibus posthac annis, cum gloria sua, ad bonum publicum, uti frui queant. O felices illos, qui sic agunt! qui nulla voluptatis spurcitie eruditioni sacrum devenustant animum! Videte enim fructum informationis hujusmodi! Armata Pallas, cum clypeo crystallino, ex officina Dædalea progreditur. Quid hoc monstri est Poëtici? militiæne ibi tractavit exercitia? Omnino; sed quo animo, non corpori accommodes. Innuit enim, MASCVLAM esse eruditionis fortitudinem, ut ad omnes, sive asperæ, sive prosperæ fortunæ insultus, homo doctus sit paratissimus, nec mortem ipsam horreat, ad utrosque casus aptus, bonorum rector & malorum. Ad hoc enim se in Dædalea Schola exercuit, ut Eruditionem tam in secundis, quàm in adversis exhibeat. QVOD si licebit enim, in divitiis explicabit; sin minùs, in paupertate: si poterit, in patria; sin minus in exilio: si poterit, integer, sin minus debilis: quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet, ornatus quippe firmis animi opibus, quę nec furto eripi, nec incendio absumi, nec naufragio absorberi possunt. Cum Philosophus Aristippus, tristissimo ad littus Rhodiensium ejectus naufragio, in Gymnasium loci istius venisset, deque Philosophia disputans, lautissimis muneribus donaretur, sciscitantibus, qui de reditu in patriam cogitabant, comitibus: nunquid suis nuntiari vellet? respondit, ut ejusmodi possessiones & viaticâ liberis comparent, quæ cum naufragis quoque possint enatare. O valida in omnes casus eruditionis arma! omnia tela, quibus debellantur expertes ejus homines, huc immissa, grandinis more dissultant, quæ, incussa tectis, sine ullo habitatoris incommodo, crepitat & solvitur. O memorabile Palladis nostræ scutum! Chrystallinum est, quod præ sefert, & clarissimum, clarissimè ostendens, omnem vitæ rationem in sapientibus conspicuam esse publicè, quod maximum præstat in adversis propugnaculum. Lucius Drusus, cum Romæ domum in palatio ædificari curaret, architectus autem suggereret, ita se structurum eam, ut libera ab arbitris, & ab omni despectu esset: Quin tu potiùs, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus inspici possit. Vox magnifica! vox eruditis usurpanda omnibus! Nihil opinionis causa, omnia conscientiæ faciant: populo spectante fieri credant, quicquid se consciis faciunt. Sic omnibus obtrectatoribus crystallinum innocentiæ, probitatis, Do-

ctrinæ scutum opponunt, animosi exinde, invicti, terribiles cum Pallade, in cujus clypeo, præ aliis, horribile caput Gorgonis, exserta linguâ, comparebat. Aptissimè itidem ad Eruditionem! Quæ, velut caput Gorgoneum, in stuporem vertit hostes suos, formidinem iis incutit, ut nequeant malignæ mentis vota exsequi. COMES quidem solidæ doctrinæ invidia est; sed luditillam, (si modò ludit,) non lædit: premit, non opprimit. SICUT violenter missa jacula, ubi ad renitens quoddam fuerint allapsa, ad eum, qui èmisit revertuntur: sic ejus morsus, nihil eruditionem lædentes, ipsorum invidorum plagæ fiunt, eò graviores, quò graviores ipsi, pessimo conatu, intentabant. Vapulant, illi plerumq; rursum ab exserta hîc lingua, hoc est, divina Eloquentia, quæ satis potest inimicos suos ulcisci, ubi vires exserit, &, mirando undiquaque impetu, eruditos asserit. NON ita auribus percepti hostilium tubarum clangores movent animos, quam animi & linguæ vis, Eloquentia. Hæc, ut quamlibet in partem arbitratu suo flectit, audientium animos: ita multos, fortissimo splendore obstupefactos, exterret, confundit, prosternit; multos verò, amabili calore fotos, excitat, attollit, roborat, ut eâ, probè in Scholis cultâ, vix aliud quippiam in Civitate ad utilitatem fructuosius, ad dignitatem amplius, ad famam pulcrius, ad omnium gentium notitiam illustrius excogitari possit. Ad hæc & longè plura Eloquentiæ commo-

commoda respexit magnus quondam illius, in Republica Argentoratensi, Doctor Johannes Sturmius: DUÆ sunt res, sæpius inquiens, propter quas Scholæ nostræ, cum Republica, multos jam annos maximè laudantur: Disciplinæ gravitas & Eloquentiæ studium, quorum utrumque nisi retineamus, actum est. Macte hoc judicio tuo, Sturmi eloquentissime, quod omnes tecum ferunt, qui utrumque bonum istud venerantur; omnes approbant, qui omnes ingenii vires in divino Eloquentiæ, totiusque Eruditionis studio & stadio exercent. Tales enim nostra Pallas innuit, quando verum sustentandæ Eruditionis medium profert & præfert. Qualenam illud est? Olea nimirum, quam, post artes plurimas, invenit, inventam excoluit, excultam manu gestat, & fructus ejus oleum, hoc est, industrias, lucubrationes, omnibus eruditionis amatoribus commendat. NON minor est, virtus, quam quærere, parta tueri doctrinarum bona, locupletare itidem, & asserere. Oleo, industria, vigilantia hîc opus est, quemadmodum Græcorum Oratorum primicerius, Demosthenes, suo ipsius comprobaturus hoc exemplo, cuipiam interroganti: quomodo ad tantam Eloquentiæ gloriam ascenderit? plus olei, quam vini instrumendo, respondit. O si ex præsenti Palladis pictura hoc commune fieret, omnium studiosorum Symbolum: OLEA in manu! imò in mente, ut, in omnium studiorum tractatione, semper

vigilent, noctes diebus, noctibus dies jungant, certamen secum in profectibus quotidianum instituant, bonis demum omnibus, in primis bono publico, congestis, vigili studio animi thesauris, laudabiliter prosint! Sic viva erunt in tertis Palladia, non imagines illæ, quas nulla manu factæ in terram è cœlo decidisse fingunt, quarum una certum præbere debebat Trojanis indicium, tamdiu Civitatem fore incolumem, quamdiu inviolatam illam servaret: Quis enim uspiam hoc factum crederet? imò si quis crederet, ab autorum mente abiret, qui longè aliud, sub hujus nominis involucro, credi voluerunt. Quodnam illud? TAMDIU scilicet rempublicam florem & honorem suum integrum servare posse, quamdiu sapientes, eruditi, masculi viri eam colunt, instruunt, moderantur. Nulla vis humana talem posset civitatem evertere. Ubi autem Paridis cupiditas aliena per injuriam attrahit: Priami indulgentia consentit: assectæ, ceu rectè factum, propugnant, adest vis Agamemnonis, fraus Ulyssis, qui, per secretas vias, Palladium Trojanis eripit, & solida felicitatis publicæ fundamenta penitus convellit, id quod Parens Poëtarum tot libris & figmentis tusè exsecutus est. Sed gallus ille gallinaceus me vocat, quem Pallas nostra gestat in cristata cassidè! Nunquid hîc aliquid arcani sub est? estne pugnax in suis Eruditio cultoribus, ut illud animal? imò potius divina denuò illius notatur indoles, quod, sicut

sicut avis illa futuræ tempestatis præscia est: ita PRUDENTER Eruditi, non tantùm ea, quæ ante pedes sunt, cognoscant, sed velut, in specula constituti, omnem temporum cursum animo prævideant, &, expræteritorum cum præsentibus collatione, longè etiam futura speculentur. In incerto alias hæc sunt omnia, unde pleraque eveniunt præter opinionem: quibus verò hanc indulget Deus gratiam, ut, oculatiore mente, quæ impendent, prænoscant, quanta eorum gloria? quanta dignitas? Divina prorsus, & nostra digna Pallade, cujus & ortus prorsus divinus, & virtus, & actiones passim celebrantur, memorato itidem triplicis coloris pallio, quo Eruditionis opes plurimas, & diversimodæ conditionis adumbrârunt. Candidum colorem vides? vides simplicitatem, omnibus se aperientem: omnes ad conspectum invitantem. Aureum deprehendis internitentem? deprehendis tantam Eruditionis præstantiam, quanta isthoc principe metallo exhiberi potest. Purpureum demum conspicis? Conspicis fulgorem Eruditionis penetrantem, qui illustres, conspicuos, purpurâque dignos efficit, quorum mentes, linguas, actiones celebratissimis suis donis exornat. O mirè ingeniosam hanc Palladis nostræ imaginem! è Jovis cerebro, obstetricante securi suâ Vulcano, prodit: à Dædale instuta, Galeâ clypeoque terribiliter mirabili decorata, ramum oleæ in manu gestat, triplicisque coloris pallio induitur

tur, & undiquaque Eruditionis indolem exhibet. O singularem ejus pulcritudinem! Virgo est, Virgo generosa, semper-virgo, invicta, mascula, industria est. Quis non amore ejus capiatur penitùs, & contubernalem calidissimis sibi votis optet? Quamquam non sit votis opus, aut difficili ejus inquisitione: affert seipsam nobis omnibus: esse nobiscum vult, nobiscum versari, se totam nobis impertiri. O ignavos, qui non plenò mentis ardore ipsam intromittunt! O felices verò, qui ad eam, tanquam ad secundum animi portum confugiunt, qui se illi à teneris unguiculis penitus, totosque tradunt. Affert, offert earum rerum scientiam, quarum accuratior cognitio, quicquid honestatis solidæ & dignitatis exoptari potest, pollicetur. Vos igitur, Commilitones optimi, ad vos enim mea tendit Oratio, & hæc virgo: macti omnes, quos amore ejus dudum incaluisse video, macti, inquam, animis, neque vos aut labor ullus ab ea deterreat, aut voluptas, mentium deprædatrix, avocet, quò minus sacratissima Palladis nostræ adyta penetretis, imò aditum eidem in cordis vestri adyta promtissimum, nullo non tempore, concedatis.

(o)

PROGRAMMA INVITATORIUM.

INIMICUS QUISQUE FELIX SAPIENTIS MEDICUS.

Est illi utique nocendi animus; sed quid nocebit sapienti? nulla eum turbant odia, sed firmant: nullæ frangunt inimicitiæ; sed solidant, nec tam siniſtrum quid fortuna objcit, ex quo fructum non decerpat, ex quo sibi non prospiciat. Miramur quidem apes; nec immeritò: ex thymo enim, arida non minus, quam amara herba, succum petunt, quem, virtute sui spiritûs, in mel transmutant. Miremur tamen potiùs cordatos viros, qui parata in perniciem opera, virtute sapientiæ, in bonos usus vertunt, qui ex cicuta inimici salutaria eliciunt pharmaca, ut illius sanitatem animi collapsam reparent, ut sartam tectam tueantur, & sic manus medica evadat, quæ non nisi damnum, eodem, mortem intentaverat. O quàm bonus hic est usus rei pessimæ! quàm felix error mali contra suam indolem! NATURA hæc est vitij, quod, cum paratur, magis inimicos, quam amicos, metuit. Vix credo, quenquam rebus suis tam ardenter invigilare, inter intimæ admissionis familiares, quàm cum hostis notæ pessimæ

simæ lynceam exsertat aciem: cum vigilat in dormientes nequam: cum nos cingit oculis & voculis, & vel nostra somnia rimatur. Quem in finem? ut nos ludat & lædat: ut nos capiat & carpat, & ita malo nostro gaudeat & plaudat sibi. Hoc cum facit, (facit autem undique,) nullius certè mens tam demens, cor tam vecors est, ut inimico deridendi se suggerat materiam: ut in loquendo, in agendo, in vivendo non cautissimè circumspiciat. Deliberata satis loculorum est custodia, cum fures imminent, in pectus certè omnem cogimus senatum, consultatione attentissimâ, ne vel rimula ad nummos nostros fatiscat. Sed quid pecunia ad famam? quid ad æcus gloriæ? Hîc multo est attentior, quisquis sapit, quisquis inter fures famæ suæ, inter inimicos, gloriæ tyrannos, ambulat. Non nisi ex consulto rationis linguam solvit, ne quid captent: ex virtutis Dominæ præscripto, si quid agit, agit, ne quid criminosè differant: totam vitam ad amussim exigit, non ita forsan exacturus, si non essent hostes, perspicaces vitæ arbitri. Felices ergo istos sapientiæ medicos! Nonne servant eum à tot vitiorum pestibus? quæ potio præservativa est: nonne digerunt in ordinem vivendi, ut vel pythagoricam diætam servet? nonne, si qua labes devenust.t animum, abstergunt? quæ pharmaca sunt digerentia & abstergentia. Sæpius aculeô mordacis linguæ pungunt vitiũ, quod ipsum sapientem latuit, sic ejus studium ad emendandum excitant: sic à convitiis, in illud fortè aliunde vitiũ, liberant. Perquam similes cuidam, qui, Iasonem Thessalum cæsurus, strinxit gladium, & ecce!

ecce! feriendô vomicam aperuit, quâ ruptâ Iasoni salutem, hostis pessimus salutis, reddidit. Quem dum cogito, succurrit genius rosarum singularis, quæ seruntur inter cepas & allium: tantum enim abest, ut inficiantur inde, ut lætiùs etiam propullulent, ut suaviùs oleant, ut amabiliùs rubeant. Quod ipsum annon sapienti quoque, inter olida inimicorum capita, accidit? neque ibi exsuit naturam; sed fragrantior, quà famam & virtutem, surgit. tum enim isthæc, quanta sit, apparet, quantum polleat, quæ sine hostibus marcesceret. Non meretur nomen fortis, qui, supinô torpens otio, nec hostem habuit, nec vidit: non habet laudem mansuetudinis, qui nunquam domuit in hostes iram: non meretur magnanimitatis gloriam, qui cum nullo confflictatus est. Exercitatus autem undique, quam gloriam & laudem? quod virtutis nomen non auferat? Major undique & acrior in lucta surgit, & alacrior? Solem vides? longè urit inter nubes pluvias validiùs: vides arborem? ventorum agitatione fit robustior: utrinque sapientem inter hostes cogita. Obscuris eum cingunt odiis; sed ut animi vim excitent. infestant passim gravibus calumniis; sed ut commasculent, ut mentem acuant, ne dignos æstimet latratûs, ob quos pacem suam minuat; sed ut servire cogat hostes famæ suæ: ut contemnat eos, ne contemtui sit aliis: ut rideat jactata in inane fulmina, ne rideatur: ut dissimulet, cum Agrippina solum judicans remedium insidiarum, si non intelligantur. Sic enim, sic contendit ad victoriam, quâ, ut fruatur splendidissimâ, quò plus obtrectant inimici, eò fortiùs virtutem sequitur.

quitur. Macti animis egregiis, Cordati Viri! mactiquoquot ita agitis! Vos hostium venenô contra ipsos, pro salute vestra, optimè utimini. Vos intelligitis, quæ necessaria ex inimicis commoda: quæ salutaria ex ipsis, contra ipsos, sint remedia. Vos etiam, quocunque gradu sitis atque ordine, Vos pronâ mente, amicâ manu precor, quia istud argumentum duo Iuvenes Eruditissimi, THEODORUS Schmidt / *Alfeldiâ-Brunovicensis*, & ELIAS Welsch/*Rigensis, eruditè pertractârunt nuper, ut dignemini seq. d. xx. hujus mensis alterum de quatuor necessariis Inimicitiarum commodis; alterum de totidem earum remediis, publicè orantes auscultare. Qui verò tam felices dicam, an infelices? sunt, ut nullos hostes habeant, occasione aliâ invitabuntur. Dab. ex Museo, Mense Majo, Anno* 1647.

INIMICITIARUM COMMODA.

ORATIO.

COntendenti ad sublimem felicitatis apicem, compendiarium inter aperuit Antisthenes, non in postremis prisci seculi philosophus, cum percontanti: quibus, in tam salebrosa via, ducibus uti conveniat? AMICIS, respondit, optimis, & inimicis pessimis: quò

responsum folium Sibyllæ aliquod exhibuit, singulari mentis æstimatione perpendendum. Amici enim pariter & inimici sunt, qui, Epimenideo vitiorum somno consopitos, ad sedulam virtutis contentionem suscitant: illi quidem, lenium verborum fomento; hi vario convitiorum tormento: hi minis; illi monitis. SACRUM certè illud atq; venerabile nomen Amicitiæ, quâ fronte venditare sustinent? quo ore jactitare, qui speciosa potiùs amicorum nævis tegumenta quærunt, quàm medicamenta salutifera? qui vitiorum sordes subdolo fucare malunt minio, quam sinceris adhortationibus detergere? NIHIL minùs competit in tales areta logos, quàm augustum nomen Amicitiæ; veriùs quadrat, humilis illa scelerum adjutrix, assentatio. Infucatæ amicitiæ cultores opitulantur laborantibus amicis candidè, aptaque consiliorum amuleta suggerunt, quæ temperavit comitas, quæ commendavit opportunitas, quæ fides probavit ab omni stibio alienissima. Quod si fiat, quis ab humanitate tã averſus est, ut monita familiaria, perfrictâ fronte, respuat? quæ, ejectis vitiorum inquinamentis, virtutis nitore nos imbuunt, &, operosis illis mundi gaudiis posthabitis, sapientiam, tutam illam animi moderatricem, ingenerant. Licèt non continuo sequatur emendatio: licet nonnunquam lentè monitis eventus respondeat: satis est, si respondeat Quis enim Vacunæ mancipia repentinos reddat virtutis

tutis satellites? quis ad prudentiæ lumen, ex te nebris incuriæ plusquam Cimmerus, amicum statim evocet? NEQUAQUAM ergo desperanda salus est: aculeos defigit iterata admonitio: in viam reducit in transversum abreptos ab honestatis orbita: erigit labascentes in occasum sui animos. Proinde, SICUT vitis vel feracissima quibusdam pedamentis indiget & ridicis, ne jaceat incultiùs habita: sic facilè suffenus sibi noster animus, & pronus in perniciem sui, amicorum requirit monita, ad quæ, si non præfractè clausas aures habeat, Mercurialem certè statuam, in confrago vitæ cursu, sortitus est. O si tales undique duces supperterent! O si benignior terra uberem aleret ejusmodi monitorum proventum! Sed rara est ductorum horum & doctorum densitas! Ad Thebarum portas, aut ad Nili ostra num accedat numerus eorum, dubito, &, si accedit, Diogenis lucernâ quæritandi sunt. Inimicis ergo ad emendationem nostram opus est, inimicis quò peioribus, eò melioribus; quo acrioribus, eò salubrioribus: amicus levi nimis brachio nos corrigit; corrigit autem? imò corrumpit connivendo sæpe quàm turpissimè. Inimicis opus est, altero doctorum, ad quos Antisthenes nos ablegavit, ordine. Hi enim sunt, quorum quasi celeusmate ad impigrum virtutis stadium accendimur: hi sunt, qui à vitiorum contubernis nos avocant, qui avocatos variis virtutum flosculis condecorant, qui condecoratos probant, qui denique probatos summâ nominis celebritate illustrant, licet nihil horum, utpote conjurati in capita nostra hostes, intendant. O multiplex & necessarium commodum, quod ex inimicitiis, re sanè detestabili atque exitiosa pullulat! Quod dum paulò altiùs arcessere, & clariùs in luce veritatis ponere ingredior, vos primùm, Auditores omnium ordinum honoratissimi, humiliter & officiosè obtestor, ut vestræ benignitatis & indulgentiæ fontes, quos nemini ex hac cathedra verba facienti præclusos esse, documentis sat illustribus jam dudum compertum habeo, & mihi recludere non dedignemini, meamque in dicendo inopiam, favorabili vestrâ operâ, supplere minimè gravemini. Sicut olim homines simpliciores satis sibi esse judicârunt, si brutorum discursationes indemnes evaderent, nulla insuper emolumenta ex iis captantes; cordatiores autem posthac usibus quoque suis eadem aptare, ab iisque nutrimenta corporum, & munimenta quærere consueverunt, adeò, ut subverendum, ne sublatis è terra feris, inops nostra vita & fera exsistat: ita genii abjectioris homines nihil ultrà expetunt, quàm, ut minùs implicati inimicorum retibus, incolumes eorum effugiant insidias, & delitescant intacti; erectioris autem pectoris viri, præsentissima etiam hostium venena, suum salutare remedium efficere possunt, ut felicissima felicitatis instrumenta evadant. Et evadunt certè, Audit. talia & à

longè tetrioribus animi hostibus per hostes liberantur, quam ipsi esse nobis & sibi, & nobis videntur. Quid enim arctissimo vitiorum somno obrutos exsuscitat ? facit hoc violenta hostium malignitas : quid à scelerum periculosa semita nos terret atque revocat ? facit hoc amarulenta hostium maledicentia. Hostis enim hoc struit provide, hoc agit assiduè, hoc in votis habet unicè, ut arridentem nobis fortunæ prosperioris Zephyrum, in impetuosam malorum tempestatem, convertat : ut in vada & syrtes infortuniorum nos præcipitet. Hinc pertinaci sollicitudine vitam nostram circuit : Epidaurios oculos in omnia molimina, in quasvis actiones nostras immittit : non per quercum visu tantùm, ut Lynceus ; sed & per nostros intimos, sagacitate suâ, explorat omnia : expropinquis conatus nostros discit, & ex famulis : ex amicis expiscatur, undique nocendi ansam quæritans. Ut bellator agilis, qui, urbis alicujus propugnacula situ, opere, præsidioque munitissima, expugnaturus, undiquaque ipsam cingit consilia oppidanorum per cuniculos, per exploratores rimatur anxiè, &, in calescens spepotiundarum opum, infesta quæque machinatur : haut secus noster adversarius : insidiis nos undique appetit, vigilans, armatus, juratus, devotus in exitium nostrum, quos exstinctos cupit & eversos. Quid ? quod ea maximè venatur in alio, quæ ab honestatis lira deviant, quæ splendorem digni-

dignitatis obscurare possunt. Ut enim vultur aliquis, olfactu cunctis animalibus præpollens, ea modò sectatur cadavera, quæ jam computrêre : SIC inimicus, odio Vatiniano flagrans, ijs tantùm inhiat, ea vultu callido, patulis auribus, naribus, oculis indagat, quæ aculeatis cavillari dictis, in quæ dentatas chartas, & maledicum stylum possit stringere. Vulturina hæc antagonistarum sagacitas, aquilina perspicacitas quem non retrahat ? quem non deterreat, à pestifero vitiorum commercio ? Ad Anticyras certè mittendus esset, qui, hoc valentissimo remedio, mentem non servaret saniorem. Vigilantiam profectò deamant, in tanta adversariorum, eaque acerbissima, malignitate : ut peste m, fugiunt præcipitantiam, quotquot non pro cerebro fungum habent, pro corde peponem. Nec enim eò vesaniæ quisquam prolabi solet, ut se deridendum inimico temerè propinet, aut ita exorbitet, ut alter habeat, quò in tacito sinu gaudeat. IN PRIMIS cum, pro congenita vitiorum indole, magis inimicos revereamur, quàm familiares, si quandoque decori limites excedimus. Accuratiùs ergo rebus nostris consulimus, vitia cautiùs de fugimus, si adversariorum insultibus impetiti, quam si conferto amicorum agmine stipati simus. Erant quidem, erant hæ illorum partes, moderatâ admonitione tollere, quod indecens,

cens in vita cernitur, qui charitatis nexu sibi invicem devincti sunt; at quanta penes illos oscitantia? ubinam gentium Phociones reperias, qui piaculum ducant, amicum profiteri, & adulatorem præstare? Plurimorum, qui pomposo amicitiæ titulo superbiunt, vivum simulacrum est chamæleon, cum non secus, atque hic, inani prædicationis aurâ vescantur, incitamenta ad austeram virtutem refugiant, horreant, adversentur, judicantes, HOC aucupium quæstuosissimum, byssinis ubique verbis uti, quamvis letale mulsum & melleum laqueum præbere se quandoque non ignorent. Quid autem inimicus? excubat ille in res nostras: vel somnia nostra perreptat indesinenti curiositate. Si morbus te lecto affixit, si te premit æs alienum, si dissidium tibi cum domesticis, hoc illi citiùs fortasse, quàm amicis tuis; imò tibi ipsi constat. Laborabat quondam Syracusis Hierogra veolentiâ oris: cavillo petitur ab inimico publicè: recurrens domum graviter incusat uxorem quod de hoc malo nihil monuerit; sed illa, omnem virorum spiritum fœtere existimans, non observârat. Videte, Auditores, sagacitatem inimici, & miramini! Extra domum Hieronis novit, quod ne uxor quidem, in sinu viri, notaverat. NIMIRUM exili voce prædita multorum est amicitia, loquax inadulando, muta in castigando! Sed à quibus internecino dissidemus odio, debachantur illi in nos inge-

ingenuè, ingeminant dicteria sua liberè. Quis proinde non lupatum injiciatori suo? quis frenis non coërceat linguæ licentiam? quis non verba singula trutinet, cum iis aucupium strui novit à curiosis coryceis? quis non obturet omnes rimas pectoris, ne quid arcani effluat? Qui hostis acerbissimi obsidione cincti sunt, pro armis certè non Adonidis redimiuntur deliciis, aut pro Martiis telis indulgent luxui & otio; sed vigili perlustrant propugnacula oculo: Sic nos profectò vitiis non indomimus aut immorimur, (non indormire utique aut immori debemus) si subinde acerrimum eorum indagatorem inimicum nostrum in nos vigilare noverimus. Vela, nostra submittimus, spiritus immensos ponimus: quàm ob causam? diffamat enim aliâs nos, &, ceu stultè superbos; differt in corona atque circulis, voluptatum illecebras, velut malorum vitamus panegyrim: quod ita? cum nos propterea incontemtum adducat adversarius, pecuniæ famem deponimus: tenaciores enim Euclione alias traducimur: garrulitatem, velut Sirenum scopulos, defugimus, linguam vallis munimus & repagulis: nam rosores nostros veremur, ad quorum amarulentiam elingues sunt Hipponax & Archilochus. Quid multis? illa IPSA inimicitiarum malitia latentem in visceribus morbum sæpe submovet. Ut ille, Jasonem Thessalum necaturus, vomicam aperuit, & sic pristinæ salutis restaurator ipsi exstitit, qui cruentæ necis

machinator esse voluit: sic sæpe CAVILLATIO contra ingenium suum est proficua, iis præsertim, qui insplendida honorum luce versantur, & muneribus, præ cæteris, eminent. Quemadmodum cantharides adultis inhiant frugibus: ita calumniatores magna petunt nomina. NÆVUS in frontè citiùs advertitur. Sic non tam è grege viri, quam egregij viri cavillis hostium expositi sunt. His ergò, ceu magistris rigidis, exerciti probè omnia & providè obeunt, notatas sordes, si quid adhuc sapiunt, eluunt: ne cavilli, ne gaudij materiam inimico suggerant, etiam cavent atque etiam, cum sciant, COECIS, aut cœcutientibus saltem, amicis solùm esse illum oculatissimum. O mira inimicitiarum commoda! O salutaria ex rebus pestilentibus remedia! Qui, in reconditis naturæ penetralibus excutiendis, solertiam suam explicant, de Elephantis perhibent, quòd, sanguinem in corporibus suis conspicati, non solùm omnem veternum exuant; sed novam quoque alacritatem induant: non dispari ratione ANIMUS noster; strenuis exercitus injuriis, non modo à vitiorum lethargo expergiscitur; sed masculos quoque spiritus capessit; & ad impigrum virtutis inflammatur exercitium. ENERVATUR robur: eliditur animi præsentia, si in umbratili vita consenescamus: marcet sine hoste virtus; sed vulnere sauciata

virescit. Habet nimirum VIRTUS instar ignis aliquod, qui, ab injuriarum tactu probè munitus, inerti prunâ per alimenta sua serpit; & mox sua sponte moritur: irritatus autem ventis hinc & hinc vexantibus, quanta cum virtute consurgit? quàm fortiter totis flammis emicat! consimili prorsùs ratione vigor animi, illæsus ille & blandis fortunæ irritamentis demalsus, languet; imò torpescit: excelsiora nec sperat, nec spirat; concussus autem strepens & creperis injuriarum tempestatibus, quanto fervore flagrat! quanta cum contentione adscendit! Quænam imperia, qui populi, quæ resp. post hominum memoriam, virtutum fulgore eminuerunt antea, quàm, multâ hostium invasione, cautæ, agiles, excitatæ, circumspectâ sese fortitudine animaverint, & ita hostem & excidium, à mœnibus suis, averterint: Non immittam me in spaciosissimum sacri codicis æquor: sic eò jam pede præterito, quòd populus olim Deo sacer, sub Pharaonis plusquam truculento imperio, & numero creverit, & vitæ sanctimoniâ: quod Jebusæorum, Philistæorum aliorumque hostium ferociâ, ad incussum animi robur excitatûs sit; intra civilium exemplorum me continebo pomœria. Defigite mecum, A. aciem mentis vestræ inaquilam quondam totius Europæi, Europæi verò & imò totius terrarum orbis, Romam.

Hæc, quamdiu professis cincta erat hostibus, cum quibus assiduè belligerabat, caput extulit ad ipsa cœli sidera. Terrarum Domini extitere Romani, quoniam bellis tentabantur ab imperii æmulis: quoniam iis gnaviter obviam ibant. Hinc ipsos gloriæ cupido incessit: hinc juventus magis in equis & armis, quam in scortis & conviviis, libidinem habuit: nullus locus ipsis asper fuit aut arduus: armatus hostis neutiquam formidolosus: exiguâ manu ingentes fuderunt copias. Scilicet. UT ex pyrite ignis, non nisi attritu, emicat: sic fortitudinis, aut alterius virtutis, igniculi non nisi ex hostili impetu. Hoc Scipio Nasica, terror hostium, subodoratus est, cum patribus de exscindenda Carthagine deliberantibus: rem, ait, æquiori lance expendite: imperium nostrum supra conditionis humanæ evectum fastigium facilius ruere potest, si hostis non superstes maneat, qui mares Romanorum animos vellicet: pugnacibus Romanis consulite! Deletis deinde Carthaginensibus, domitis Achæis, subjugatis omnibus vicinis, cordatè quorundam male feriatorum perstrinxit jactantiam, qui interruptæ tranquillitatis sudum reip. augurabantur: imò, ajens, calamitosior rerum nostrarum facies erit cum inimici non super erunt, qui, metum nobis incutientes, ad prudentiam nos adigant. Nec fefellit Scipionem triste hoc augurium: sublatis enim imperij æmulis præcipiti cursu à virtute desicitum est; à vigiliis in somnum, à negotiis in

in otium, ab armis ad voluptates civitas conversa est. Quænam nutrix ad magna nascentis Græciæ fuit, nisi hostium irruptio? Xerxes enim, cum acie numero viribusque instructissimâ in Græciam movens, quid nisi generosa Græcorum pectora commasculavit? palmam & dominium obtinere volens, cladem retulit cum extrema ignominia. SUSCITABULUM nimirum est & fomes animositatis bellicosa hostium ferocia; inimicitiæ virtutis incentiva! Sic Athenienses quondam florentissimos incursus siculorum exacuit: sic Lacedæmoniorum in bellando ardor, ex Persarum vexationibus, exarsit: sic Thebani militarem solertiam à Spartanis didicerunt, ut & illorum imperator, Antalcidas, Agesilao infensissimo gratias solennes habuerit, quòd ineptos ad prælia Thebanos præliari docuisset strenuè. Sed quid ego vestrâ, A. attentione, in eruendis veterum annalibus abutor? Descendite, quæso, in contemplationem reip. Batavicæ. Batavia certè, tot tantisque, tamque infestis lacessita Hispanorum classibus, tantùm abest, ut labefactata sit, ut ejus incolæ, ex acie, non nisi opibus, gloriâ, tropæis onusti redeant. Florentissima Batavorum resp. luculenter admodum testatur, quod inimicorum vis injuria, ad generosos animi motus, ad indomitos spiritus, ad amplificandas opes, ad extendenda in posteros facinora, ad victurum in secula nomen, præceptrix sit & magistra solertissima. Mirum est, & tamen

verum est, quod sagacissimi rerum æstimatores statuunt: plus Hispaniarum regem contra fœderatos Batavos amicitiâ & quiete duodecennali, quàm annorum quadraginta bellis & inimicitiis, profeciſſe. Inde enim tot discordiis, incuriæque & negligentiæ aperta est fenestra, per quas majori vi, quam per ruinas urbium, & machinarum bellicarum violentiam, res Batavica concussa est. Et dudum tot malorum Batavi præsagi fuerunt, cum anno seculi superioris nonagesimo secundo, numos cuderent, cum inscriptione alterâ: PAX PATET INSIDIIS: altera: TUTA SALUS DELLO: addiderim ego: TUTA omnis virtus inimicitiis. MOTU nimirum gaudent, ut cœlum ipsum, cœlo nata pectora; motus iste ab inimicis est, qui cavendi, qui depellendi sunt. Sed spatiabimur paulisper ex publico in privatos cujusque parietes: quantus in iis ex inimicis virtutum consurgat proventus, pensitabimus. Magnanimi titulis nemo resplendebit, quem non dira illa irritavit excetra; cum hostibus autem postquam conflictatus graviter & gnaviter quis fuerit, nullâ malevolorum rabie perterrefieri; sed verè magnanimus dici poterit. SICUT in expugnabilis est adamantis durities: sic ille inconcussus, veluti obducto, ex superatis inimicorum insultibus, callo, tela eorum excipiet, & fortiter retorquebit. Sic à Lysandro infestatus Alcibiades animosior exstitit. PALÆSTRA fortitudinis est

est inimicitia excitatur illa exagitationibus, si dormiat: sicut in desidiam nimia quiete resolvitur. Modestiam quis discet rebus tumefactus prosperis, si hostes magistros adeat. Magnus Alexander. fastuosam, qua se Deum ratus erat, opinionem, sagittâ hostili percussus, derepente posuit. Crœsus per Cyrum regno quidem atque opibus exutus est; sed expergefactus quoq; ad examen effati Solonici, cum priùs ex abundantia planè esset ebrius. SCHOLA patientiæ est inimicitia: adsueti enim concertationibus, modestiùs aliorum admittimus monita, etiamsi graviora fuerint. Sic intemperiem jurgiosæ Xantippes tulit Socrates: rabiosæ linguæ verberibus occalluit. Et quî non postHac alios perferret facilè, in domestica palæstra tam egregiè exercitatus? Ne nunc dicam, quod, SUBACTI concertationibus, ferocientes animi motûs etiam compescere, & rebelles illos nequam intra rationis gyrum continere discamus, jucundam demum omnium gratiam ex voto demerentes. UT rosa juxta cepas & allium plantata & lætiùs propullulat, & lautiùs, olet suaviùs, & rubet amœniùs: sic nos, cum hostium proteria luctati & eluctati fortiter, ad omnium cordatorum prolubium, adolescimus vividiùs, virtutumq; fragrantiâ eosdem, in complexum nostri, amabiliter vocamus. Quis tantâ mansuetudine inveniatur, qui nocere inimico, ubi potest commodè, non optet? non occasiones quærat? non varias indaget vias? & ecce! ad manũ habet gladium,

gladium, quem inimicus sive dedit, sive acuit, studium virtutis. Hoc qui sectatur strenuè, torquet inimicum, macerat malignum animum, qui virtutis jubar, instar noctuæ, in alio nec ferre potest, nec audet. Marcet potius invidiâ, &, quod machinatus est aliis, ipse magnum sentit exitium : dum ad virtutis studium ; sed præter votum, alios impellit, in abyssum infelicitatis sæpius præcipitatur. Integritati ergo vitæ si litamus, si ab honestatis linea transversum unguem non recedimus, inimicorum sanè tela impenetrabili scuto excipimus, quid ? retorquemus eadem in ipsos, eludimus & elidimus conatus malos optimè, magisq; & magis, ad sectanda, quæ afferre damnum inimicis possunt, excitamur. Sed EXCITATA animi præsentia experimentum sui postulat : pericliteturvires necesse est ad ardua iturus animus, & notitiam sui sibi comparet. Ad explorandam ergo vini vigoremque animi quid aptius est, quid tutius inimicitia ? Hæc certè obtrusa est masculi pectoris, generosæ mentis officina & gymnasium. Defervescit histrionum alacritas, nullis æmulorum inflammata certaminibus : exciti autem fervido concertantium conamine, ceu classico quodam, animantur, ut fidium concentus sedulo explorent : ut quævis instrumenta impigrè adaptent : ut luculenta edant artis specimina. Quis athleta magnos feret in arenam spiritûs, qui nunquam vulneratus est ? qui nunquam supplantatus

tatus tulit adversarium ? NUNQUAM ad fiduciam sui nos nostræ vires vocabunt, nisi irruentes antagonistarum assultûs tulerimus, nisi superare didicerimus. Cordatè admodum Themistocles : nullis, ait, fama mea insignibus resplendere poterit, donec nulla hostium me experitur acerbitas. UT enim nauclerus indecumanis fluctibus elucet : sic in acie miles magnanimus. Efloruit virtus Herculea ; sed non nisi malevolorum infestata occursibus : enituit Ulysses, & nemini non innotuit, quia varias hostium injurias, invicto animo, excepit, tulit, pertulit. Quid inexercitatus tiro ? ad suspicionem vulneris pallescit & prosternitur. Proinde, quod Plinius de adversa fortuna graviter pronunciatum reliquit, illud de inimicitiis haut in scitè affirmari putaverum : eas nempe magnas explorare mentes, quum amicitia, non secus ac prospera fortuna, non nisi felices probet. CONFLICTATIO in adversis probatio virtutis est : clausum est in rerum affluentia pectus ; aperitur ingruente adversariorum turbine : explóratur ejus robur, ut, quid valeant humeri, quid ferre recusent, nobis constet ! Quæ cum ita sese habeant, cum vitiorum expugnatrix, virtutum procreatrix & excitatrix sit inimicitia, quid mirum est, si nomina quoque nostra in lucem ex tenebris proferat ? si fulgore, per omnes terrarum angulos, lucidissimo perfundat ? UNDE enim est illustris fama, nisi ex virtutum alacri robore, robusta

alacri-

alacritate? vividiùs sanè efflorescunt sævis ventorum injuriis verberatæ arbores: gloria virorum, hostili, conquassata tempestate, enitescit clariùs: hostes ipsi velint, nolint, ebucci natores eorum evadunt, quorum vigilantia eorum machinationes elisæ & elusæ sunt. Sic Fabricio justitiæ encomia ipse Pyrrhus, Metello fortitudinis elogia ipse Hannibal attribuit. Quid scriptorum, quæso, nomina tantopere illustrat? quid viros raræ eruditionis laude conspicuos, fama quàm annis vivaciores, efficit? nonne illustria ingenij monumenta, quæ, incitati sæpe ab adversariis, in lucem protulerunt. Testor omnium facultatum Doctores! testor omnia magna nomina, quæ copulata cum æternitate, quæ nobilitata sunt ab adversariis. Variis aliàs graditus ad excelsa gloriæ fastigia venitur: consilia ad prudentiæ solem excocta & prospero beata successu Q. Cassium apud Romanos amplissimis mactarunt honoribus: legatio providè suscepta, & felici dexteritate confecta, apud Græcos, Anaximenem tergeminis laudibus evexit: præclarè institutorum restauratio Avidio Cassio, Imperatori: confidentia loquendi adversus summates Phocioni gradûs fuerunt ad suprema gloriæ culmina. SED inter omnia inclarescendi media familiam ducunt inimicitiæ, non ea quidem cum proletariis gestæ; sed cum viris strenuis, qui dignitatem quoque formidandam & terribilem adepti sunt, & cum improbis,

bis, qui remp. audaci dolo in potestatem suam redegerunt. De talibus enim inimicis qui triumfant, qui libertatem patriæ constanter asserunt, quanta gloria floruerint, & æternum floreant, me tacente, tot præcones, tot Historici, laudatissimo consensu, testantur. Et unde Roma terrarum Dea, gentiumque Domina salutata est? nonne per adversitates, per inimicitias? Testor Sallustium, testor Livium Scriptores celebratissimos! Unde nominis æternitatem sunt indepti Batavi, hodiè per universa mundi climata famigerabiles? nonne per Hispanas inimicitias? quæ si nullæ exstitissent, quis ad utrumque potum Batavorum arma & tropæa fulguratura fuisse crederet? Nolo jam deterere tot laudes tuas, ex tot inimicis, Suecia glorioſissima, nolo inopia ingenij mei de formare tot laureas immarcessibiles, quas tot hostes tibi tradidêre, & non dico meam; sed disertissimorum quorumvis fatigant, imò superant, industriam. Tu profectò, post Romanos rerum Dominos, demonstras, quantum gloriæ ex inimicis, quantum commodi sit reportandum. Quot regiones, quot provinciæ tibi additæ sunt, & addi debuerunt ab hostibus; qui hunc in finem te videntur lacessiviſſe, ut te plurimum locupletarent, plurimum ornarent. Frustrà illa cœlo & astris terminata gloria, quam loquitur Germania: suspicit Italia: mirantur vicini:

vicini: prædicant exteri: tota ad eam obstupescit hujus universi machina. Quod si summum tandem pacis bonum ab inimicis vel extorseris, vel impetraveris, fastigium impones laudibus tuis, & totum orbem luculenter docebis, ex inimicis pessimis bona optima tandem haberi posse. Quid ergò est A. quod tantopere inimicitias expavescimus? Non extimescimus apes ob aculeum, ut ex mellis abundantia fructum petamus: nec tantum timeamus inimicos, ut tot fruamur commodis. Struthiocamelis ferrum concoquere facillimum; aliis animantibus difficile, imò impossibile est: nos quoque excipere æquum est tela hostium & sustinere fortiter; quin & fructus ex iisdem haurire copiosissimos. Paucorum hoc est, quis ambigit? Sed tamen cordatiorum est: IN HOC masculus animas à deside & ignavo distat, O felicem & magnanimum! O prudentissimè circumspectum! qui ab inimicis, tanquam præceptoribus, admonitus turpes in vita solœcismos devitat, qui eos sibi duces deligit, ad splendida virtutis ornamenta, ad animosæ fortitudinis ostentanda documenta: qui denique ad augusta nunquam intermorituræ gloriæ palatia, ducibus inimiciis, contendit! Jucunda est planities, quam nobis tot asperitates aperiunt: amabilis felicitas, quæ ex hostibus felicitatis capitur: quos cum cordatus quisque habeat, non tanto tamen formidat opere quotidianos informatores; sed omnes masculâ virtute sustinet: omnes ad utilitatem suam fortiter triumfat.

INIMICITIARUM REMEDIA.

ORATIO.

JActantem quendam & clamantem solidè: Nullos sibi Inimicos esse; Chilon, ex illis septem unus, qui, cœlesti sapientia, Græcorum orbem illustrarunt, compressis verbis interrogavit: Nullisne contra præditus Amicis esset? Tacitè perstringens ejus imprudentiam, nobisque expendendum melius relinquens: annon facilè, si nulla esset alia Inimicitiarum causa, quamvis plurimæ sint, ipsæ nos iisdem Amicitiæ implicare possint? Nimirum, SICUT radij, horarum indices, quot rotis & ponderibus aguntur in destinatos cursus, tot instrumentis aberrantibus, mendaci monstratione fallunt: ita, si ex infinitis rebus illis, quæ componunt Caritatem, quæ nutriunt, quæ roborant, aliqua se conditio subtraxerit, laudata forma Amicitiæ in turpissimum sæpe Inimicitiarum monstrum degenerabit. Fortunarum atque morum similitudo parens est constantis Amicitiæ; hæc, ceu navis aliqua, ne cursu impari feratur, diligenter providendum est. Impel-

lunt eam Consuetudo & Propinquitas, sine quibus hæret facilè in periculis: Roborant autem, ceu vela & remiges, amabiles officiorum venti, ut, his avibus, ex portu læta solvat, assultusque vitiorum varios derideat. Sed non deridet, si, (quod sæpe amat fieri,) improvidi ad illud iter nautæ, pergant Juvenes, quo sidere, quo cœlo, quibus ventis, quo augurio ferantur, parum provida. HIC Amicitia morum studiorumque discordiâ dissolvitur; illîc eam dirimit Consuetudinis incuria. Ille malevolentiâ, iste sequi beneficiorum exercitio vinculum sanctissimum retexit; alius, virtutis stadio relicto, ejusmodi se vitiis emancipat, quæ Divam illam castam in prostibulũ transformant. Quid ergo mirum, si se tanta seges infestorum hominum ubique offerat? si tantæ passim surgant Inimicitiæ, non modò aliorum in nos; sed ex nobis quoque ipsis in alios? Quis enim Phœnix iste, qui hostis nulli? cui hostes nulli? Quis locus iste, quem non communia mala, odium, malevolentia, invidia, suspicio infecerunt? Enimverò, regionem à feris liberam inveniàs, (quâ laude nobilitari Cretam insulam accipimus) ab Inimicis nullam: hoc carbone, ut sic loquar, ipsæ quoque Creta notata fuit olim, quam mendaciorum sedem, Cretensis ipse, Poeta nominat. Expulsos esse lupos Angliâ est aliquid, quis diffitebitur? Inimicos verò varios & ibi hodiernum retineri, nec videri à quibusdam, & impunè alibi morari, nefas est. Quid

Quid ergò? occumbemus illis feris? perpetuò ab Inimicis vapulabimus & torquebimur? Nequaquam sequamur potius peritos Medicos, qui venenata sæpe animalia, in humanum vertunt commodum; SIC nos Inimicos nostros in emolumentum nostrum: quod argumentum Prædecessor meus persecutus est. Dirigamus quæ ab Inimicis contra nos servuntur, mala in illos ipsos: comparemus nobis medicinam ex venenatis ejusmodi animalibus adversus ea ipsa, & observemus modos atque media, quibus non tantum fortiter superari; sed & felicissimâ μεταμορφώσει immutari possunt. De quibus quoniam impræsentiarum dicere est animus, ad vos confugio, Auditores, & ut tam constanti lemitatis vestræ, quam efficaci subsidio adsitis imbecillitati meæ, officio sè præcor, ne de remediis adversum Inimicos differenti, remedium adversus Iuvenilem infirmitatem deesse videatur. Multi eâ sunt Ingenij fragilitate, ut, simulatque senserint, inimicitiis se affligi, excandescant subitò. NON tam avidus conjiciendi ignis pulvis pyrius, quam molles istorum animi in iram, sua sponte propendent: unius sæpe dicti acrimonia exstimulati, aliquando facti molestia concitati, non rarò de severiori oculorum victu sibi imponentes, sui impotentes in extremam insaniam aguntur. Sed num isthoc oleo putabimus restingui flammam? ista vehementia profligari inimicitias, quæ tantum abest, ut tantillum minuantur, ut

nutrimenta inde sumant potius longè amplissima. Certè, qui tam properè irascuntur, sunt ruinæ similes, quæ in aliud cadendo, seipsam frangit pessimè: qui tam vehementer in inimicos efferveſcunt, Dracones videntum imitari, qui, Elephantium sorbentes sanguinem, suum sorbent exitium: inebriatis enim immodico hausto illa rumpuntur; &, quem hausêre sanguinem cum suo simul evomunt, & cum Elephantibus, vocata morte, corruunt. MANSUETUDINI, in hac inimicitiarum palestra, deferre primas oportet; ea, quid facto opus sit, quid non, extra affectûs, dementes illas mentis turbas, optimè decernet. Illa diem, sinceram veritatis matrem, admittet in tribunal, de re melius cognoscet, iram temperabit, (eradicare enim nemo poterit) ne suspicione, præjudicio, malevolentia invalescat. illa, velut cauta arboratrix, DUOS nocuos bonæ naturæ stolones, Rationis scalpro, amputabit, quorum alter est, quæ invictus audias, libenter credere; alter, antequam judices, irasci. Quodsi, mansuetudinis opera, ab his tibi cavebis vitiis, quæ iratis adhærere solent, rem propemodum confectam habes, & magnam quid pro te, in Inimicos, obtinuisti. Cadet enim facilè CUPIDITAS vindictæ, blandus ille; sed indignus virò gravi, affectus, ut, quanquam locus ultionis sit in promtu, temperare sibi tamen doceat mansuetum, ne perpetuam in se rixarum & malorum materiam alat. Quemadmodum remedia

dia quædam ipso morbo tristiora sunt, ut mortem oppetere videatur satius, quam his salutem conservare: ita satius quandoque est, ferre injuriam, quàm, majore cum incommodo, ulcisci, cum nihil minus, quàm remedij nomen, iracunda mereatur ultio. Et quam PUSILLI & miseri est animi Vindicta? Imbecillia se lædi putant, dum tanguntur: Mures & formicæ, quà manum admoveris, ora convertunt. Ad illa abeat animalia dicam, an umbras animalium? ne non ulcisci dedisçat, quem ita miserè ignobilem, ridiculeq; perditum fata finxerunt: finxerunt autem, ut opinor, neminem, nisi se ipsum priùs quisquam. Cordati viri ad seipsos redeunt ex impotentia fœminea, robusti satis, & quidem feliciter robusti, si in seipsis torqueantur hostes, si se suis ipsi telis lacerent, confodiant, expugnent: surdis eos verberibus conficiente conscientia, rodentibusque furiis domesticis. Sic enim rectiùs ulcisci licet Inimicitias, sine manu, sine motu, malis tamen motibusque maximis. SIC superamus hostes, si in nobis iracundiam; longè enim gravior est inimicus, qui latet sub pectore. IMO, sic jam abundè ulti sumus, si, fastu laudatissimo, indignos æstimemus, de quibus sumatur ultio. O si frenum hîc injiceremus statim linguæ nostræ, &, petiti obtrectationibus, jucundam illam, secretam discretamus Harpocratis sectaremur disciplinam. Sectari certè facilè possumus; brevis est: in succum vertere & sangui-

nem possumus facilè, systema ejus universum duabus tantùm constat literis: S. T. Elementum alterum monet, ut sileamus; alterum, ut taceamus, ut Inimicorum, convicia aspernemur; ut ejusmodi urbis & orbis cymbala, neq; voce nostra digna ducamus. Sic fecit divinus ille olim inter mortales Cato, & eos, quorum dentibus subinde petebatur, pertinaci animi robore & silentio præclarè altus est, ut cum perpetuo opprobrio in ruborem eos daret. Accidit ex improviso, ut eum quispiam in balneo percuteret, quo tamen facto adeò non est commotus, ut anxiè satisfacienti diceret: Non memini, me jam percussum. Satiùs videlicet existimans, planè illud non agnoscere, quam vindicare. Et est sanè, glorioſius, injuriam tacendo, fugere, quam respondendo superare. Multis modis Nero, monstrum illud hominis, matri suæ mortem intentabat, qui eum non succederent ex voto in terrâ, in aquis eam perdere constituit, futili navigio, quod cum dissiliret, exitio proxima, unico silentio, Inimicissimi filij fraudibus erepta est, expendens secum, imò nobis omnibus inculcans seriò liberationis suæ medium; SOLUM insidiarum & inimicitiarum remedium esse, si non intelligantur. Et hoc ipsum est, quod usurpârunt primi rerum Domini & Romani Monarchæ, de quibus Cremutius Cordus, Senator Romanus apud Magistrum prudentiæ: Ipse D. Julius, inquit, ipse D. Augustus tulêre hæc inimicorum probra,

bra, & reliquêre: haud facilè dixerim, moderatione, an verò sapientiâ. Nam SPRETA exolescunt; si irascare, agnita videntur. Et profectò liberavit sese maledictis, qui tam facilè dissimulando perfert. Bacchæ bacchanti si velis adversari, ex insana insaniorem facies: sin obsequare, unâ resolves plagâ. Quanquam non sit planè oscitandum nobis in hac patientia, non stertendum otioso animo; quin potiùs, in semina inimicitiarum, in odiorum causas, in maledictorum occasiones inquirendum est, ut offendiculi, si quis in nobis, lapidem removere possimus. Præeuntem hic habemus magnum regem Macedoniæ, Philippum, quem eum Nicanor pipulo differret, atque detrectaret plurimùm, nec deesset, uti solet, index publicus, Smicythas, amici monere, adhortari, urgere Regem, ut læsæ majestatis reum maledicum advocaret, dignoque afficeret supplicio. Ubi ille, voce prorsus regiâ: Nicanor, inquit, non est pessimus Macedonum, videndum igitur, nunquid per nos admissum aut commissum sit, cur maledicat. Seriò igitur quærens reperit, pauperem esse virum, bene tamen meritum, nec adhuc habitam ejus rationem esse. Itaque statim munere cumaffecit egregio, qui & ipse, mutata mente & lingua, laudare ubiq; Philippum Regem, & attollere cœpit. Quod cum Smicythas idem retulisset; Videtisne, O Amici, inquit Rex, IN nostra manu esse, bene vel secus audire, inimicum vel amicum habere?

Deum immortalem, quid est, si hoc non est, rem quamlibet, horam, fortunam, honesto sibi lucro apponere? O si mens hæc esset omnium, ut, eum ab aliis hinc inde differuntur, tum demum introspiciendi sese ansam arriperent, cum alias, ob nimiam fortunæ indulgentiam, non possint! SED multorum tam est socors vita, tam supina securitas dicam, an malitia? ut fortunatam hanc militiam nec capiant, nec cupiant. Imbellos certè bellatores, & rerum potiùs omniũ, quam sui satagentes animi! TUNC tunc decebat maximè, ea in se notare vitia, in ea animadvertere, quæ aliorum maledicta invitare largiter, imò trahere videntur, cum ab inimicis passim notantur & animadvertuntur: nec athletas illos imitari, qui collectum non detergunt pulverem; sed eodem alios conspergunt. Nimirum, MULTI mirum quantum factas sibi exaggerant injurias, interea sibi ipsis assentantes adeò, ut sua vitia, quæ offensis odiisque omnium jure compensantur, ignorare malint, quam audire; ut purgare ea verbis malint, quam ab iis sese expurgare. O si sponte in mentem veniret eis cæterorum, intus & in cute fortè latentium, vitiorum, quæ plures pluriumque sermones provocarent! quæ si nosset inimicus, censor scilicet ingratiis nostris appositus, intra illas voces, quibus immeritò se onerari isti opinantur, nunquam consisteret; sed largiùs, Satyrico aceto, tam delicatos homines perfunderet. IN TE igitur descende ipse,

ipse, quisquis es, quoties ab Inimicis vapulas: causas Inimicitiarum investiga, & ad vivum reseca. Si hic ignis tua culpa suscitatus est maturè nutrimenta submove, hoc est arida quorumcunque in te vitiorum stramina opprime, ut, copioso contra ac amabili virtutum humore, vim illius subitò restinguas. Sin minus, atque te in vitio haud esse videris, sponte tandem sua morietur ignis, modò gladio ne fodias; sed, licèt sæpius adhuc ferire pergat caput innoxium, aures Ulyssea cera obtures, omnem iis fidem deroges. IPSA enim tui fiducia ejusmodi nugas & affanias feliciſſime compescet, ut, si pergat inimicus tuus asperè in te innocentem dicere, tu non desinas tacere, & hoc pactò certiorem illum facias: VELUT ille linguæ suæ: sic te tuarum aurium manere dominum. Manet enim illud à Syro dictum ex tripode: RIDICULUM est, odio nocentis perdere innocentiam. Manet & illud alterum: MALUM inimiciarum difficulter ferre, id verò malum maximum. Ipsi modo fugiamus malum, quod Aristarchi nostri apertè nobis objiciunt: fugiamus mali quoque speciem, si inculpatæ vitæ esse, si suspicionem fallere, si inimices evadere conamur. Quid, quæso Virginem, apud Romanos pudicissimam, Posthumiam, tot inimicis vocibus obnoxiam fecit? quid in judicium traxit, & impudicitiæ postulavit: SPECIES mali, quòd rideret promtiùs interdum, & liberius fortè cum viris collo-

queretur. Unde, cum insontē criminis reperisset Pont. Max. Sp. Minucius, & absolvisset, monuit ne sive verbis, sive gest. vitę castitatē parū æquātib. unquā uteretur: inimicos n. non tantum, ꝙ verè malū est, arripere; sed, ꝙ tale videri potest, audacter accusare. Si ergo itar obviā maledicis/ sic inimicitiis egregiū opponitur remediū: sic ad virtutem, plana via recluditur, cujus, si quisiunt compotes, illi sese supra vulgus, supraq; omnes Inimicitias, in cœlestē orbē elevant, & duntaxat sequiori parte, terris atq; hominū communitati alligantur. Huc contendendū strenuè, &, SI omnino est animus, certare cum inimicis, exercitio Virtutis indefesso cum illis certandū est, secundo marte, ea de re, quæ solùm magnos decet animos, videl. de gloria. Hac, si nos inimici superent, nihil nobis turpius accidere posse putemus; vel ipsos, si abundent iis mediis, quib. ad claritatē famæ honestè pervenitur, æmulemur strenuè: QUID n. illâ negligentiâ putidius, quæ tā latè patentē virtutis exercendæ campū prorsus vellet fugere? Advertamus ad laudabiles inimicorū artes animos, & sequamur, quib. eminent: nō hîc odisse juvat, aut sedere, aut dolere: surgamus & doctorē audiamus Sapientiæ, Plutarchum. Quid verò ille? QUI inimicum, inquit, judicat, priores ferre in publicis honoribus, aut patrociniis, aut Reip. procuratione, aut apud Princ. is, si ab agendo & æmulando omnino ad invidendū & animo languendū se convertat inani certè noxiaq; conflictatur invidentiâ. Qui verò

verò non excæcatur inimici odio; sed vitā ejus, mores, dicta, facta, ut spectator incorruptus, æstimat, is plæraq; eorū, quorū æmulatione sinistrâ corrept⁹ est, intelliget, diligentiâ, providentiâ, probisq; action. parta esse, eodemq; pariter contendens, suū honestaris gloriæq; studiū augebit. O aureolū Viri prud. monitū. Tu secutus es, laudat. Them. tu feliciter secut⁹ es, cum, inimici gloriâ, à comportationib. vitiis aliis avocat⁹ honestiss. actionū tramitē ingrederis sæpius, non sine laudē asserens: te Miltiadis, inimici tui, tropæo, quiescere volentē, excitari: Te à vitiis, per eū, ad Virtutis cultā trahi. Macte ist hoc facto tuo glorios. Macti omnes, quotquot hîc Them. sequimini. Sic n. meliores inimicis fieri, ut ille, possumus, ipsorū rectè facta imitando; non pejores, ut multi, invidendo. NAM quisquis invidet, profectò non tā bonus e. quā ille, cui invidet; hæc n. causa est ꝙ et invidet. SIC præclarè possumus ulcisci inimicos, si omnino ulcisci cogitam⁹: qui, si rem famil. nostrā lautiorē fieri molestè ferunt, in quā profundos ibunt gemitūs, ubi animū nostrū contumeliis majorē omnib. ad magna enitentē, variis virtutib. nitere viderint? CERTIS. n. e. inimici tortura, inimici gloria. Nostrā certè ampliorē licet vel ex vitiis efficere, tùm, quæ illi in nobis, tum quæ nos vicissim in illis deprehen. Annon n. vitiorū sordes curiosi⁹, ab inimicis, ostenduntur, quàm amicis? & annō felici⁹ illorū verbis falsis, asperis, modaci, ceu clavellatis, uti vocant, ciner, extergūtur, quā blandâ

Amico-

Amicorum dehortatione, ad hunc vitiorum callum molliendum longè impare? Philippus sanè, Rex Macedonum, non rarò dicere solebat: se gratias Athenienſium Oratoribus habere & debere, quod, ſuis conviciis, ſe meliorem redderent, cum illos factis conaretur refellere. Idemq; nominavit aliquem captivum Amicum ſuum, à quo amarulenter ſatis objurgabatur. Nimirum, NISI noſtræ nobis labes innoteſcerent, cenſura hoſtium, nobis parum obſervantibus, familiari connivente, brevi totum corpus occuparent. Quod ſi verò ex cenſura hoſtium jam nobis notæ fiunt, in promtu ſalus & ſanatio eſt, quam probus quisque ſua ſibi manu, & optimè, & ſine ſumtu afferre poteſt. Quid? quod Inimici tui vitia cognoſcens, in te quoque illa examinare, in te corrigere debeas: ut affectum, quo torqueri illum vides, vehementer fugias & coërceas. Qui enim aliàs in illo potes reprehendere vitium, cui ipſe miſer graviter ſuccumbis? QUICQUID reprehenſione dignum in Inimico cenſes, in te ſimul excute, adverte & averte: ejus periculo nec contemnenda, nec in honeſta tibi lucra comparabis. Si fides adhibenda Sapientibus, ut omninò adhibenda eſt videtur oraculum in neminem æquè ſeriò dixiſſe, & direxiſſe cedro dignum illud γνῶθι σεαυτὸν, Noſce teipſum, atque in eum, qui ad increpandos alios accingitur, ne, ubi dixerit quæ vult, quæ non vult, audiat. NIHIL enim reprehenſione in autorem recidente turpius. Quemadmodum refractum lumen magis lædit imbecilles oculos: ſic gravius delicto noſtro premimur, ſi, in alio culpantes illud, ipſi de eodem culpandi ſumus. Sed ubi hæc eſt hominum in ſeſe vigilantia? ubi Inimicis commodè utendi ratio? In illa veteri ſententia omne officium conſiſtere arbitrantur plurimi: Amicis beneficiendum eſſe; inimicis malè. Scilicet! retrò fert ruſticus haſtam! Hanc igitur Inimicitiis medelam quisquam afferat? hoc pacto legem humanitatis homo ſervet? ad quam non doctus; ſed ductus atque dictus: non inſtitutus eſt; ſed propagatus. Agite, quid olim Socrates iſta opinione (eſt enim monſtrum jam antiquum) præditis & circumductis? Invertit: AMICO quidem, inquiens, oportet benefacere; hoſti verò non malè; ſed hunc ipſum potiùs ad amicitiam adjungere. Pythagoræi, ſi quando in maledicta prorapiſſent, cor illud cœli, ſolem priùs non abſcedere ſinebant, quam, datis dexteris, & ſalutatione facta, gratiam redintegraſſent. ETENIM mortales decet eſſe mortalium Inimicitias, nec diem unum vivere; ſed cum ſole occidente occidere, & in Oceänum ſubmergi, nunquam repetendas. Ament æterna bella belluæ, digladientur eæ inter ſeſe ad languorem; nos modò ne inter nos, quod illæ ſciunt, neſciamus, ne ortûs noſtri unquam immemores fiamus, quem nemo ſibi ſoli; ſed pacifica inprimis hominum ſocietas, naturæ jure vindicare

care debet. Conciliemur Inimicis commodissimè, ut firmior evadat Amicitia. UT enim Sol, post multam nubium caliginem, fortiores stringit radios; sic, ubi Inimici tranquillâ tursum pace rectè componuntur, tantum plerunque accessionis ad amicitiam afferre solent, quantum fortassis ante illas animorum nubes & tonitrua nemo exspectâsset. Ita bilis defervescit in præcordiis; ita odium abjicitur penitus, ne ulla restet postmodum cicatrix animi. Quam jucundè transiguntur omnia, cum illa quies mentium, Reconciliatio, accedit: si aperta, omnisque simultatis integumento evoluta, adest ἀμνηστία & oblivio, quæ nusquam pulcrius, nusquam exercetur laudabilius, quam in conciliandis animis. O carissimam hac in parte & utilissimam oblivionem! eam à Simonide Chio, Memoriæ professore, meritò flagitavit Themistocles, & quis non cum illo, utpote omni arte memoriæ hîc excellentiorem. Et profectò, CUM nos ipsi veniâ indigeamus plurima, nusquam non impingentes, cur tam immites dicam, an iniqui? sumus, ut eam non modò non offeramus; sed sæpe denegemus alteri? Promtè offerenda inimicis est, ut nostri fiant, nisi ipsi prorsus nolint. NULLUM est præstantis genij hoc certius indicium: nullum majus æstimationis decorisus est aucupium: nullum promtius est vinculum humanitatis cum divinitate, cujus propria in delictis condonandis est benignitas. Cumque BENEFICIA

FICIA in amore conservando prora sint & puppis, Inimici nullo modo melius vincentur, quam si benignitatis & officiorum quodam quasi fune in amicitiam pertrahantur. In qua benignitatis laude consequenda omnes opes atque dignitatem tuam collocare visus es, illustre decus Principum & Oratorum, Cicero! Te unum enim ex innumeris, in confessum hunc amplissimam, vocabo. Tu Gabinium, repetundarum rerũ, defendisti summo studio, qui te in Consulatu tuo urbe expulerat! tu Vatinium, dignitati tuæ assiduè infestum, duobus publicis judiciis tutatus es! Tu, ingnoscendo aliis, tantum decus, tot amicos tibi comparasti, nihil stipulatus unquam, pro pœna, sola contentus pœnitentia O beatam vitæ nostræ quietem, si his modis Inimicos nostros tulerimus! O præclarissimam victoriam! O patriam felicitatis nostræ minimè ambiguam, si his eam armis quæsiverimus, quæ jam sunt proposita! Si, dissimulatione prudenti adhibita, injicerimus frenos iracundiæ, & præcoci vindictæ: imò si causas, si quascunque potius removerimus occasiones, quibus, ad nos infestandos, Inimicus sive utitur, sive abutitur: si strenuè virtutes ejus æmulati fuerimus, declinantes tristem vitiorum tramitem, in quo ille, suo damno ambulat: si demq; humanitate nostra, blando illo illice, duxerimus in amorẽ nostri, ut firmiori Amic. muro muniamur. Omnia in nostra potestate sunt! omnia facilia, jucũda, utilia sunt;

SIM-

SIMPLEX medicina est, quam commendamus : non amat nostra adversus Inimicitias potio farraginem, ne turbetur ipsa, aut recipientis stomachus. Duæ tantùm sunt, ex quibus constat, velut herbæ nobilissimæ, Homerico molus longè efficaciores. Unde, & quænam illæ sint, cognoscere cupitis ? Auditores, Miscuit eas Epictetus, omnibusque inter Inimicos vapulantibus, promta manu, clara voce exhibet : SUSTINE, & ABSTINE. Hæc est illa adversus inimicitiarum morbos potio. Suscipiamus ergò, & concoquamus mente sedula. Sic omnis læsio infra nostram erit, Mansuetudinem : imò sic quoque supra omnem hominum malesanorum mordacem famum, fama nostra atque gloria futura est.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

CARPENTUM TULLIÆ.

HOrrendum & immane facinus ! nulla posset hoc barbaria ignoscere. Tullia patravit, infandum illud caput, illa ex omni scelerum colluvione nata mulier. Vitam optimo marito & sorori adimit : quonam fine ? ut incestas possit adire nuptias. Vtrumq; parum erat diriora molienti ! Patrem suum, patrem benignissimum, patrem de se & omnibus

omnibus præclarè meritum, regno ejicit. Necdum illud satis : urget voce impiâ maritum novum : Tolle patrem meum, jugula ! dictum, factum ! tollitur, voce filiæ, & jugulatur pater. O parricidium cœlis & terris abominabile ! non tamen furiis amenti Tulliæ. Supervenit illa palpitanti adhuc cadaveri, carpento vecta : angustus erat vicus : territi, cadaveris adspectu, muli restitant : mox auriga obstupuit, steterunt que comæ, & vox faucibus hæsit : oculos erdo, commotæ mentis indices, ad dominam reflectit, & progressum inhibet. Sciscitanti illi : quin pergeret ? ægrè tandem respondet : Nonne vides patrem tuum, Domina, jacentem mortuum, nec alium, nisi per cadaver, patere transitum ? Mulier exacerbata, (sic refert Dion. Halicarnassensis,) scabello pedum arreptô, petit aurigam, inclamans ; Non ages, scelestè, jumenta vel per mortuum ! Verè horrescit ad tanti sceleris memoriam animus, &, quasi extra corporis hospitium delatus, adhuc hæret in carpento Tulliæ. Quæ monstra ibi jumentorum cernit ? nonne mulos bijuges, Ambitionem & Ingratitudinem ? quæ rotarum quatuor sunt prodigia ? profectò Perjurium & Levitas : Impatientia & Vindictæ cupiditas sunt. Quinam ad latera satellites ? Furiæ sunt, cum suis facibus. Sed aliusne auriga est ? alius omnino, quam qui olim fuit. Impietas est, quæ non amplius unam vehit fœminam : plures viri assident, plures affectantur, & recipiuntur : omnes certè, quotquot vel parentes suos, vel patriam sacrilego impetu conculcant. Par utrorumque facinus ! quid ? tantô majus horum quantô potior parentum cultu patria. HÆC pa-

rens est antiquior: hæc primas sibi, in affectu nostro, vindicat: hæc plus juris in nos habet, quam parentes: hæc una caritates omnium complectitur. Quid obstat ergo, quin illius hostes eodem vehantur carpentô, cum Tullia? Muli sunt, qui, lacte saturati, matrem petunt calcibus: trahi mulis debent, & trahuntur quidem mulis, quos dixi. Ambitione enim, blandô Dæmone, decepti primùm sibi dictum putant, quod Tullia Larquinio: Etiamsi cæteris in rebus injustè verearis agere, certè regni causa audenda sunt omnia. Humili ergo & depresso locô stare se putant, nisi stent supra patriam. Iungitur jugalis huic molo, Ingratitudo. Quod enim unquam, sine isthac, magnum facinus? Tyranni, homicidæ, fures, raptores, adulteri, proditores, sacrilegi, patricidæ ducem illam amant. IN neminem, post Deum, turpior est, quam in patriam: tantô certè turpior, quantô causa referendæ gratiæ hic undique honestior est, Sed Perjurio incumbunt tam ingrati cives, ubi ubi vixerint. Quis enim solvit eos religione juris jurandi sanctissima? illâ nempe, quâ Natura nullum non devinxit ab utero. HÆC, hæc magistra pietatis est: hæc nullô vocis, nullô literarum ministeriô indigens, secretis viribus, amorem nobis indit patriæ, piumque huic sacramentum dixit, quisquis natus est. O læva ergo levitatis mancipia, quæ contrà tendunt! eodem scilicet rotatur axe cum Perjurio Levitas: unô nexu copulata est. Quid pensi habent leviter perjuri cives non-cives? Vitam, fidem, famam, omnia prostituunt, per turbidam Impatientiam. Dum enim fata vota destruunt: dum vapulant

pulant sub mole dicam, an sub mola? invidiæ, & proterûntur: flectere dum nequeunt superos, acherontа movere attentant. Cæcos dixeris Vindictæ cupiditate, cum dulce æstiment, dolorem reddere. Pessimè! NON, ut in beneficiis honestum est, pensare meritis merita: sic injurias injuriis. Illic vinci turpe est; hîc vincere, ut ut lædi nos putemus. Verumenimvero qua potest esse tanta patriæ in nos læsio? patriæ dico, IN quam si exardescit studium vindictæ: si imparientiùs, quam jussiùs sævimus, si perjuram levitate ruimus, ruimus profectò, & ruinâ illâ non tam noxios & inimicos plerunque, quàm insontes, quàm amicos, quàm de nostris aut de nobis bene meritos obruimus. Quis non detestetur tali-um Impietatem! rapiuntur aurigante illâ: quò? nisi ad abyssos Furiarum satellitum. Rapiuntur miseri, nec se capiunt, dum ardent odiorum facibus, nec se nôrunt in furore suo. Extinctum est in cerebro judicium, sepulta in mente ratio, nulla in corde conscientia, nullus in animo Deus. Dum hæc commentatur secum animus, dum stupet impium Carpentum, dum de sociandis Tulliæ ingratis civibus agit, ecce! videt, jam dudum eò sublatos plurimos, & assidentes Tulliæ: Videt, quos in Romanis antehac historiis viderat. Ecce Catilinam, pestem juvenem! ecce Marium & Sullam, patriæ ulcera! ecce Pompejum cum Victore, civile bellum inciviliter urgentem! Quæ illa multorum capita & vertices? imò, quis ille, qui, educto jam pede alterô, exsilire vult carpentô? Vix enim poterat cognosci. vultus erat obliquus, & jam pronus in terram. Sed M. Coriola-

nus erat, exul Romanus, Dux hostium patriæ suæ, ad quem tunc Tullia: mane nobiscum, ait! serò pius es, & post sceleris pœnitentiam: ponis arma; sed in medio ponis parricidio. Acclamant omnes: Patriæ nobiscum violentas manûs intulisti: aras, focos, penates incessisti! eodem nobiscum vehendus es carpentô, in idem barathrum! Rediit ad clamores illos animus meus, & velut denuo ad mutuas cum corpore operas reversus est. Mecum ergo cum attentiùs disquiro causam Coriolani, multa, quæ absolvant; multa quæ condemnent, sese offerunt. Quid facerem? superius negotium erat togâ meâ: non poteram ex Tropis meis, certam petere sententiam: gravius tribunal poscebat Marcius, Res igitur ab eo gestas; sed nonnihil evolvendas, trado tribus Invenibus Ornatissimis & Doctissimis, HENRICO CLEISSEN *quidem, ut seriem belli à Volscis, Duce illô, instaurati exponat:* JOHAN. KUHNIO *autem, ut arma exsulis Romani sedulò propugnet:* JOH. SCHLOSSCHEN *denique, ut Patriam, adversus arma Coriolani, fortiter tueatur. Egregiam quisque exillis præstitit operam, præstituri porro d. XXI. Ianuarij, si faventes auditores & benevolos habuerint. Vos ergo, Patres Patriæ, qui de rebus ejus cemodi Politicis: Vos sanctæ fidei Antistites, qui de casibus Conscientiæ: Vos, alij quicunque Boni publici fautores, cultores, promotores, qui de Virtutibus & Vitiis exactum ferre potestis judicium, adeste, precor, die dictâ, ad judicium, cognoscite actionem, decretum promulgate: ego libenter ero inter Senatores pedarios: plures mecum tales erunt, & in Vestram,*

Vestram, de Coriolani armis, sententiam facilè pedibus, imò animis, concedent. Dab. in Museo, Anno 1648.

VOLSCORUM BELLUM.

ORATIO.

QUemadmodum navis aliqua, super undis, natans, secundis modò & jucundis ventis vehitur, quò pro positum facilius portum consequatur: modò variis in mari objicitur periculis, variis procellarum turbinibus quassatur: Ita quoque Respub. navis illa Politica, modò pacifico gaudet statu, omniumque rerum, quæ ad eam feliciſſimè administrandam pertinent, copiâ & ornamentis abundat: modò miseris involvitur tumultibus, ut debita jaceat industria, afflictus langueat in civibus amor Patriæ, animorum exulet alacritas, sepeliatur quasi virtus, omnia passim mala, cædes, rapinæ, triumfent. NIMIRUM ea est mortalitatis ratio, eæ sunt humanæ vitæ vices, ut adversa ex secundis, secunda ex adversis nascantur; utrorumque semina occultat Deus, & plerumque bonorum, malorumque causæ, sub diversa specie, latent. Quem in finem? eum certè, ut tantò semper agamus cautiùs, neque

metuamus sine spe, nec speremus tamen sine metu. Ut enim rursus navem vobis proponam, non unò certè; sed duplici potissimùm malo affligitur, partim externâ ventorum violentiâ, cum flatibus contrariis undique & undique agitatur, ut nesciat quâ in parte terrarum hærere, quâ subsistere possit; partim latentibus in ipso mari saxis & syrtibus, in quas ex improviso allisa, miserabiliter dissolvitur: Eadem quoque Reipub. in hac fragilitate facies: duplex eam malum præcipuè & vehementer agitat: Bellorum externorum rabies: QUORUM non solùm adventus; sed metus ipse adfert calamitatem, internusque rebellantium tumultus, quando cives, mutuis abalienati odiis inter se dissident, atque ex acerbitate animi, cupiditateque vindictæ, ad arma, ad cædes, ad necem mutuam concurrunt. Quàm hic gravis est, A. quàm periculosus scopulus? eò gravior plerumque quò occultior: non minus certè Reipub. exitiosus, si actionum publicarum cursus in eundem impingat. Quod, ut in aliis Reipub. omni seculo florentissimis, contigit: ita præsertim in Romana toties factum est. Nec enim externis solùm motibus; sed tumultibus præsertim internis, multum lacerata, ventisque civilium seditionum agitata fuit. Quid? quod unum sæpe succrevit ex alio malum, (NULLA enim calamitas sola,) uti factum in Volscorum bello, quod, unde quæso infelicem traxit originem, nisi ex intestinis motibus?

tibus? ut externa clades rixas civitatis excipere, ut ipsa in se damnum suum miserrimè suscitaret. O bellum, omnium scriptorum Romanorum judicio, gravissimum, bellum ex civilibus motibus, ex inimicorum terroribus genitum, de quo cum verba impræsentiarum facere constituerim, tenùitatis meæ mihi satis conscius, ad vestram me benevolentiam convetto, Patriæ Patres, ad vestram, Religionis orthodoxæ Antistites, ad vestram musarum Sacerdotes, Fautores, Amatores, illustria civitatis culmina & ornamenta, virtutum omnium, laudandarumq; artium lumina, clarissima, & obnixè à vobis peto, ut studium hoc meum, in narrando breviter Volscorum in Romanos bello, exigui temporis attentione, excitetis, attentionem silentio sublevetis, quò feliciùs deinceps de Marcij Coriolani facto, face ac tuba istius belli, judicium formare vestrum possitis. Cum magni illi Remi atque Romuli nepotes, gravitate, moderatione animi ac prudentiâ, suas eò res deduxissent, ut non civitatem modò, quam initio angustam satis habebant, muris ac mœnibus; sed magnam quoque Italiæ partem, suis legibus ac disciplinâ, circumscriberent, ingenti fame ex improviso pressa est civitas, quam caritas annonæ, ex incultis per secessionem populi agris, concitaverat. Ne tamen eâ penitus opprimeretur futura mundi Domina, magna frumenti vis ex Sicilia feliciter advecta est, & consultatum in Senatu; quanti

populo, sub egestati mole murmuranti, daretus? Multi tum, venisse tempus premendæ & coërcendæ plebis, putabant, multi optatissimam recuperandi jura occasionem, quæ viae secessione patribus exorta erant. NULLA re melius populum, quàm necessitate, compelli posse ad modestiam. Libentiùs perferre Patrum leges, ubi miseria feroces compescit spiritûs. Hos intererat Marcius Coriolanus, à Coriolis masculè expugnatis nomen adeptus, Juvenis ætate illâ omnium clarissimus; sed, quod fieri solet, tali ætate, tali statu, paulò arrogantior, hostisque plebis gravissimus, gloriâ familiæ suæ, suaque ipsius plus justo nitens: hic non clam aut timidè, ut reliqui prudentiores occultiorum, ideoque feliciorum consiliorum artifices, dicebat sententiam; sed aperto & severo clamore invehatur inplebeios, convellendam esse eorum potestatem, succidendas gravi-

ori impetu novas superbiæ cristas, asserens, ut reverentiùs Sanctitatem Magistratus posthac æstimarent. Non parum certè hanc pollutam esse, ejusmodi, inter populum & senatum firmato contractu, qui Rempublicam turbulentissimorum libidini subjiceret. O si nunquam esset initus! Sed cum initus jam sit, & imbecillius adhuc, ob novitatem, robur ejus, oppugnandum in præsenti & convellendum esse. MULTI enim, inquiebat, præter voluntatem ad necessitates redacti, nec optimum in rebus maximis consilium secuti, cum non obstitissent malorum principiis, eorum saltem incrementa conati sunt tollere, apparuitque, pœnitentiam serò incipientium sapere, licet non conferenda sit cum providentia, alio tamen modo non minus rebus consulere, dum non sinit illud evenire, cujus principia fefellerant. Sequebantur hanc Coriolani sententiam Patricii Juvenes, certamen linguæ aliquod & cordis in laude Coriolani, viri ut generosi: ita Patriæ amantis, optimeq; consulentis efferenda suscipientes. Sed aliter plerique seniores, non justo pluris opes & honores æstimantes: PRUDENTIA & moderatione superandes inferioris ordinis homines, non violentia: æquitatem non adspernandam, ut indecoram; sed amplectendam, ut necessariam, cum alias, tum præsertim in concilianda civium benevolentia: NERVOS nimium intensos periculose rumpi: potentiam cautis, quam acrioribus consiliis tutius haberi. Verum enim verò superavit juniorum impetus dicam, an consilium? contemta in populum moderatio, qui, magis atque magis exacerbatus, cibo q; se & victu, necessario degendæ vitæ sustentaculo, fraudari clamitans, concursu, strepitu, clamore, tumultu complevit omnia. Audisses passim, pestem dici Coriolanum ac perniciem Patriæ, omnigenæ calamitatis fundum, qui civile bellum in urbem importet, qui novos motus conversiones que Reipub. quærat, qui non pro salute civitatis; sed miserabili exitio laboret: ad judicium, ad cædem vocan-

dum, laniandumq; & dentibus dilacerandum esse. Non est opus, A. multum hæc diducere: ipsis vos nostis, ex multiplici temporum testimonio, QUANTA sit irritatæ plebis violentia, quantus impetus, quàvis certè truculenta bestia ferocior; diruit omnia: & ea quoque tum Senatum vicit, ut ringentem Coriolanum, & jam mala quæque minantem Patriæ, perpetuo exsilio multarent. Osi cessisset tum Coriolanus paululum tempori & necessitati, quæ vincit omnia, cui tota natura subjecta est! Si posuisset paululum ambitiosam mentem, aut veniam petiisset delicti, aut cum modestia, blanditiisque plebem allocutus fuisset! tota certè plebs ad absolvendum eum accessisset, Sed CONTEMTUI ab ipso habita, quo nihil acrius vulnerat, quid mitius in eum agere potuit, quàm ut ex urbe ejiceret? Discordia præsertim in ipso Senatu gliscente, cum aliud placeret Consulibus, aliud arrideret Patriciis: aliud his, aliud illis in consultationibus videretur, QUÆres non potest non certam plebi occasionem, deminuendæ Senatoriæ autoritatis, præbere, sicut ibi quoque factum est. NON enim ulla domus tam stabilis, nulla civitas tanto armorum præsidio, tanta civium benevolentia & caritate potest esse septa, nulla Respublica tam firma, quæ non possit odiis ac dissidiis funditus everti, ut non corpora; sed cadavera: non ossa; sed cinerestantùm aut sepulcra, cum admiratione simul & commiseratione, aspiciantur.

Sed jam abierat Coriolanus perpetuo multatus exsilio, indigneque hunc casum populique insolentiam ferens, ulcisci inimicos cupiebat: Varia igitur judicii lance perpendit secum: quibus mediis illatam sibi vim vi repelleret: quibus opibus hoc ipsum effectum daret? Unam tunc Volscorum potentiam inveniebat, si de communi sententia, ductu prudentis imperatoris, bellum Romanis inferretur, sed INTERNUS animi tortor, & metus magna vi urebat & deterrebat ipsum, quippe qui ingentes clades atque Calamitates Volscis toties antehac intulisset: Non tamen conatu destitit; sed, spreta & contemta periculi magnitudine, ut magnanimi viri solent, tentare rem decrevit. Venit igitur, observata nocte obscura, Antium, Urbem Volscorum nobilissimam: venit in ædes Attii Tulli, viri eo loco principis, narrat causam exsilii, eoque excipitur benigniùs, quò major ira in suos eminebat, quò crebriores nunc querelæ, nunc minæ percipiebantur. Agitantur ergo, inter duos illos viros militares, militaria consilia. Tullus statim Romam invadendam statuit, fervidior, quam cautior: sed Marcius, diuturno rerum usu circumspectior, justam priùs belli causam quærendam esse, quæ durantes inter utramque gentem inducias rumpat. Hanc verò dum inquirunt, dum sollicitè ventilant, fortuna, consiliorum arbitra, commodam suggerit. Properarant magno numero ad Ludos Romanorum aliquos Volsci, insti-

instigante ipso Tullo: disperſi erant in compitis, intemplis, in locis aliis publicis, & per ſodalitia fortuitò ſe conglobarant extra certa hoſpitia. Quid fit? Subornatus à Tullo index, (Livius ipſum indicem Tullum fuiſſe refert,) ut domi compoſitum erat cum autore conſilij hujus, vel potiùs figmenti, Marcio, conſules ſecretò adiit, eſſe, quæ etiam de Reipub. ſalute aperire vellet, dixit, ſi juramento confirmarent, ſe præſtitutos ſibi ſecuritatem, nec cuiquam Voſcorum aperturos, cujus indicio eſſent proditi: totos enim in eo eſſe Volſcos ſuos, ut ex improviſo urbem invadant, diripiant, occupent. Videant modò multitudinem, videant concurſus, videant eorum ſtrepitum, omnes ſuſcepti propoſiti indices, videant, & citò provideant: ludos eſſe; ſpectaculo intentam civitatem. NON eſſe tutam hanc ſecuritatem poſſe. Creditum eſt delatori: reſad ſenatum vocatur: fit decretum, miſſis per urbem præconibus, ut ſtatim urbe Volſci omnes excederent. Quantus primum pavos diſcurrentes, & omnia veritos perculit! quanta, per unam portam velut abactis, indignatio aborta eſt! Accedebant Ducis Tulli exaggerantes ſtimuli, & graviſſima de illatis injuriis, de ignominioſiſſima expulſione, verba, ut Volſci & ſuâ ſponte irarum pleni, & acerrimè hinc incitati, domum properarent, & totus populus bello invadere fœdifragos Romanos decerneret. Dictum, factum! Leguntur ad id bellum Attius

tius Tullus & Marcius Coriolanus, exul Romanus, in quo plurimum ſpei repoſitum, & dum exercitus conſcribitur, dum colliguntur tributa, dum comparantur omnia ad bellum neceſſaria, in imparatos adhuc Romanos impetum facit Coriolanus copiis aliquot: improviſo malo agreſtes opprimit: omnia corrumpit, diripit, villas injecto igne exurit, maximè in plebejorum ſævit prædia: patriciorum latifundiis, quantum poteſt, parcit, vafro ſe conſilio, quo magis inter patricios & plebem gliſcerent ſuſpiciones, quò majora ſumeret augmenta in urbe ſeditio. Et profecto ſumſit maxima! Plebs Romana invehebatur in Senatum & Patricios, ab ipſis contra ſe inductum Marcium clamitans: Patricij verò vaframentum illud eſſe Ducis ajebant: NEMO tamen (O graviſſimum ſuſpicionis mutuæ incommodum!) Nemo vel rebus pereuntibus ſuccurrere, vel reliquas ſervare, inter rixas miſeras, inter ſimultates occultas, volebat. Nec hoc malum erat ſine ſocio: Majus acceſſit malum, univerſæ nimirum civitatis trepidatio: frangebatur atque debilitabatur tota Respub. propter inuſitatam pericnli magnitudinem, longiùs indies ſerpentem, ob Conſules præſertim minimè bellicoſos, aut militiæ gnaros, quos propter hoc ipſum ignarus ſcilicet futuri mali populus, elegerat. Ardebant paſſim agri: diripiebantur circa civitatem omnia, proſternebantur oppida finitima, effuſi per vias

Volſco-

Volscorum milites, obvios quosque sine ullo sexus, ætatis, ordinis discrimine contrucidabant, undique circa Romam gladiorum fulgor, armorum strepitus, militum crepitus oculos, aures, animos perstringebat : puerorum ejulatibus, mulierc ularum lamentis, privata publicaque loca personabant omnia: Palabunda per omnes Romæ angulos mœstitia, inter inconditos consternatorum animorum singultûs, regnabat : ibat rumor, undique & undique tristissima omnia inculcans: ibant juxta miseri terrores: festinare, trepidare, neque loco, neque homini cuiquam satis fidere : suo quisque metu pericula metiri : omnes afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere : pavere omnia. Imprimis autem patricij in plebem animati : Videant ergo, inquiebant, in quantum exitium unius viri nobilis exilium Rempub. conjiciat : quid exspectandum, si plerique Patricij plebis petulantiâ exasperati, eundem viduerent animum ? Tandem verò EXTERNUS timor vinculum exstitit concordiæ : tandem ille, quamvis adhuc suspectos infensosque, inter se junxit animos, ut se adversus exultantes in secundo fortunæ cursu hostes pararent. Quocunque enim illi interim arma circumferebant Duce Coriolano, circumferebant horrorem, circumferebant victorias, prædas, triumfos. Circei, cives & coloni Romanorum, ubi cognoverunt hostem ad sua contendere mœnia, apertis portis, sine armis, pro-

progressi obviam, deditionem fecerunt, ne quid hostile paterentur, inde in viam transversis tramitibus transgressus, quæ non Romanorum oppida, quæ non municipia & urbes cepit? omnia cedebant, omnia parebant fortunæ Ducis & Volscorum, qui, conspectâ toties prædarum magnitudine, auditâque Romanorum timiditate, cujus causa præcipua defectus boni Ducis exstitit, incredibiles sumserunt spiritus, PRO UT insolens est omnis victoria, & spem firmara conceperunt imperij, quasi jam uno spiritu omnem possent difflare adversariorum potentiam. Quid dicam? ipsi Romanorum ante hac fideles socii fluctuare incipiebant plurimùm : defecerunt certè aliqui, initium facientibus Æquis, minime hic æquis, &, sub ipsum belli exordium, missis ad Volscos Legatis, fœdus cum eis & societatem jurejurando firmantibus : aliis clam Volscorum causam commeatu, pecuniâ consilio juvantibus. NIMIRUM, ita solet fieri, ut fortuna belli secunda, facilè in societatem vocet alios, qui non tam de justitia canæ quam de copia prædæ, sunt soliciti. QUOT & quanti fortunatorum amici? fratres? socij? calamitas sola est, etiam cum minimè sola : fortuna prospera, ceu dulci quodam hamo, sectatores capit plurimos. Hæc tum à Volscis stabat, quorum imperator, Coriolanus, magis magisque fortunâ & iracundia turnens, ipsam demum Roman. animam petiturus, feroces & ingentes copias propiùs

ad

ad urbem egit, & ad fossas cluilias, vix quadraginta ab urbe stadiis, castra posuit. Nulla vox, Auditores, nulla oratio terrori isti describendo sufficit, qui, sub adventum hostis, tota urbe surgebat. Alij correptis armis, injussu magistratuum, ad mœnia currere : alii ad portas agminatim, nullo duce, properare : alii, servitiis paratis, domos suas defendere : alii capitolium & alia munita loca occupare : mulieres cum horribili ululatu, passis crinibus, laceratis genis, ad templa, ad delubra, ad Deos currere, & miserabiliter cum pueris undique quiritari. Tota nox flebilibus illis doloribus inhorruit, & magna sequentis diei pars, cum tota plebs, facto in forum concursu, Patres adigunt, ut Senatus consulto decernatur Coriolano reditus, & de amicitia ad illum mittatur Legatio. Factis ergo consultationibus, delecti sunt quinq; seniores ex Consularibus, quos Marcius diligebat maximè, qui, admissi ad iratum Ducem, multa de jure illius belli, de præmiis, si desisteret, de pœnis quoque, si inceptam impietatis telam pertexeret, disputarunt. Frustra! obseraverat accensum animum vindictæ cupiditas, ne preces ullas admitteret : altiùs hærebat adhuc memoria illatæ injuriæ : nondum detumuerat nocendi calor gravissimus. Atrox igitur responsum dat Legatis : Si Volscis ager redderetur, posse agi de pace : sin præda belli per otium frui velint, memorem se & civium injuriæ, & hospitum beneficii ad nisuram, ut appareat,

appareat, exsilio sibi irritatos, non fractos animos esse. Ibant ergo hoc responso Legati; sed redituri post diem trigesimum, qui cum illuxisset, tumultuante atque sæviente ferociùs in Romanis finibus Marcio, electi sunt ad novem Legationem alii consulares decem, qui peterent, nequid grave juberet & indignum populo Romano : cogitaret Patriam, quæ ipsum genuisset. Quid ad hæc Marcius? Nihil, nisi ut melius sibi consulerent & reverterentur intra triduum, non enim se ampliores daturum inducias; sed vi, flammis, ferro invasurum urbem, & è vestigio castris excedere jussit, minatque nî facerent, se tractaturarum ut exploratores. Hæc tam superba, tam minacia postquam legati renunciaverunt Senatui, nondum omnem spem flectendi Coriolanum abjecerunt, si major & honoratior mitteretur Legatio. Decretum itaque est, ut Pontifices, ut Augures, ut Sacerdotes omnes, præferenter Deorum insignia, sacroque amicti vestitu, uno agmine hostium castra peterent, eadem quæ proximi Legati postulantes. Postularunt eadem, & postularunt eodem successu, hoc est, frustra. Ut enim cautes, inter fluctus surgens maritimos, frustra verberatur ab iisdem : frangit eos, non frangitur, immobilis persistens : ita Coriolanus noster inter preces. Confestim ergo dixit eis : irent & imperata facerent, si pacem vellent. Sic ergo desperata pax omnis erat : acuebantur iræ in Romanos : crescebant hominum

miseriæ: in omnium animis tremor, cædes & urbis exitium SÆPE divinitatis hæc sunt opera, ut, ipso jam successu feroces animos, subita occupet mutatio, improvisa furias securas excipiat ultio, ne vel unquam improbis timor, vel spes absit calamitosæ virtuti. Consumta jam erant Romæ omnium virorum studia, omnia consilia in cassum data. Unde ergo miseris auxilium? unde, nisi à fœminis imbellibus, quæ tamen in bellicosissimum bellatorem felicissimè bellaturæ putabantur. Quis credat, cum viri desponderint animum, fœminas servasse patriam? Servarunt tamen, non manibus quidem & armis à quibus vocationem habent, sexus privilegio; sed LACRUMIS, potentissimis armis quibus quis est, qui non denique succumbat? miserabili igitur habitu, sordidatæ currunt matronæ ad Veturiam, Matrem Coriolani, & volumniam uxorem ejus, &, positis ad genua plorantibus pueris, illas per cælestia numina, per publicam misericordiam, fluitantibus abundè lacrumis, tum ad hanc, tum ad illam clamitantes, orant & exorant tandem, ut & Mater, magno natu mulier, & Volumnia, duos parvulos ex Marcio ferens, secum in castra hostium irent. Iverunt igitur post multam Senatûs de hoc instituto disceptationem, & iverunt, quotquot vellent, ut majore cum dignitate Marcii cognatæ perfungerentur deprecatione pro Patria. Iverunt, duce Veturia, matre Coriolani grandæva, comitata tot mulierum

rum ploratibus, sordidata in morem lugentium, oculis lacrumatione tabidis, miserabili admodum. Qua vira Marcius, immotus hactenus & rigidus, ac velut obfirmatus ad eluctandas quascunque molestias, non valuit amplius manere in proposito; sed, humanis abreptus affectibus, amplexus est eam, salutavitque & blandissimè compellavit, imo diu flens exanimatam labentemque sustinuit. Mater verò, postquam diu flevisset, in iram ex precibus versa, ut refert Princeps Romanorum historicorum. Sine, priusquam complexum accipio, sciam, inquit, ad hostem, an ad filium venerim? captiva, materve in castris tuis sim? In hoc me longa vita & infelix seneca traxit, ut exsulem te, de vide hostem viderem? potuisti populari hanc terram, quæ te genuit atque aluit? non tibi, quamvis infesto animo & minaci perveneras, ingredienti fines ira cecidit? non, quum in conspectu Roma fuit, succurrit; intra illa mœnia domus ac penates mei sunt? mater, conjux, liberique? Ergo, ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur? nisi filium haberem, libera in libera Patria mortua essem? sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, quam mihi miserius, possum: nec, ut sim miserrima, diu futura sum, de his videris, quos si pergis, aut immatura mors, aut longa Servitus manet. Hæc elocuta, humi se projecit, & ambabus manibus amplexa pedes Marcii, deosculata est: mox secutus ingens universarum matronarum cum

pueris planctus, ejulatus, comploratio. Coriolanus prosiliens, & semianimem erigens, post multas lacrumas, exclamat: Vicisti Mater! Et verè vir fortissimus à Matre victus erat. Posuit enim bellum, reduxit exercitum, Patriæ feliciter placatus est. Quanta, Deus immortalis! tunb oborta Romæ plaudentis hilaritas? quam effusa omnium ordinum voluptas? Gaudebant Consules, & veluti lætitiæ quodam thyrso percussi gaudebant! Gaudebant Patricii in quorum gestibus, oculis, vultu, totoque corpore, illustres hilaritatis notæ videbantur. Gaudebant Tribuni, jubilabant, exsultabant, & plebs, tota curarum omninm oblita, summa perfusa lætitia, tanto ex ea re gaudio affecta est, quantum, neque mea, neque cujusdam oratione exprimi potest. Sicut illi, qui mare navigant, sub gravissimo naufragii metu constituti, tremiscunt & ingemiscunt acriter; reversa verò serenitate, subita omnium animos denuò lætitia, invadit, ut exsultent gaudio, gestiant voluptate: ita quoque Romanis accidit, qui, durante obsidionis periculo, terrore fracti, interm eras tristitiæ sordes, hærebant; bello verò liberati quanta tripudia? quanta per totam urbem edebant jubila? Sed non ita Volsci, qui, audientes Coriolanum cum Romanis pacem iniisse, invida æstuabant sævitia, imprimis ipse Tullus, ambitioso jam dudum, ob Marcii gloriam, livore percitus, qui plebejorum iras excuebat, multosque pecunia corruptos audaculos

los incitabat, ut quoquomodo reversum Coriolanum, ceu proditorem publicæ felicitatis, interi merent. Cum ergo Marcius, imperium depositurus, ad dicendum ascendisset, Tull factio incondito clamore obstrepuit: mox audacissimi quique, feriendum & impetendum clamitantes circumsistunt hominem, & concisum lapidibus, ingratissimis manibus occidunt. O factum ab amicis inimicissimum! Hoccine fuit præmium? hæccine tantorum beneficiorum remuneratio. Ubi fides? ubi pietas? ubi bene meritorum veneratio? Ecce Coriolanum, miseriæ spectaculum, victimam ingratitudinis, exemplum inconstantis fortunæ! Jacet, jacet in foro Volscorum! jacet lapidibus contritus Heros ille invictissimus atque optimus, qui gloria belli ac virtute omnes omnium ætatum æquavit, imò plerosque sine ulla controversia, superavit! Jacet propugnator Volscorum, Volscorum laceratus manibus. Jacet vir magnanimus & munificus, tum ad sublevandam amicorum, quam nosset, inopiam promptissimus, bellicaque laude nulli secundus! Sanè nisi seditiones urbanæ institutum ejus in Repub. impediviſſent, maximum incrementum, ejus auspiciis, Romanum imperium accepisset. Jacet ille, & cum eo bellum, à Volscis, Duce Coriolano, gestum! De quo tamen, utrum satis excusari possit, an accusari & damnari prorsus mereatur, omni ætate inter viros prudentes disceptatum est: quorum institu-

tum duos successores mei sequentes, ipsum jam virum fortissimum, ad tribunal subactissimi vestri judicii, A. deducent. Fatendum certè est, in hoc Volscorum bello magna fuisse omnia, magnos successus, magna & gravia consilia, magna vitia, magnas virtutes: imprimis verò calamitates Romanorum magnas, magna gaudia. Neque mirum id cuipiam videri potest. IMMOTA enim rerum mundanorum hæc est velut constitutio, ut non liceat ad magna gaudia, nisi per magnas demum ærumnas, adspirare.

CORIOLANI VINDICIÆ.

ORATIO

HAud scio equidem, quonam mortalium fato accidat, ut importuna naturæ propensione, præpostero sæpius impetu homines in judiciis suis ferantur à rectitudinis orbita, & tam faciles sint ad judicandum; imò faciliores ad damnandum. QUIVIS, curiosa indagine, alienos actus inquirit, alienæ vitæ censor atque judex est: imprimis magnorum virorum facta popularis judicii trutina ventilat, &, post habitis virtutibus, ad nævos etiam minutissimos, si modò semper nævi sunt, exaggerandos dilabi-

dilabitur. Nimirum, UT in formosarum faciebus teretes genæ, & ipsi sanguini mixtus candor, non tam vagos retinet oculos, quam nævus aliquis, exili deformitate circumfusus: ita, in excelsis animabus, non tam famæ præstantiam & virtutum ornamenta spectant, quàm nævos etiam vilissimos: hos examinant: hos urgent: hos excutiunt. Nihil magis urit illos, quàm bonorum claritas, cujus radios noctuæ ferre nequeunt; atque HINC simultatem affectant illorum, quorum similitudinem assequi, vel propter improbitatem nolunt, vel propter ignaviam desperant. Ipsi vos, Aud. experientiam illam, infallibilem rerum magistram, consulite, ipsi historiarum monumenta, altiori indagine, perlustrate, annon undique malevolorum mordaces in magnos viros occurrant voculæ. Quis, inter masculos Romanæ libertatis assertores, superavit MARCIUM Coriolanum, qui, dum interesset mortalium cætibus, ita generosi animi sublimitate eminebat, supra fatalem hanc luem, ut non nisi illustrissima tropæa ac triumfos numeraret. Quemadmodum sol, clarissimus mundi oculus, illustrator universi, instinctu singulari, iteratis semper itineribus consurgens, spatia sua, secundum hunc ordinem, quem natura signavit, explicat atque cursum absolvit; ita quoque perpetua agitatione, fulgentissimi solis instar, sublimis Coriolani animus, æmulator ille cœli, ferebatur, ut officium Romanis suis, quod

debebat, præstaret. Nunquam deseruit glorioſam illam ſtationem, ad quam eum conſpirans magnorum virorum ſuffragatio, religionis affectus, mores, majores admoverant; ſed Ducis maximi maximas virtutes, felicitatem, fortitudinem, providentiam, non tam ad exemplum feliciter aſſecutus fuit; quàm velociter abſolvit. O infelicem verò poſtea conditionem Ducis feliciſſimi! expertus eſt, communem bonorum ſortem: ſenſit comitem virtutis individuam, invidiam: invenit oſores & roſores, qui de tota Republica benè meritum triſti mulctarunt exſilio; imò poſt obitum ſuum Ariſtarchos & accuſatores reperit graviſſimos, quod, pro honore ſuo adſerendo, Volscis, contra patriam Romam belligerantibus, ſive dux, ſive ſocius ad fuerit. O iniqui rerum cenſores, quæ fueria veſtros lymphevit, animos, ut ad ſeveriſſimum impiæ cenſuræ tribunal, innocentiſſimum trahere vos non pudeat Coriolanum! O judicia! Sed parco dicere. Laudandus mihi potiùs videtur, quod ita egerit contra malitioſam patriam. Quod dum facio, non numeranda mihi; ſed æſtimanda judicia pute, &, ut rectè æſtimare poſſim, veſtra mihi, A. adſit benevolentia, ſicut jam jam præcipit autoritas, ne meliùs præcipere, quam favere videamini: ut autem ardenſiùs favere incipiatis, & in auſpicio mens bona placeat, benigno ſilentii conſenſu verba mea excipite. Liberiori quidem veſtigio orationem circumducam;

ducam; ſed ita, ne mihi idem illud objiciatur, quod Plato Antiſtheni, (qui differendo erat prolixior) hisce verbis: Ignoras, quod orationis modus non is ſit, qui dicit; ſed ille, qui audit. OMNES eo ſumus ingenio, ut juvantem nos amemus, & lædentem proſequamur odio, non quod ulli nobis homines hanc legem fixerint, &, ſi diverſum videatur, refigant; ſed quod illam à provida rerum matre, natura, ex omni ævo cunctis ſenſu præditis inſculptam & perpetuò duraturam acceperimus. Ideoque tum amicis renunciamus, ſi nos gravibus proſcindant injuriis; QUIS enim amico velit eſſe ad injurias obnoxius? tum inimicos facimus amicos, ſi amica nos demereantur gratia. PATRIAM profectò, dum patria eſt, dum prodeſt, ſuis favens, ſuos fovens, nemo non pietate proſequendam dixerit; ſi verò noceat, ſi oderit & rodat innocentes, quis non deſerendam ſtatuat, non ut patriam, ſed ut deſertricem ſui ipſius? Minimè mihi ille honeſtatis limites tranſgredi videtur, minimè virtutis regulas impio mentis conatu tranſilire, qui huuc naturæ ductum ſequitur. Quid enim? annon, ubi patria, virtuti inimica, cives fama & honore opprimit clariſſimos, ubi magnis meritis ſpectabiles, miſera illa damnat profectione, non ſolum amorem ipſum; ſed, ſi quæ ſuperſunt, amoris etiam veſtigia, penitus avertat? At hoc feciſſe Romam Coriolano, virò ſupra ſeculum ſuum, apertiſſimè loquitur hiſtoria. Quanquam

pro patria, in honore, in libertate conservanda, atrox atque diuturnum contra Volscos bellum gesserit, effeceritque, ut Romani non solùm opinione ac sensu; sed adversariorum quoque ad sensu, ampliſſimo ampliſſimæ dominationis titulo beneficioque fruerentur; tamen quod retulit patria? resiluit à debito amoris officio, ingratudine plena, & tam ingentia, tam laudabilia beneficia, rectis oculis intueri, sincerâ mente æstimare noluit. Quæ causa? nullam videas nisi possimum consultorem præclarorum in cive virtutum metum pessimum. PLEBEIÆ enim mentes, quia intellectu non percipiunt naturam heroicorum pectorum, in quibus seorsim tam excelsæ virtutes habitant, falsas sibi causas, vanosque timores fingunt, quasi libertati per ambitiosam ostentationem fraus fiat, quasi parentur insidiæ, dum illustria hinc inde merita coruscant, & ab aliis quoque honorantur. Fluctuant abjectiores animi, hunc cupiunt, hunc aversantur, aliud sperant, aliud metuunt: imò, quod pessimum est, eundem nunc amant, nunc oderunt: omnes res è casu, non è causa: ex affectu, non judicio metiuntur. Hinc impetu præpostero bene facta in oblivionis materiam; O si hucusque tantùm! imò, quod deterius, in furoris alimentum sæpius rapiunt. Factum ita passim aliis, factum quoque Coriolano, quem cum summis honoribus mactare; ut patrem patriæ, ut præsidem & tutorem publicæ tranquillitatis venerari debuissent

cives, projecto conculcatoque omni pudore, quasi gravissimè in Rempubl. deliquisset, dignitate, famâ privant, patriâ, domo, laribus, penatibus miserabiliter ejiciunt.* O singularem iniquitatem patriæ in cives! Longè aliter agendum, MUTUO amore amor civium provocandus & pascendus est, si durare debet. Quis enim ignorat, nobile illud ex nobili scriptore: EGO monstrabo tibi amatorium, sine medicamentis, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama. Cui alterum simile: si vis honorari, honora. Quod observans L. Crassus Senator, L. Philippo consuli respondebat: Non es mihi, Philippe consul; quia nec tibi Senator sum. ITA nec patria est, quod dicitur, si non amat cives; sed persequitur; sed spernit; sed ejicit. Nec Roma nomen patriæ obtinuit, cum civem optimum, Coriolanum, & simul felicitatem ejus diris devovit. Quid? quod pessimi quique gubernârunt, Romanam Rempublicam, & damnarunt innocentissimum. Ita enim illuserunt, imò læserunt ipsius merita. Cum in judicio dicendi vices ad Marcium venissent, exorsus ille ab adolescentia, recensuit, quoties militaverit pro Republica, quot victrices ab Imperatoribus coronas acceperit, quot cives in bello servaverit, servatorum quemque suo vocabat nomine, qui vocati aderant, lamentantes & rogantes, ne patrem suum & patriæ, ut hostem, perderent. Et ne quid deesset ad movendos animos, ipse Coriolanus,

lanus, scissa veste pectus suum, sedem illam magnanimitatis & justitiæ, cicatricibus oppletum ostendit, & pari modo affectas cæteras corporis partes, furibundam plebem rogitans: num possit ejusdem esse, populum in bello servare, & servatum in pace, perdere? hujus enim criminis virum justissimum postulabant. Verum enim verò, nullo saxeos illos homines, quibus chalybs circa pectus & æs triplex, nullo, inquam, potuit perfodere affectu. Damnârunt hostes virtutis, damnârunt civem virtutum gloria clarissimum, hostem voluerunt suum: ejecerunt igitur cum tumultu & strepitu, quo? nisi ad hostes suos; sed amicos Coriolano, Volscos, qui confessim, famam viri religiosè adorantes, fœdera societatis familiariter junxerunt, civitate ipsum donârunt, totius exercitûs sui fecerunt Imperatorem. Quo ergo animo his denegaret operam suam, suum amorem & victrices manûs, à quibus tantis exornatus bonis, tam ardenti susceptus amore, nullo læsus nutu fuit aut injuriâ, nisi forte beneficiis illorum lædatur, ut ingrata patria magnis Coriolani meritis. Gravissimâ potius notâ dignus fuisset, si contemptum istum ab hoste Patria, præter jus & fas illatum, non omnibus propulsasset mediis &, modis. UT qui semel in prælio suum abjicit clypeum, non ab hoste modò, sed, paulò etiam post, à jumentis conteritur: ita qui malevolentiam & injurias, quas benè agendo meruit, arcere præignavia non audet, gravio-

res invitat, & suo ferre merito contemptum cogitur, quo nihil gravius excelsis ac erectis animabus contingit. Viri certè laudem non meretur, qui nec inimicis irascitur, nec suis benè vult servatoribus, & facit: qui parcit, suis licèt civibus, exitii tamen autoribus, à quibus patriâ pellitur innocens, & deserit, qui magnis ornant muneribus; NISI fortasse civis magis loco aut linea mentis; quam usu & operibus æstimandus veniat, quod quis sanæ mentis statuat? JUSTUM est omnino bellum, quibus necessarium est, & pia arma, quibus non nisi in armis spes relinquitur. Proinde, UT modestia, est quiescere, si non afficiaris injuria: ita justitia est, si afficiaris, bellum paci anteferre. Non primo statim impetu masculus Coriolani animus ad hostilia descendit; sed, ubi injuriis, ubi contemptu defatigata patientia, nullum aliud remedium reperire potuit. Quis enim prorsus pedibus calcari se patiatur? INCIDUNT aliquando ejusmodi necessitates rerum, ut viri fortes aliter non possint vitam luam & salutem ab injuriis ac intolerabili sævitia defendere, quam ut in Martium, ut sic dicam, cum nostro Marcio descendant campum, & ita sanguinem, & quicquid apud gentes sanctum, tueantur. Quale propositum, apud benignos rerum humanarum arbitros, non solum veniam; sed aliquam insuper generosæ indolis ac fortitudinis laudem meretur. A civibus Coriolanus improbè ejectus, nullam honestiorem causam invenire

venire potuit, quâ virtutes, atque illlustrem magnanimitatis famam sartam, tectam servaret, præter hanc. Et QUID illustri famâ illustri viro potiùs? aurum amittis, nil amittis, nisi rutilam Sulphuris & mercurii massam. Pecuniâ privaris? nulla privaris re, nisi pecoris umbrâ. Purpuram tuam forsan servus abstulit? quid quæso purpura? viscosus ex mutuo concharum attritu lentor, vanida saliva. Valeant omnia; tantum tibi fama constet: alias CONTEMPTUI famæ, contemnuntur virtutes; contemptis virtutibus, quid, nisi rumor pessimus, supereſt, aquila ista Promethei, ad custodiam menti adposita, excitatu facilis, molesta portatu, depositu difficillima. Ut in cœlis optimorum virorum anima: sic in terris fama triumfare debet quam NON in saxis & trabibus, non in auro & argento; sed in memoria posteritatis, in judicio temporum præclarè facta, victuro semper honore ab interitu vindicant. Hanc ergo ne amitteret, ne penitùs consumeretur ab improbis, Coriolanus exserendæ virtutis suæ occasiones etiam apud hostes quæsivit. Et quidni quæreret? Tu enim, plebs & fex Romana, in tanto cive, famæ & virtutis vires suffocare voluisti & perdere. O nefas! An propterea extulisti antè illum, ut postea deprimeres: an ita deprimere laborâsti, ut neque attollere se posset. O invidam malitiam! Patriâ privâsti; vix credo: patriam habet: PATRIA est, ubicunque viro bono benè est. Virtus

tus Coriolani tui, jam non tui, majorem aliquem campum, majus theatrum, in quo spectaretur, requirebat. Tu, livore, nigro tacta, aut cæca fuisti, ne videres, aut, si vidisti, improba, quod non æstimaris. Nimirum utroque laboravit malo plebs Romana, A. malè cæcitatis & improbitatis, quibus patria vexatur illa, quæ non tam offert bonas civium suorum mentes, quam aufert. Pessimo fato! PATRIÆ officium est, & Romæ fuit, incitare, non suffocare bona ingenia, sanè, ut officiosæ matres recens natos liberos non solum edere; sed &, educare solent: ita bene constituta Patria civium virtutes non solùm habere; sed etiam alere, colore, præmiis incitare debet, ut eò magis magisq; ad laudis materiam excrescant, omnes actiones tuas, omnem operam, omne denique studium ad patriæ bonum dirigant. Vetus est sententia: VIRTUTEM honore nutriri. Hinc veteres Romani sapienter fecerunt, qui ædes Honori atque Virtuti, gemellâ facie, junctim locarunt, commenti, ibi esse præmia virtutis, ubi sunt merita honoris, & stimulo præmiorum benefacta feliciùs & velocius incitari. Generosi equi plausum cervicis amant, & blandis magistrorum vocibus mirificè, lætantur, ita, ut magna ipsis alacritas, addatur: quantum inde homines ad æternitatem natos stimulari posse credimus? NEFAS enim omnino est, bello notum aut domi clarum ex sorte præmii sentire industriam. Trahimur

omnes

omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maximè gloria ducitur, qua, ſi præter ſpem & meritum excidimus, quid inde oriatur in læſis animis, exempla, viliorum etiam hominum, pleniſſimè & planiſſimè edocent. Prodeat modò ex illis in medium Cloſides, pictor ætate ſua non ignotus, qui ad Reginam Stratonicen ſe contulit, eique artis ſuæ induſtriam pollicitus eſt. Illa autem ipſum contemnens, nullo honore virum dignabatur. Artifex indignatus, voluptatem ſub Reginæ imagine quaſi ſpirantem pinxit, quæ cum piſcatore quodam luderet, faciem exprimente cujusdam piſcatoris, quem mutuo Reginæ amore teneri, manifeſtus rumor erat. Eam pictor tabulam noctu, in Epheſi portu, ſuſpendit, atque confeſtim velis raptus abiit. Quid hic Regina: rem diſſimulans, tabulam tolli prohibuit, quamvis utriusque ſimilitudo ita appareret, ut ab omnibus facilè dignoſceretur, graviſſima interim pœnitentia ducta quod digno loconobilem pictorem non habuiſſet. Cloſides ergo pictor ſine reprehenſione vindicavit hanc injuriam: quid Marcius noſter debuit? non peregrinus, ut Cloſides; ſed civis optimus: non pictor; ſed patriæ pater & bellator fortiſſimus: non contemptus ſolùm; verum inſuper exſilio damnatus miſerrimo, quod potiorem plerumque ejicientibus miſeriam affert. Teſtes ſunt, præter antiquas, recentiores hiſtoriæ. Ut unam ſaltem ex plurimis afferam, nonne Tigurini optima-

optimates, civitatibus pulſi, amicorum & ſociorum copiis & opibus, patriam obſederunt? optimo quidem omine; quia non injuſtè? Quid ergo Coriolanus tantum vapulat? Cur injuſtus bellator audit? quid adeò invehuntur in hoc bellum Romani, aut qui ſtant ab illorum partibus? Dicam equidem, quod vix quisquam credat: profuit, profuit hoc bellum Romanis omnibus! Ut aſpera licet medicina, corpus tamen à pravis purgat humoribus: Ita bellum iſtud Rempublicam Romanam, vario vitiorum genere tumentem, emendavit. Morbo Romani laborabant deſperatiſſimo, qui vulgò ſuperbiæ nomine venit, & ex feliciſſimo rerum omnium ſucceſſu naſcitur. FELICITAS enim rara bonæ mentis ſocia, ſocia quidem illis adfuit; ſed infida & in multis faſtum generavit, qui, ut ut nihil, præter, ſplendidam miſeriam in populo circumferentes, viros quoque præ ſe benè meritos deſpiciebant. TAM raræ felicitatis eſt, felicitate non corrumpi! Luxuriabant animi rebus undiquaque ſecundis. Nihili faciebant leges. Memmiam negligebant, calumniatores & quadruplatores: Fanniam explodebant luxurioſi: Falcidiam transgrediebantur virtutum oſores: Cæcilium nihili faciebant. Non gradu; ſed præcipiti curſu, à virtute deſcitum, ad vitia transcurſum, vetus diſciplina deſerta, nova ſenſim inducta eſt. Surgebant occultæ factiones & diſſidiorum tentamenta: quisque ſibi in plau-

su placebat & ambitu; non amplius patriæ; non publico bono; sed sibi laborabant. Hoc malum, si non penitùs exegit, plurimum tamen, ultore ferro, confregit Coriolanus, & imprimis sanctã Senatûs autoritatem asseruit, ne ita vilis posthac plebi esset. Cum enim unius Senatoris patricii secessione tantam cladem Reip. accidere videret, aliter fovendos, aliter tractandos discebant illos, quorum dignitate Reip. majestas nititur, quorũ humeris, velut atlantũ quorundã universæ patriæ moles incumbit. Ab Historicis memoriæ proditũ est, nullam gentẽ magistratũ suum majore observantia coluisse, quam Persas. Erat apud illos vel lege, vel more sancitũ, ne quis adiret superiores sine aliquo numere, quemadmodum nefas est, accedere ad altare sine donario. Rectè & religiosè. Sic enim eos, QUI in terris divinâ vice funguntur, divino quoq; ritu atq; honore communicârunt. Et quid aliud Senatus in Republicâ benè constituta est quàm angustum caput ? quid aliud subditi, quam corpus reliquum ? Præesse ergo caput ; subesse corpus oportet; illud regere ; hoc regi : Secus si fit, tunc natura decens hominis & status, & ordo evertitur. Hoc cum probè intelligeret Coriolanus, insigniter libidinem plebejorum hominum hoc bello domuit, ne posthac ita patientiâ Senatus abuterentur. Sicut si lampadem lacui, in quo ranæ tumultuantur, appenderis, repentino ejus fulgore percussæ obmutescunt: ita Coriolanus in orbe virtutis

suæ & fortunæ facem, in alia etiam urbe & apud Volscos lucentem, appendit, atque istis patriæ suæ ranis (liceat sic loqui de improbos civibus,) tantum terrorem attulit, ut inter sacrum & saxa versantes, vix auderent mutire. Proh Deum atque hominum fidem ! quàm modestos fecit illos belli hujus felicitas ? magnum enim metum & terrorem illis cum exercitu suo, Coriolanus intulit. Videte modò, A. & æstimate commoda ! Martius Senatui conciliavit reverentiam; docuit plebem obedientiam: reduxit mutuam benevolentiam: quid ergo reprehenditur vir, etiam ubi pessimus videtur, optimus ? sed clariùs fortassis equi ! egerit sanæ: DURIS ejusmodi nodis non nisi durum quærendum esse cuneum rectè putavit, & feliciter adhibuit. O malum longè utilissimum ! O bellum non tam excusandum prudentibus hominibus, quàm laudandum ! Quid hominibus dico ? Ipsi Dii (ethnici scriptoris verba sunt) satis ostenderunt, displicere: sibi plebis Romanæ impetum, placere in Coriolano vindicandi studium. Eo certè anno urbs multis Divinitus territa ostentis fuit: nam & spectrorum insolitæ facies multis obversatæ sunt, exauditæ voces nemine apparente, qui loqueretur, hominumq; ac pecudum fœtus à naturali forma in planè monstrosas, ac terribiles species degenerarunt, imò, multis alibi in locis edita miracula, visu & auditu terribilia. Hæc nihil boni portendisse tam vulgatum provocatumque est, ut, qui non

sentit, exinde sentire possit, quod Coriolanus alacrior semper assurrexerit, ut palma, quæ vividieri amœnitate reploresçit: lucidior apparuerit, ut incitatus ignis, qui totis flammis emicat. Certè omnia in pœnam Romanorum, quam ejectione civis optimi promeruêre, illatione belli senserunt, cujus gloriæ. Numen cælestium faviſſe, eventus, rerum futurarum arbiter, satis superque edocuit. Nam si innocentiæ conscientia ordines non duxisset, omnis moles tantò fœdiùs corruisset, quantò celsius assurrexerat. Sed militabat illi æther: arma, quæ tam justo sumpserat titulo, non nisi prospero exitu terminabat. Terminabat autem ita, ut illa ipsa tecta, quibus ejectus erat turpiter, illi ipsi hostes, qui miserum prostennere laborarant, assurgerent ipsi, atque offerrent amicitiam, honores, obsequia, omnia ad optabile ejus propositum effecturi. SIC, sic bona causa triumfat!

Macte igitur hac virtute tuâ, macte masculâ virtute suâ, Coriolane clarissime! macte laudibus tuis! Tu verè ostendisti, quomodo amantes redamandi: quomodo, qui in hostes transeunt, habendi sint. Magnanimo leoni similis, qui superbos contundere atque confundere, demissis parcere distinctim solet. Idcirco, ne clementia patientissima & patientia clementissima ex virtute tuâ in te despectum pateretur, aut nimiæ lenitatis induceretur larva, justum omnino exseruisti Zelum, justus patriæ

patriæ ingratitudinis ultor & vindex. Tu, benignioris clementiæ fato, publicam barbariei flammam evadens, rigidas atque refractarias civium tuorum mentes, non inutili porcussisti dolore: tumefactos fædâ tympanitide animos repressisti, & insanum arrogantiæ spiritum, severitatis freno, glorioſe coërcuisti, ut intra modestiæ cancellos, inanem gloriæ pruritum reprimerent, nec tam improbè posthac Senatûs autoritatem calcarent. Certè, sicut ventus, si in aëre aperto erret, libertate illâ perit ac diffunditur; sin in terræ penetralibus cohibeatur, ipsam moves ac vi evadit: ita tu, Coriolane omni titulorum pompâ major, cui generosus ille sanguis in præcordiis concaluit, ne in sinu patriæ corrumpereris, ejectus ab ingrata matre, in turbas, in arma hostium, pleno spiritu, ad æternitatem perrumpere, ipsa spectante invidia, quam ire maluisti. Age nunc, triumfa & lætare, Marci, vera Martis suboles ac tradux magnanimitatis de inimicis tuis! Vera Martis suboles ac tradux magnanimitatis, age nunc triumfa & lætare de virtutum inimicis, qui, dum perdere te laborarunt periissent sanè, nisi armis tuis ita periissent!

CORIOLANI PARRICIDIVM. ORATIO

INter alia historiarum miracula, quæ veteres æternitati, scriptis suis, dedicarunt, non postremum illud, est, de Crœsi, Lydorum Regis, filio, quod, cum unus è Persarum numero, ignarus Viri, in ipsius cædem rueret, veluti oblitus, quid nascenti sibi natura denegasset, illicet è muto vocalis factus sit, & proclamarit! O Homo, ne Crœsum perimas! Quis hîc non animadvertit opus pietatis singulariter mirabile, quantum ea valeat, quam feliciter, vel loquendi usu destitutum, ad protegendam parentis incolumitatem instruere possit? adeo sane, ut omnes haut immeritò in admirationem rapiat. Quod si mutum illum pietas, ad defendendum patrem, liberavit à malo congenito, ut hostem à cæde, sola voce armata veluti manu, fortiter propulsaret, & pœne jam impressum jugulo mucronem revocaret, quid ni eadem & me, ad asserendam patriam, animet, elinguem licet quodammodo, hoc est ab eloquentiæ præsidiis destitutum, ut Coriolanum aliquem, aut geminum, ejus patronum, masculè, inclamem: O Homo, ne patriam perimas!

rimas! PATRIA enim omnia honoris & amoris nomina meretur præ omnibus, cujus, Majestati etiam illa, (ut loquar cum Valerio Max.) illa etiam, quæ Deorum numinibus æquatur, autoritas parentum vires suas subjecit, omnis alia Caritas libenter cedit, summa quidem cum ratione, quam impendio salutis suæ testatisunt plurimi. Quæ cum ita sint, neminem mihi vitio versurum arbitror, quod, urgentem pietatis stimulum sentiens, adversus pessimos Coriolani conatus prodeam in publicum. Tametsi enim illo Eloquentiæ robore, ornatus non sim, quo Majestatem, patriæ asserere, intentos jugulo ejus allatorum argumentorum mucrones avertere, & in gravissimo argumento versari dignè possim, vel ipsa tamen PIETAS, quæ muto linguæ usum restituit, tantis me animabit viribus, ut, in bona causa, pauca; sed ex veritatis schola pro lata, contra belli Coriolani vindicem, cum Vestro prolubio, asseram! Eò confidentius, quò certiùs equidem scio, Vos omnes patriæ amantissimos, qualia cunque, modò pro Patria, dicantur, benignissimo favoris affectu probaturos. DE amatis enim rebus loquentes nemo unquam, nisi benevolè cupidis & cupidè benevolis auribus, auscultavit.

Illustre pietatis in parentes, & in patriam, documentum bruta quoque exhibere animantia, sagaciores rerum scrutatores, in Ciro-

niis, obſervant : illæ enim cum parentes pennas, ſenio coquente, laxaverunt, nec ad cibos ſibi quærendos ampliùs ſunt idonei, ſuis plumis genitorum membra refovent, eſcis laſſa corpora reficiunt, &, donec in vigorem priſtinum ales grandæva redierit, pia viciſſitudine juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli ſuſceperunt. Nimirum, PRIMA & optata pietatis magiſtra natura eſt. Hæc nullo vocis miniſterio multo uſu literarum indigens, tacitis viribus parentum, & patriæ caritatem non hominibus tantùm ; ſed brutis quoque animantibus infudit : hæc neceſſitatem quandam gratitudinis in terram, quæ genuit nos, indidit. Quis ergo non miretur auſus ejusmodi titanicos, quibus unquam oppugnari poſſe patriam, aliqui ſtatuunt Marcius Coriolanus, ut ut aliis in bellis laudes ſit meritus, in poſtremo tamen omnes illas, detestabili impietate, fœdavit. Arma ſumſit in patriam, arma in Patriam Romam. Quis credat, VIROS magnos ita nonnunquam à ſeipſis abire, ut vix eosdem agnoſcas ? Ubi hîc naturæ in eo ſtimulus ? ubi commune humanitatis conſultum : PATRIAM ne lædite ? Impiæ omnino manûs ſint oportet, quæ in patriam ruunt, ut vox divini Platonis, meritò vox ſit omnium gentium : VI, ait ille, nefas eſt uti vel contra Matrem, vel contra Patrem, minimè verò omnium contra Patriam. Quod ſi penitus rimemur ortum belliiſtius, quod in Patriam ſuſcitavit Marcius, unde

unde profluxit, niſi ex ambitione ejus, vitio veneficio ? Nimirum, teſte Dionyſio, ſummos patriæ honores ambiit : ſpe illorum excidens, tantas turbas movit, tantas in patriam iras aluit, & evomuit. Hinc illæ lacrumæ ! illæ miſeriæ ! O egregiam verò belli hujus originem ! O fontem ſalutarem ſcilicet ! ex quo nonniſi damna Reipublicæ graviſſima, nonniſi, factionum variarum rivi tunc temporis, pleno impetu manarunt. Ubi, hîc gratitudo in patriam ? ubi amor ? ubi Pietas ? ubi honor ? Ubi reverentia ? EA eſt ambitionis indoles, ut penitus excæcet homines, ne quisquam eorum, quæ honeſta ſunt, aut decentia videant. Sed inſigne fortaſſis commodum in Patriæ impugnationem Coriolanum compulit, cujus intuitu tantoperè in eandem invectus eſt ? Nullum certè, niſi quod ſibi finxit iratus animus. Carendum ipſi fuit Cariſſimis familiaribus, matre miſera, cui pro partu, pro educatione, cæterisque, ejus nomine devoratis, meleſtiis indignam materni affectibus referebat gratiam. Carendum fuit, Conjuge dulciſſimâ, quæ miſero illius deſiderio, in viduitate ſola deſidens, dies noctesque virò deplorabat exſilium. Carendum fuit, duobus filiis, qui, cum egregiis nati fuiſſent progenitoribus, fructus ex honoribus parentis dedebant percipere, &, in patria, fortunata, florere gloriâ. Horum omnium calamitoſos & miſeros maluit ſpectare interitus, quàm bellum intermittere. Non ſubiit ambitioſam

mentem cogitatio : Ecce, meos ibi habeo! Si admovere iratas manus patriæ, quis parcet meis, ubi timebit propriis ? Fædis in eos tormentis, immanibus cruciatibus, omni denique contumeliarum genere desævient exasperati suis calamitatibus. Quis tantorum erit malorum causa? Desistendum ergo à belli præposito, quod meos potest perdere & me ipsum : parcendum patriæ, ut parcatur meis. Sed non subiit ut dixi, ambitiosam mentem talis cogitatio. Neque mirum hoc ! QUI enim pietatem in patriam exuit, quæ omnes caritates complectitur quomodo amorem filii in matrem, mariti in uxorem, parentis in liberos retineat? Laudabilius equidem egisset, postquam in patria, obstantibus sine dubio fatis, ad summum dignitatis & honoris fastigium pervenire non poterat, si fortissimorum Virorum institisset vestigiis, qui, non minùs à patria posthabiti, imò expulsi quoque, maluerunt tamen privatam alibi & sedatam vitam degere, quàm patriam irato animo invadere. Fecit hoc Tarquinius Collatinus; at quantus vir ! qui, cum primus, Cives à Tyrannide libera vit apud populum tamen, sine sua traductus cul pa, & è patria ejectus non recondidit iram, nec cum Tyrannis arma, intulit ingratis civibus ; sed Lavinium se contulit, ibique vitæ reli quum, nihilo patriæ iniquior, exegit. Quid de Camillo, Romanorum. Dictatore & servatore, dicam ? Stupenda fuit magnanimi Viri mode

moderatio. Cum enim inimicorum invidia ejectus esset in exsilium, non se Gallis in Romanos Ducem, ut hic Coriolanus Volscis præbuit ; sed, sui tantùm desiderium imprecatus civibus, expectavit occasionem, qua summam injuriam non inferiori rependeret beneficio. Et rependit sanè, patriæ salutem asserens, quæ tamen in ipsum fuerat iniquissima. Macte isthac pietatis gloria, Camille optime ! macte insigni laude mansuetudinis ! Tu facem præfers omnibus, qui injustam fortè patriæ iram sentiunr, quo pacto benefacta injuriis opponere, & patriæ amorem, amorem à Deo inditum, amorem à natura, constitutum, amorem commendatum ab omnibus invictum, immobilem, obligatum ubique retinere debeant! Et hunc sequi decebat Coriolanum potiùs, quàm patriæ; quid patriæ ? Imò honestati ipsi bellum indicere. Romanus fuit; sed non ex illis fuit, qui præsentem maluerunt mortem eligere, quàm publicum patriæ bonum impedire, quid dicam evertere? Habuit hæc Urbs, urbium domina, suos Brutos, habuit Curtios, habuit Genucios, Scipiones, illustria ob pietatem nomina : Quis horum indignatus est unquam patriæ ? quis non omnia gratæ & devotæ mentis munera exhibuit ? Certè, graviter censet Patrum Latinorum augustissimus, Augustinus, PRIMUM inter Romanorum virtutes

virtutes locum mereri amorem patriæ, quem viri optimi semper illibatum servârunt. Quibus igitur Coriolanus noster annumerandus, quo nomine notandus erit? Dum hæc dico, dum à Romanis optimis Coriolanum segrego, vereor equidem, nè indignationem fortassis in curram prædecessoris mei, qui, serione an joco? non facilè dixerim, tanto sermonis fervore Coriolani causam egit, ac si non tantùm veniâ; sed & laude dignus sit. Quis sibi facilè persuadeat, ista sibi quempiam persuadere posse de armis Marcii, aut aliis in patriam? Exinde scilicet ignoscimus, MILLIUS causæ tantam esse fragilitatem, cui non fautor aliquis tibicines supponere laboret. Qualis autem illi sunt in præsenti? Tales sunt, quales causa. Vindicandi studium honestatis speciem induit. Quis non exclamet cum Catone: JAM dudum vera rerum nomina amisimus! Vitia virtutis schemate velata & nomine prodeunt in publicum. Sit hoc naturâ nobis inditum, ut læsus ei, qui læsit, infensus sit; sed quid hoc ad Coriolanum, qui neque sano perpendit judicio, in quos vindictam exercere debeat, neque noxios distinxit & innoxios, movens leges naturæ immobiles? Quid in eum major pars senatus deliquerat: quid feminæ? pueri? infontes cives? Deorum sacra quid peccarant in Coriolanum, quibus tamen sine discrimine omnibus hostilitèr imminebant? Rectè ad eum & cordatè Minucius; INDIGNUM virò arbitror, cui quantulacunq;

lacunq; virtutis cura est vel amicos cum inimicis confundere, vel eos, qui aliquid in ipsum delinquunt, implacabili irâ prosequi. Nescivit sanè, aut malitia abreptus nescire voluit, PRIVATAS injurias condonandas esse bono patriæ: nescivit, QUANTO satius esset, sanare injuriam, quam ulcisci: nescivit, BONUM publicum semper præferendum esse privato, quod Scipio, quod Camillus, quod alii olim laudatissimi, exemplis suis, docuerunt: nescivit, UTI vitia parentum: ita & delicta patriæ ferenda esse: nescivit, QUOD amandi quidem sint alii benefactores; sed omnium amores una complectatur patria: nescivit, QUOD contra patriam nemo usquam diligendus: nescivit, QUOD beneficio non afficiendus; sed damnandus sit ille, qui patriæ damnum infert: nescivit denique, quod illud nec honestum, nec utile sit, quod pietatem convellit. Adesdum Epaminonda, Imperator ex Græcia, & nostrum Imperatorem melius factis tuis informa! Cum enim Diomedon, rogatu Artaxerxis, te pecunia corrumpendum suscepisset, & magno cum pondere auri veniens Thebas, adventus causam ostendisset: Nihil ajebas, nihil opus est pecunia! nam si ea Rex vult, quæ Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus: sin à contraria, non habet auri atque argenti satis: namque orbis totius Divitias accipere nolo, pro patriæ caritate. O responsum omni commendatione superius! Magnum acciperat quidem

dem à Volscis Coriolanus beneficium, majus
tamen à patria, deducendus ad brutas aves,
perdices nominant, de quibus naturæ consul-
ti, quod ova perdita, per alterius matris dam-
na, sarcire soleant, ut, adoptione alienæ sobo-
lis, incommoda suæ reparent orbitatis ; sed
mox, ubi pulli in campos exeunt cum nutrice,
atque à materna voce fuerint commoniti ovo-
rum potius suorum genetricem petunt, quam
ut ab aliis educentur. Quid ergo Coriola-
nus facere debuisset, quando & hanc pietatem
avibus inesse cognoscit ? Sed inevitabili ne-
cessitate impulsus fuisse ad arma dicitur. Di-
citur certè ? Sed unde firmiter probatur ? An
non potuisset alibi commode privata quiete
frui, illorum exemplo, de quibus supra dixi-
mus ? Quid ? quod nondum didicerit Corio-
lanus, quam DULCE & decorum sit pro pa-
tria mori, cum illam ipsam veluti mori, hoc est
funditus interire optaverit, modò sibi apud
Volscos bene esset. O factum pessimum. Fa-
ctum omnibus modis abominandum ! Præsti-
tisset, cum laude mortem oppetere, quam ita
turpiter vivere. Si quid in te malè fecerit pater
tuus, tunc statim vindicandum censes ? imò be-
neficium reponendum est. Si quid patria in Co-
riolanum, quod non diffitetur, deliquit, annu-
eâdem patientia ferendum, quippe cui sanctè
astricti sumus, quàm ipsis parentibus ? DENI-
GATI in patria honores, neminem ad impie-
tem adigere debent, alias medicina morbo ip-
long

longè est deterior: QUIS prudens malum malo
corrigit, & quidē tanto ? In parricidio nullæ sa-
tis justæ causæ, ad sceleris patrocin. prætexi pos-
sunt. DELATI etiā, honores neminē inflectere
eò debent, ut patriæ libertatē, jura, commoda,
prosperitatē & salutē negligāt, quid dicam in-
vadat ? hoc si cuiquā dubiū est, prodeant in me-
diū duo illi Juvenes, gente ac mente nobilis. Si-
dones, qui oblatū sibi ab Hephæst. regnū, amo-
re legū patriarū, rejecerunt. Laudat eos Curti⁹,
& fusè rem gestā describit, subjiciens: Hephæs.
quoq; admiratū esse pietatē juvenū, & magni-
tudinē animi, PATRIÆ amore, spernentis, ꝙ
alii per ignes ferrumq; peterent. Prodeat Ferdi.
Arragoniæ & Siciliæ Rex, qui, cum ab omnibus
Rex vocaretur, constanter abnuit, jura patriæ
observ. & privatim vivere præoptans bona con-
scientia, quam jura patriæ, assumpto Regis ti-
tulo, temerare : fratris filium è Chlamyde po-
tiùs extulit, & prima veneratione Regem vo-
cavit & coluit. O piam modestiam ! O mode-
stam pietatem ? QUID pulcrius, quàm ita,
suis virtutibus illustrare alios, ut nihil inde
splendoris mutueris, præter famam pietatis
nobilissimam, quæ splendor optimus ? Ve-
rum enim verò jam accedit argumentum lau-
dis robustissimum : utile nimirum dicitur fu-
isse bellum istud ? quibus verò ? nonnisi Vols-
cis, si modò & iis utile fuit multa tum à Ro-
manis rapere, quæ, cum dolore, postmodum
restitue-

restituerent. Superius nos commoda enarravimus alia, quod inde Matricida dictus Coriolanus, quod filiorum interfector, uxoris pernities, patriæ malus, nec ad sacra, nec ad lubamina, nec ad larem domesticum ullum admittendus fuerit: hæc vera fuerunt in Coriolanum commoda incommodissima; si quæ talia videntur alia, videntur tantùm. Si profuit Romanis bellum, præter mentem inferentis profuit: alia quoque mala contra naturam suam exerrant in melius. Ita febres videmus corpus ad temperiem redigere, ita bella videmus Rempublicam à malis hominibus purgare. Si cui ergo febres inde placent perpetuas sibi eligat. Quis hîc repugnet vel ipsi Coriolano, qui patriæ febrem scilicet exhibere se voluit, ut à male constitutis à malis moribus purgaret. Sed quis hoc parentibus sine grandi impietatis nota faceret? Et quis hoc ipsi jus dederat, uti contra Religionem Civilis sacramenti, contra divina & humana jura, patriam hostilibus armis in ordinem cogeret: Cajum Trojanum atrocitate parricidii omne crimen superasse, refert Historicus, qui patris sui, à Triumviris proscripti latebras, ætatem notasq; corporis, quibus cognosci posset, persequentibus centurionibus, ediderit: Quid de illis judicabimus, qui, cum Coriolano, omnia sacrata, patriæ, omnia jura, omnem salutem produnt infestantibus? Nonne parricidii vel maximè accusandi veniunt. O Caput criminum, quotquot

quotquot esse possunt tristissimum! Quanta hic ingratitudo? quanta impietas? NULLA certè major est, quam si liberi insurgant contra parentes, si vita suo autori bellum moveat, si beneficia in necem benefactoris, cives in malum patriæ, scelestè obvertantur. QUIS quæso unquam patriæ, impunè vim fecit? Nemesin vindicem intergo sentiunt, qui patriæ vim inferunt: statim facinora tam abominanda flagellantur à carnifice conscientia, perpetua illos urget & verberat anxietas, miserè plerunque pereunt, qui ita perire patriam voluerunt. Testis sit vel ipse Coriolanus, qui miserabiliter à Volscis ipsis trucidatus, dignam ejusmodi hominibus pœnam sustinuit. Et quomodo felicem obitum sperare potuit, qui multiplicis infelicitatis causa patriæ exstiterat? Beneficium est, parentum manibus puniri: Supplicium ab alienis trahi ad supplicia, quod & hîc Coriolano accidit, supplicium eò gravius, quò minus, erat de Volscis meritus. Sed meritus tamen à Deo, impietatis hujus vindice acerrimo, cujus manus non evadunt, qui evadarunt omnia. Concessit quidem Coriolano victorias; sed ut impia, illius manu punirentur cives improbi, ut malis istis revocarentur ad frugem, qui in Republica Romana bonos mores deseruerant. Sed quid hoc facit ad excusandum bellum istud? quid ad psalliandum scelus Coriolani? Aut quid istud etiam, quod prodigia hinc inde, circa tempora instantis belli,

visa sunt? Certè, si quid facit huc, non ad commendandam Coriolani impietatem facit; sed ad significandam atrocitatem ejus ineffabilem. Quanta contigêre, & quàm stupenda prodigia, cum Nero, monstrum hominis, de inferendâ morte matri suæ, coqueret consilia? Quo signo autem contigerunt? ut gravissimum scelus aggentaritoti mundo manifestum fieret. Appolutum certè, fuit illud præ multis, quod mulier quædam anguem in Italia enixa est. Nimirum, sicut Viperam non nasci tradunt Veteres Philologi, citra parentis interitum? Ita NEC illi vitam habent, qui vel parentibus manus inferunt impias, vel patriæ, nisi ad tollendam eorum vitam, unde suam acceperunt: O viperinam ergo progeniem, sive Neronem, sive Coriolanum appellare malis! Quid est, Auditores; quod ad devovendum tantum facinus sacer esse possit? Eat modo Marcii defensor, aburatur honestatis titulo, ad designandum facinus pessimum! jactet necessitatis imperium, quod nullum fuit, nullum potuit esse aut debuit ad convellenda jura omnia? Commoda ex hoc bello nata aliis offerat incommodissima, ericisque priùs, persuadeat, Deos vindices malorum assertores eorundem esse! Christianis cogitare quidem hoc licet de Deo, qui de parentum, quid dicam de patriæ? cultu præstantiado, tam est in verbo suo sollicitus Just. Justum est judicium: In parricidio nulla satis justa causa, ad sceleris patrocinium, prætexi potest.

Quod ergo reliquum, Nos Commilitones optatissimi, nos, qui in spem patriæ felicissimæ, ad gloriam nostrorum, ad laudem omnigenæ Virtutis educamur à patria, Matre nostra de nobis omnibus bene merentissima, nos cautiùs discamus agere & honestiùs, intimis circumferentes animis patriæ amorem, patriæ cultum, patriæ gloriam. RELINQUI quidem potest aliquando: oppugnari non potest unquam. Sancta est & Venerabilis. Omnes ea charitates complectitur, nulla uspiam fortuna patriæ nobis amorem exuat; Deus est qui eundem nobis indidit: natura etiam in brutis ostendit: Honestatis ratio imperat: omnia clamant: IMPROBITATIS quoddam quasi compendium esse, patriam suam, matrem & nutricem suam, animis, quid dicam manibus aut armis? cum Coriolano impugnare.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

NOVA SAPIENTIA.

HÆc enim proponenda nobis est, ut plures audiant. NOVITAS *rebus admirationem conciliat, vetera quæ sunt, & ante pedes posita, quis suspicit? sive quod langueſcunt desideria, cum diu quid tractavimus, sive quod tractare fastidimus,*

quod, quoties placuerit, possumus. Quicquid hu-
jus sit, nemo ex seipso non intelligit, quam natura sit
nova magis æstimare, quam magna. Novam ergo
sapientiam proponimus; sed, bone Deus! quam an-
tiquam? Nec enim sibi quis persuadeat, eum novi
eam fortè Bibliopolis ad nos delatam, aut sub Bata-
vorum nuper Germanorum ve prelis natam esse. Fuit
antequam ullum prelum vel Harlemi fuit, vel Mo-
guntiæ. Vtraq; enim harum civitatum laudem sibi
adinventæ Typographiæ arrogat; neutra meretur.
Fuit, antequam ullus Bibliopola fuit, quia tot ab hinc
seculis, ante natum mundi Salvatorem, fuit. Sanè
in quorum cunis primò omnium vagierit, nec opus
est, inquirere, nec vacat. Romæ primum extulisse
caput videtur, cum per illius ex Macedonia Legatos
Senatui innotesceret. Referebant isti, quam vera
sutâ simulatione, quam callidâ dissimulatione, Rex
Perseo illuserint. Quid ad hæc veteres, & mo-
antiqui memores? negabant, se in ea legatione ar-
Romanas agnoscere: minùs illis NOVA hæc placa-
bat SAPIENTIA. Sic enim Patavina Siren lo-
quitur, &, quid monstri alat nova ista hæc sapientia
innuit. Nimirum, nihil est aliud, quam simulandi
dissimulandique peritia: hæc tanto pejùs olim Roma
audiit, quanto postmodum solertiùs exculta fuit.
Vtinam ad honestatis semper legem! sed, UT nihil
aliàs tam manifestæ est utilitatis, quod non in con-
trarium culpa transferat: sic ista quoq; sapientia
calliditatem demum, à sapientia non minùs, quàm
ab honestate alienam, mutata est. Quis credat, vi-
ros etiam sapientissimos ad illius hæsisse mysteria

ex quibus alicubi C. Martius ad Ciceronem: Non
agam astutè, inquit: fatror, me ad istum gradum
sapientiæ non perveniſſe. Sed O gradum istum per-
ditissimum! gradum præcipitio proximum! gra-
dum, ex quo tandem ipse Tullius; at quantus Vir?
quem populus Rom. solum habuit parem imperio
suo, in exsilium, in miserias, in mortem miserabi-
lem projectus est! Quò ergo locò ipsa nova sapientia,
aut saltem melior ejusdem pars, habenda erit? Non
una hîc civilium Doctorum est sententia: Alij Dissi-
mulationem actionibus plus damni: alij plus com-
modi afferre judicant. Et certè, si candore solò o-
mnia consisterent, quàm grata esset? quàm jucunda
vita hominum? nullò opus esset animi velariò: pro-
tinùs orationi credi, rationi cedi posset. Sed alia
est hominum de hominibus querela: alia hominum
inter homines praxis. NIHIL illis tam proprium
est, quam fallere & falli. Videmus multos qui,
dum nocere volunt, blandi sunt; sed ut noceant fa-
cilius: multos, qui amorem offerunt; sed ut tur-
bent odiis: multos, qui laudes ingerunt; sed ut con-
temtum generent. Nonne peccaret hîc in semet-
ipsum, qui, fidendò facilis, à stupido candore lau-
dem ambiret, nihilq; dissimularet? Quinimo,
MULTA audienda surdâ aure: multa obvolutis
videnda oculis: multa probè cognita nescienda sunt,
ut audire, videre, scire rectius liceat. Dissimu-
landum est! Fruſtra furum metu arcas obseras &
scrinia: animus dissimulatione providâ tegendus
est, ut ex improviso agas, si quid agas, nec in damna
tua hostes excites. Salutis tuæ fures sunt: lynceos

ex sertant oculos in actiones tuas & consilia: BENE regere hæc poteris, si bene tegere poteris. Non proeessum vides? salvare est! adhuc tecta commodè mutari possunt. aliâ ergo insisse viâ, lentè movens, ut citiùs scopum tangas. Iniuriæ, odia, rixæ intercurrunt? dissimula, patere, obsequiis demulce: vel amici fient hoc modô, vel inimici erunt mitiùs inimici tui: præsentius remedium vix invenies: vix medium ad indagandas aliorum mentes aptius. Dissimulatio clavis animorum est, ab imperantibus etiam hoc fine usurpata, cum nulla alia supperetet. Quis ergo istam novæ sapientiæ partem damnet penitus? modò salvâ fide integrâq; dignitate usurpetur. has enim sepes Furius Camillus veræ posuit victoriæ nos novæ sapientiæ. SALVA fide fieri oportet. Viris probis omnia: hæc fundus est, hæc gluten actionum omnium, de cuius laude si periclitatur quippiam, quanto est in periculo? non minori certè quam si de integra dignitate. Vtraq; sarta tecta servanda viro Politico; utraq; tamen cum Dissimulatione vix commodè consistit. Nimirum SI quis agit omnia in tenebris, aut alios habere pro suspectis, aut suspectus esse ipse creditur. Nemo illi tutam fidem adhibet: par pari refertur: diffidentia diffidentiâ rependitur. Solus inter suas se curas macerat, assiduè seipsum observare, timere alios, pessimô virmiditatis nomine traduci, sub turbida suspicionum mole dicam, an mola? vapulare cogitur. Quid magis fidei sinceritatem fermentet? quid civilem dignitatis integritatem delibet gravius? Revivisce tandem sol & sal optatæ sapientiæ, Socrates, & sapientiam

tiam Dissimulandi; sed turam ab his scopulis, ad normam honestatis explica! Vivum enim simulatorum eius quondam exstitisti, Dissimulatoris appellatione non minùs, quam Socratis cognitus. Sic verè novam nos docebis sapientiam: sic filum exhibebis Ariadnæo etiam commodius, cuius ductu ex mirabili negotiorum Labyrintho salvi evadere, & qualiscunq; Minotauri rabiem feliciter effugere liceat. Interea, ut bona & mala Dissimulationis tempestivè internoscerent Iuvenes Ornatissimi, JOHAN. Wedemeier/ & ANDREAS von Tieffenbrock/ Rigenses, laudabili nuper labore defuncti sunt, ea ipsa eruditis Orationibus delineantes: quas cum d. VI. Iulij, locô usitatô, ex memoria depromturi sint, omnes prudentiæ civilis æstimatores, Summates, infimates, nigros, candidos, simplices, duplices, humiliter humaniterq; oratores velim, ut spectabili suâ præsentiâ declamaturos animare, &, utrum maiora sint Dissimulationis incommoda, quàm commoda, iudicij subactioris lance expendere ne graventur. Inde enim, quid de nova sapientia nobis statuendum sit, determinabimus. Dab. in Museo, d. 29. Iunij, Anno 1648.

DISSIMULATIONIS BENEFICIA.

ORATIO.

CUm Romanæ Gentis terror, Hannibal ad Regem Antiochum divertens, quen-

dam ex umbraticis audisset Philosophis, horas aliquot, de Imperatoris officio, & omni re militari, dissertantem, quærentibus ab eo hospitibus: quidnam de tanto viro ferret judicii? respondit liberè: multos se deliros senes sæpius vidisse; sed qui magis, quam Phormio deliraret, divisse neminem. Dura certè vox, A. sed tamen vera. Quid enim fieri loquacius? quid arrogantius potuit, quàm Hannibali, qui tot annos, cum Victore Orbis Populo, certaverat Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra viderat, præcepta de re Militari tradere? Et ea quidem judicii severitas mihi atque successori meo forsan metuenda quoque est, quod nos, planè adhuc Juvenes, & cum à cæteris rebus satis tenuiter instructi, tum in Civilem rerum notitia penitùs rudes, de necessario earum sive instrumento, sive tegumento, de dissimulatione scilicet, de ejus beneficiis & damnis, audeamus disserere, & quidem in gravissimo Virorum Prudentissimorum consessu, ad quos eum oculorum convertimus aciem, totâ mente, totis, artubus horremus. Si enim ipse Cicero, Eloquentiæ Romanæ lumen, toto se corpore contremiscere, quoties ad dicendum de rebus, licèt perspectissimis, veniret, confessus est, quid nobis animi esse putatis, qui vix à primo limine literas salutavimus; Polliticarum verò rerum tractationem nondum attigimus, & de illis tamen dicturi adsumus? Nimirum, ANTEQUAM suscipiemus aliquid,

quid, Vires nobis explorandæ sunt, & quid valeant humeri, quid ferre recusent; Sed quantillæ sunt vires nostræ? minores profectò, quàm ut materiæ susceptæ onus sustinere possint. Quid ergo faciendum erit? In silendi equidem & dicendi confinio trepidus hæreo! Utinam mihi præsto sit mascula Ciceronis Eloquentia, Civilibus applicanda materiis, ut rectè in susceptо progredi, ut tanto Auditorio digna promere valeam! Sed cum non verbis jam & voto; sed re & facto opus sit, cum voti ipsius successum res jam susceptа anticipet, præsidium mihi petem ex bonitate vestra notissima, quæ toties dicentium ex hoc loco tenuitatem sublevavit, toties erexit timidos, & illos sequar, qui, dum nare discunt, utribus primùm aut juncis subjectis, flumina tentant: Prudentiorum monitis insistam, & autorum operâ infirmitatem meam firmabo, quò, ad exercendum in Oratoria quadantenus ingenium, occasionem capiam. Nec enim Phormionem imitabor, ut de re mihi per ætatem nondum perspecta Prudentissimos viros erudiam: quanta enim hæc esset insania? Sed potiùs mihi persuadebo, (quod Atheneus, præsente Philone, fecisse legitur) vos procul hinc abesse, ut mihi cum Commilitonibus audentiùs, de instrumento actionum Civilium usitatissimo, de dissimulatione, ejusque beneficiis, impræsentiarum colloqui liceat. Quod dum facere agredior, à vobis, A. omnium ordinum & honorum

norum titulis decoratissimi, submissè contendo, ut benevolo silentio timiditatem meam animare, & vociras dissertationi meæ, quanquam ad Commilitones hos directæ, aures præbere ne dedignemini. Quod rerum militarium Consulti, in oppuguatione Urbium versantes, faciunt, ut partim vi apertâ, partim per Cuniculos suum agant negotium: hoc etiam in civili vitâ, atque quotidianâ conversatione fieri consuevit, ut homines partim verbis manifestis actiones suas, partim tectâ dissimulatione pertractent. Sed longè tutius haut dubiè hi, quam illi! Annon enim, dum sua minus cautè vulgant, sua omnia promulgant, tubâ velut adversarios excitant, qui tum nocere multum conabuntur, cum nocere possunt maximè? OPTIME etiam consultum inconsultum est, si inimicis pateat: adversum enim tendunt, ut impediant propositum, ut remoram consilio faciant, ut se, adversus prolata consilia, præparent, aut benè cogitata pessimè interpretentur. Ubique enim fraudes, ubique maledici sunt & mordaces, qui pessimarum linguarum virus in alios spargere, alios fodere, alios rodere mirum quantum delectantur. Sicut navim, impetu ventorum correptam funibus inhibere velle difficillimum, imò impossibile: sic SEMEL intempestivè proditum Sermonem revocare non licet: avolat, & ingentem sæpe post se malorum

lorum tumulum trahit. Videndum igitur, & providendum, ut quàm maximè loquacitatis Scopulos omni ratione, omni consilio, contractis quasi velis, videmus, dissimulationis beneficio salutem nostram probè tutantes. TOTUM Spiritum profert stultus; Sapiens autem reservat aliquid in posterum, scitum est Regis Sapientissimi dictum. Quid est autem, quod in posterum reservat? quod nempe providâ dissimulatione tegit Sapiens, Consiliorum suorum tacitus, ne extra summum necessitatis Imperium, ea facilè propalet. Et ubique sanè hoc est innoxium: secus autem qui faciunt, ipsis brutis anseribus stolidiores esse prope dixerim: hi enim, cum ex Cilicia devolant, & jam monti Tauro, ubi plurimæ reperiuntur aquilæ, appropinquant, Lapillos in ora recipiunt, quibus tanquam frenis stridulam vocem compescere, & profectionem suam cautè dissimulare possint. Quis hic non videt beneficium dissimulationis maximum? TUTOS sanè præstat nos ab aliorum insidiis: tutos in nostris Consiliis: tutos in impetendis aliis, cum, ex adverso, improvida mentis nostræ detectio in multas nos & graves calamitates detrudat. Unde, si quid usquam maxima cura agendum, hoc nusquam agendum est, ut in laxandis linguæ nostræ habenis circumspecti sumus, ne, ad omnia verba concepta effutienda, prona erumpat.

erumpat. MINIMUM hominis instrumentum est; sed usu maximum ut validissimum, instar Clavi alicuius in navi: nisi stolidam illius volubilitatem inhibeamus, facilè nos præcipitare, facilè in gravia conjicere pericula poterit. Quod ergo Princeps Oratorum, ex Epicharmo, sæpius in ore habuit: Nervi atque artûs sunt Sapientiæ, non temerè credere: hoc ipsum ego jure ita usurpavero: Nervi atque artûs sunt Civilis Prudentiæ, non temerè sua prodere. CONSILIA enim tecta, consilia optima: quò Secretiora, eò tutiora sunt. UT in corpore indecora est nuditas: sic etiam in ánimo magnum Consiliorum & factorum decus est, si minus pateant. Sed quid veritati fiet, virtuti divinissimæ, quam Dei filiam dixerunt Ethnici? Nihil ea magis erubescit, quam abscondi; latere nequit sub dissimulationis tegumento, ne mendacio se affinem præbeat, à quo toto cœlo distat. Hoc quidem urgent operosiùs, quam cautiùs, qui nobis obstrepunt, qui, dum veritatis studiosiores, & mendacii osones maximè videri volunt, genuinam veritatis indolem minimè capiunt. Virtutem nominant. Laudo illud; Sed quia virtus est, servabit medium, ex Prudentiæ præscripto undique determinatum. Hæc ergo, pro conditione personarum, locorum, temporum, interdum loqui eam, interdum silere, dissimulare interdum jubebit: hæc promere officiosè veritatem, hæc ingeniosè premere nonnunquam

quam suadebit. Quæ Virtus eam hominibus necessitatem imponat, ut revelent promiscuè omnia, quæ meditantur? quæ acturi sunt? NEMO, sua quoque habere latibula veritatem, neget: imò latet interdum, ut fortiùs prodeat; patet rursum, ut falsitatem & mendacium quasi è latibulo aggrediatur, & superet: suos enim ubique hostes habet, quamobrem & aperto marte, & operto ei depugnandum est. Undiq; circumstant nos delatores & hostes occulti. Quis enim ille Phœnix, qui hostis nulli? cui hostes nulli? Deferunt sæpe nos populares: deferunt coætare: deferunt, qui officio nobis & sanguine juncti sunt: NULLIBI tutiorem nisi in pectore sedem verbum invenit. Si enim sepimenta dentium evaserit, inhiant corvi, insectantur vultorii, rostris petunt picæ garrulæ: quis non premenda magis nostra cogitata, per dissimulationem, quam fatiliter promenda esse censeat, ut ex voto illa possimus exsequi? OPTIMUM sanè fuerit, multa secum, pauca de rebus suis loqui ad alios, nisi eorundem fides exactissimè perspecta sit. Quemadmodum cæcutientibus properandum non est; sed gratu procedendum lentissimo, tentandaque subinde via, ne graviori lapsu ruant; sed commodè referre pedem inhibere progressum suum possint: Ita etiam CONSILIA captantibus, peculiari quâdam animi attentione, providendum est, ne nimium festinent; sed gerendæ rei commoditates

priùs circumspiciant & tentent. CÆCUTIT enim mens nostra in consiliis. Quid dico, cæcutire illam? Plerumque ex insito naturæ vitio planè cæca est: lentè illi progrediendum in tot rerum salubris: Deliberandum diu, quod statuendum est semel. Sed hoc ipsum quomodo sine dissimulatione honestè præstare possumus? Certè, si quis animi sui propositum dissimulat, ubi minùs illud successurum videt ex Sententia, facilè referre pedem, facilè, se absque læsione famæ, absque existimationis jacturâ, de negotio subducere, animumque ab instituto revocare potest. Si autem promulgavit illud, si delexit animum, manifestâ declaratione se obstrinxit, impactisque quasi Cuneis in clusus tenetur, ut vel pergendum ei magno sæpe cum incommodo, vel turpiter, non sine famæ dispendio, à proposito aliis cognito desistendum sit. Quanta, in tempestivis negotiorum auspiciis, apparet sapientia? NIHIL autem ea magis commendat, quàm circumspecta cunctatio, nihil magis turpat, quam improvida præcipitantia, quæ salubrium Consiliorum fructûs perdit, errores contra ac terrores parit, quos magnæ pœnæ, magnæ calamitates vel comitantur, vel sequuntur. Hinc est, quod augustissimus Romanorum Imperator, Augustus, crebrò in Consiliis jactavit illud suum: FESTINA lentè: sat cito, si sat benè, cum duæ res præcipuè bonis adversentur Consiliis: Ira & festinatio: utraque erumpit statim, nec cogitata dissimulat, ut cognoscat priùs, quo successu vel persequi ea, vel intermittere debeat. Ut periti venatores, feram petituri, non seipsos tantùm abscondunt; sed situ quoque cavent, ne odor pulveris pyrii ad feram ventò deferatur. Si viderint, obtineri prædam posse, ocius emittunt diu præparatum ad hoc globum suum; sin inter currat aliquid, occasionem meliorem captaturi, tacitè recedunt. Quid enim frustra libremt? Haud aliter SAGACES rerum agendarum curatores, intendentes, suas cogitationes aliquò, abscondunt se caventque, ne quid sibi vel per iram, vel per jactantiam excidat. Collineant aliquantum: Si vident, opportunum esse, cogitata in facta verrere, vertunt subitò; sin minùs, intacto recedunt latere, & aliò conatus suos destinant. Feliciter utique! ita enim præsentia ordinare & disponere, futura, tanquam ex specula, prospicere, omnia ex voto ex sequi possunt. Quid? quod non rarò vertunt propposítum, tenduntque in contrarium retia, dissimulando in eos conjicientes, qui posuerant.

CIRCUMRETIT enim vis atque injuria quemque
Atq; unde exorta est, ad eum plerumq; revertit, ut cum Poëta loquar. Nihil eò usitatius in strategematis bellicis. Plenę sunt templorum historiæ, & dissimulationis beneficium ostendunt, quâ versatissimus quoq; Chartaginensiũ Dux, Hanni-

Hannibal, in paratam à se foveam incidit. Postquam enim Marcellum, Imperatorem Romanum, insidiis intercepisset, annuloque ejus cum corpore potitus esset, Marcelli nomine scriptas, ejusque signo obsignatas literas, misit ad Salapianos, sequenti se nocte venturum indicans: parati in præsidio milites essent, si quò fortassis operâ eorum opus esset. Crispinus, alter Consul, ad quem jam, de occiso Marcello, fama manaverat, monet tacitè Salapiæ primores; dissimulent modò fraudis Punicæ notitiam, promptos se paratosq; esse ostendant; Circa Portam interim, quâ venturum Hannibalem putent, quod urboris in præsidio erat, opponant, oppidanos per muros, Urbique opportuna loca, in stationibus, quasi alium in finem, collocent. Sequuntur illi prudens Crispini monitum: venit Hannibal sequenti nocte ad Urbem, suâ opinione jam expugnatam: per fugas Romanorum in primo agmine ire jubet: illi, ubi ad portam ventum est, vigiles exsuscitant, portam aperire jubent, Consulem adesse. Salapiani, quasi pronam fidem adhibentes, cataractam in tantum altitudinis subducunt, ut recti subire possint; sed cum jam ferme sexcenti intrâssent, remisso fune, quo pendebat, magno cum sonitu, cataracta decidit. Quid tum Salapiani? Perfugas invadunt, sternunt, trucidant: parum abfuit quia ipse Hannibal, hoc ipso bellicæ dissimulationis reti, captus sit. Quis non ad alia, ... hujus

hujus vitæ cursu similiter expedienda, exemplum hoc accommodet? Quis non inde maximum dissimulationis fructum, meliorem scilicet propositi nostri dispositionem, animadvertat? Ad quam & ille accedit, quod, dissimulationis beneficio, aliorum indagare sensûs, mentes explorare aliorum commodè valeamus. Memorabile in eum finem fuit Alphonsi, Aragonum Regis, institutum, qui, quotiescunque rem alicujus momenti aggrediendam putavit, altissimè de ea recondidit mentem suam, nec aperuit priùs, quàm ab aliis approbatam laudatamque cognosceret: quomodo autem cognovit? tacitè rumorem sparsit, per emissitios suos: annon meritò, his aliisve de causis, hoc vel illud moliri? in boni publici gratiam suscipere Regem deceat? Credi vix possit, A. quanto cum applausu, quantâ cum laude omnium, deliberationes ejus postmodum probatæ sint, cum publicè proponerentur ea, quæ jam omnium calculis, & quasi præjudiciis Rege mentem suam premente, justa necessariaq; habita erant? Nimirum, CLAVIS animorum, clavis ad reseranda aliorum Consilia, est dissimulatio, in quibus magnum negotii momentum positum est. Si ipsi nostrum statim revelamus de re quadam animum, multis suadendi libertatem adimimus, qui suo nobis consensu placere malunt, quàm menti nostræ, jam declaratæ, (quod rarò gratum accidit hominibus) contradicere. Naturâ proni sumus ad

ſuppeditanda aliis conſilia: nec inſcitè hac referri poſſit, quod de Medicis dicitur: NULLOS ſcilicet habere plures artis ſive æmulos, ſive Simios, hoc eſt, plures vanitatis magiſtros, quàm ſanitatis pararios. Ut autem iſthac ad ſuggerenda aliis conſilia temeritas, vituperium: ita, in audiendis multorum conſiliis, patientia & induſtria laudem meretur. Quis eſt, qui ſibi ſolus ſapiat? ILLUM primum eſſe virum qui ipſe conſulat, quod in remſit: ſecundum eum, qui benè monenti obſequium præſtet; qui autem neque ipſe conſulere, neque alteri parere ſciat, hebetioris eum eſſe ingenii atque extremi, prudenter cenſuêre veteres. Aliàs φιλαυτία & CÆCUS amor ſui, hominum conſilia, ſi non evertit ſtatim, pervertit tamen penitùs. Premantur itaque commoda diſſimulatione, ut fusè audiantur aliorum: inde enim, quod in rem noſtram fuerit, ſerena fronte, ſerena mente poſſumus uſurpare. Et hoc eſt, quod in primis conſultationes adornanti cavendum eſt Principi, NE ante ſuam de re aliqua ſententiam declaret, quam prudentium audiverit & exploraverit conſilia: ne faſtu illo Xerxit turgidus accedat ad conſilia, qui Proceres ſuos non adverſandi; ſed conſentiendi cauſa vocatos eſſe, imperiosè nimis dictitabat. Ingeminabunt alias antiquum illud: TUTIUS eſt, vivere & conſentire, quam indiverſum ire, & perire, & ſic, ad nutum majoris, tantummodò loquentur non ad publicum commodum.

Quod vitii genus, quantum omni ſeculo invaluerit apud hominis, qui ſententiarm ſuarum vela, ad majorum nutûs, unicè obliquant, recenſent paſim; ſed & improbant Hiſtorici. Cui tamen malo prudens Reipublicæ Moderator, una mentis ſuæ diſſimulatione feliciter poteſt mederi. Cuius quoque iſte, in communi vita, uſus eſt egregius, quod nobis dubium amicum, amicum, tamen ſervat, ne in apertam hoſtem periculoſiſſime mutetur. O qui diſſimulationem ex moderatione & ſolertia mixtam, adhibere, qui animi ſecretum velo iſthoc novit tegere, varias profectò injuriarum ſyrtes & vada ſuperat, & extrema quoque vitæ pericula declinat. PLERIQUE mali eſſe audent, ſi haberi cæperint: conſcientiam ſpernunt, ſi opionem apud te bonam amiſſam ſenſerint, minùs indecoram cenſentes perfidiam, qua diffidentiam ulciſcuntur. Quid, quæſo, ſive ad ultionem, ſive ad conciliationem tempus exſpectes, diſſimulatione utilius? Et uſi eâ ſunt hoc fine viri ſagaciſſimi. Videte mihi Fabium Maximum, Romanum conſulem! habebat quendam ſuum militem, ſpectate fortitudinis, Nolanum; ſed quem ad Pœnos defecturum clanculum cognoverat. Quid ergo facit? Diſſimulat, pro tribunali laudibus eum cumulat & honoribus: animum ejus ita flectit, ut ad Romanam fidem ſolidè revocetur. Puduit nimirum, laudibus ſolennibus ſe indignum præſtare: puduit, gratulationes in exſecrationes vertere,

& quia conceptam animo perfidiam latere putabat Imperatorem, gratiam tueri maluit integram, quàm labore ambiguo alibi quærere. Quid Datames, Dux Persarum? animadvertens, partem Equitum suorum in prælio transfugere, propere illos cum cæteris assecutus, laudavit, quod tam alacriter in hostem pergerent, & prævenire ipsum gestirent. Quid fit? Pudor, ait Historicus, transfugis attulit pœnitentiam, & consilium suum, quia non putabant deprehensam, mutaverunt. O felicem dissimulandi solertiam! Talem intellexit optutissima Neronis Mater, cum famosos illas filii insidias evaderet, cum HOC unum illarum esse remedium censeret, si non intelligantur. IRRITARI enim inimici solent, si patere sua viderint consilia; Sin tescire, dissimules emendantur quandoque, vel declinantur saltem feliciter. Canem oblatrantem pavido si caveas oculo, si gestu & incessu timorem prodas tuum, irritatur acriùs: Sin nescio similis prætereos, si pavorem premas, iram ponit. Idem obtrectationis est ingenium: site sentire eam dissimules, sensim evanescit; si moveri te fatearis, debacchabitur in te fortissimè, ut verè illud Cremutii hic militet: CONVITIA spreta exolescunt; si irascaris, agnita videntur. Tam optatum, adversus multa in vita mala, quasi antidotum est dissimulatio, & planè necessarium: QUI enim animum & linguam impatienter in omnes acuere statim parat, qui nihil dissimulare

lare cupit & concoquere, perpetuis rixarum fluctibus agitetur necessum est, ut regiè prorsùs Rex quidam Galliarum mihi dixisse videatur: QUI nescit dissimulare, nescit imperare: imò, nescit propemodum vivere, siquidem in tam turbido rerum concursu, multa terenda nobis, multa dissimulanda veniunt, non mala tantùm, sed & bona, quibus exornati à Deo nostro sumus. Quod vitium, in vita Civili, jactantiâ ineptius? quod tamen, usitatius? ultius dissimulationis virtute domandum est. Non urbem modò, aut provinciam; sed totum fermè terrarum Orbem suo premit Imperio. Pars jactant gloriam familiæ, & ab infimo gradu, ad primi humani sanguinis initia, incertum generis splendorem revocare satagunt: Pars, de auteis suis montibus, nonnisi ampullas & sesquipedalia verba emittunt. Pars, cum Thamiridæ, plusquam divinam sapientiam profitentur, & se postea non tam Musarum Cultores; quam Musas ipsas, aut earum præsides venditant. O miserias animas! LONGE laudabilius faciunt illi, qui dissimulant sua, qui, per modestiam, minus sibi, quàm habent, boni attribuunt. Hic enim, si ullibi, alias, declinatio in minus veritati amica, in majus verò maximè inimica videtur. QUI magna de se prædicant licèt vera prædicent, tamen graves & molesti sunt aliis, quibus volunt antecellere; At qui minora verò sibi, per modestam dissimulationem, tribuunt, quàm grati, quàm accepti sunt

apud omnes ? Ex quibus Lumen Sapientum Græciæ, Socrates, quem propterea, in omni sermone dissimulatorem fuisse, dicit Cicero, interrogatus aliquando : quam sciret artem ? id unum se scire, respondit, quod nihil sciret. Modestissimè quidem ! MAXIMA enim pars eorum, quæ scimus, est minima pars eorum quæ nescimus, ut ea meritò, citra periculosum jactantiæ typhum, modesta dissimulatione tegere, quàm ambitiosiùs ostentare, magis homini. Prudenti conveniat. Sed quis omnia dissimulationis beneficia enumeret ? quis enumerata dicendo satis explicet ? in admonitionibus quantum quoq; præstet, nemo ignorat, in tota civili conversatione quantum valeat, nemo nescit, in familiari etiam convictu quantum possit, nemini ignotum est. Quid enim ad Rempublicam progrediar, theatrum illud, in quo vos, viri Eminentissimi, dissimulationis æstimatis commoda, vos sectamini, vos obtinetis ? Ite, quotquot estis, cautæ dissimulationis osores & rosores nocentissimi ! ite, qui inter nubes steriles & fæcundas nescitis distinguere ! sterilis nubes est mendacium : fæcundissima, prudens dissimulatio ; Absit illud à viris honestatis studiosis : adit hæc & in quibuscunque tam privatis actionibus, quàm publicis, eos comitetur. Format ea & firmat recta consilia, ut concinnius aciem propositi nostri instruere, feliciùs educere possimus. Ducit nos in aliorũ consiliorũ penetralia ; triumfat de insidiis & in-

& injuriis : Magistra est modestiæ, divinæ virtutis, optima. Quid multa ? filum Ariadnæum est, cujus ductu optatissimo, ex variis rerum mundanarum labriathis, incolumes, ad gloriam felicitatis, evadamus.

Usus habet laudem ; Orimen abusus habet !

DISSIMULATIONIS PERICULA.

ORATIO

CUm plurima Historiæ, à Numa Pomp. Romanorum Rege religiosissimo, laudabiliter facta numerant, quibus augustissimum secundi urbis conditoris nomen mereri potuerit : tum illud omnium videtur laudatissimum, quod, primus omnium hominum, Fidei templum Romæ sacravit, quod dignas ea ceremonias instituit, quod cultum ei non minori reverentia, quam ulli, ex majorum gentium Deabusalii, præstandum curavit. Nemini accedere licebat ad Sacrarium, nisi qui albo panno velatum caput haberet, unde vulgo canam quoque fidem appellare solebant. Quid verò

isthac sibi ceremonia Rex voluit? videlicet, ut fidem candidam, fidem sinceram, fidem omnis simulationis ac dissimulationis integumento evolutam esse debere, indigitaret. O factum regia prudentiâ ac pietate dignissimum. Hoc enim Regem Romulum, antecessorem suum, quem regali dignitate adoquavit, feliciter antevertit, dum fidei nitorem, fidei decus, nativam fidei indolem exponere mundo, imò inculcare voluit. Quid enim? nonne FIDES, libertas, amicitia, præcipua humani animi bona sunt? ut ergo amicitia desinit esse, quæ est: ut libertas laudem suam amittit, si candor abest & sinceritas: ita fides, ubi nigro simulationis ac dissimulationis peplo circumducta fuerit, neque colitur rectè, neque æstimatur. Sed Numæ forsitan temporibus candida illa valuit fidei simplicitas; aliter nunc sunt condiendi hominum animi, nunc technis imbuendi variis, si quid sapere, si quid agere prudenter velint: ita enim multi ultimorum temporum politici dicam, an polypi? judicant. Quo verò, bone Deus! impetu iisdem, à fide pristina, germanáque sinceritate, descitum est, posteaquam simulationis ac dissimulationis artificium introductum, plerorumque hominum ingenia misere corrupit? Cum prisco fidei templo ipsa propemodum fides mortalium videtur corruisse. Quod dum dico, dum, in dissimulationem invectus, infidam seculorum fidem deploro, nolite putare, A. omnem promiscuè à me

me Dissimulationem censeri rejiculam. Est quædam ejus species, quam ab homine prudente meritò requiratis, quam laudetis, taciturnitatis nempe vel appendix, vel conditio necessaria. QUICUNQUE enim tectus, per taciturnitatis legem, esse voluerit, idem, aliquando saltem, dissimulator exsistat, necessum est. Quid? quod neque egregia illa virtus, modestia, quæ omnem ætatem decet, omnem ætatem docet ac ducit, neque rara patientia, sine dissimulatione possint consistere. Quantum ergo Anteccessor meus de ea dixit, quæ dicenda duxit, quis ausit reprehendere? Prudentiæ fuerunt monita, QUAM Ducem, si quis supercilioscè spernat, facilè à regia virtutum via, in tristes vitiorum & miseriæ abyssos præceps rapitur. In hoc autem voti mei & sermonis cardo vertitur, hoc assiduè optem: reducatur, posstis dissimulationem noxiarum plagulis, antiqua fides, quæ tanta hominum vafritie, tam iniquis temporum suis afflicta defecit propemodum, & summo in agone cœlo suspiria mittit; reducatur fides, & pristino restituatur nitori: ne efferantur tantopere dissimulationis beneficia, quibus, velut incentivis, hominum animi ad fraudulenta rapi maleficia possint. Ex vobis ipsis certè, quæ vestra summa est prudentia, jam antè maximè intelligitis, tam illustria illa non exstare, ut ingentes periculorum nubes, quæ dissimulationem circumfundunt, & illius studiosos, dispellere possint. O si tantum mihi

esset ingenii flumen, tanta dicendi vis atque copia, ut, in diducendis exaggerandisq; illis, dignè possim versari. Ita profectò diducerem, ita exaggerarem, ut nemo non ad ea horreret, nemo non eorum matrem, dissimulationem, felici odio prosequeretur. Sed agnosco juvenilis ingenii tenuitatem, ideoq;, dum ex multis pauca; sed graviora dissimulationis pericula incommodaq; recenseo, ad vestram confugio indulgentiam, A. cujus favonio si ductus in hoc cursu fuero, ad optatum, spero, portum facilè perveniam. Illam ergo peto humiliter, ut, si quid minùs comtè & ornatè dictum à me videbitur, (quid autem tale non videbitur?) benignissimam mihi ætatis veniam ne denegenis. Multis simulationum ac dissimulationum involueris tegi, & quasi velis quibusdam obtendi, uniuscujusq; naturam, frontem, oculos, vultus persæpe mentiri, Orationem autem læpissimè, graviter censuit flumen atq; lumen Eloquentiæ, Cicero, multum tamen illi ipsi malo succumbens, in quod sæpe detonat, adeoq; ostendens, QUAM periculorum sit scenam ita adornare in vita, ne, cum turpitudine nostra, dissimulationis artificium innotescat aliis, & nos miserè prostituat. Quantum alias ea turbet fedatos hominum animos, in quantum metum conjiciat, quis est, qui non animadvertit facilè? NEC enim mediocris est solicitudinum materia, si te componere dissimulando anxiè,

anxiè, neque ulli simpliciter ostendere sive debeas, sive audeas. TORQUET unumquemque assidua sui observatio, & deprehendi aliter, quam solet, metuit. Quam multa incidunt, quæ invitos etiam denudant? Quàm facilè usu venire potest, ut, quæ pertinaci dissimulamus constantiâ, vel inconsultis prodamus verbis, vel factis demonstremus contrariis? Nemo prorsus naturam exsuit: & UT bene cedat tanta sui diligentia, non tamen jucunda vita aut secura est, sub personâ, sub dissimulationis specie, viventium. At illa quantum habet utilitatis sincera & per se ornata fides, vitæque & sermonis integritas, nihil obtendens moribus suis? Scenicos actores intuemini, quæso A. qui certarum personarum habitum, sermonem, gestum, vultûs in theatro referre debent, seipsos autem veluti abscondere, ut modò lacrumas, modò risus, modò iram, modò solicitudinem, ore ficto monstrent: quàm trepidè, quàm anxiè sui habere rationem coguntur? ne aberrent fortè, ne se spectatorum risui ac explosioni objiciant. Eadem profecto, & miserior, illorum est conditio, qui dissimulatione tegere in se conantur, quod revera est: qui velamentum aliquod suis adoptant moribus, gestibus, sermonibus, vitam civilem in scenam comicam, imò tragicam quandoque, vertentes. Trepidant, vacillant, timent, dum quid agunt coram sagacioribus: nullum fretum, nullus euripus tanto agitatur æstu,

quanto

quantò illorum mentes, inter ſpem latendi & innoteſcendi metum, laborant. Sed ô verſutiam, ſive in bonam partem, ſive in malam vox hæc capiatur, dubio nimis talo inſiſtentem! Itane ſub integumentis veritatem, quæ abſcondi nequit, abſcondere amatis? Fruſtra! ſicut promus atque condus lucis, ſol, nullo nubium ambitu ita celari poteſt, quin omne, quicquid nebuloſum, fulgurantibus demum radiis diſſipet: pari ratione RERUM veritas nullis diſſimulationum involueris ita poteſt obtegi, quin erumpat tandem, & ſe ſiſtat. Quâ fronte tum apparent diſſimulationum artifices, cum apparent ſuâ? quam miſerè perſentiſcunt, quod diu metuerunt, in quod facilè incidunt incommodum? Ut in orgam muſico ſi unus tantùm aberret digitus, ſuavis ille concentus turpiſſimè corrumpitur: ita ſi vel unus vita actus, in diſſimulatoribus, extra menſuram diſſimulationis ſtrictiſſimam, procurrit, actum eſt cum laborioſo artificio, nemo fronti, verbis, factis talium creditampliùs: Idem ferè cum affinibus mendacibus experiuntur malum, ut neque vera dicentibus, neque extra diſſimulationem verſantibus fides habeatur. QUIS verò eſt, qui nullibi non hallucinetur? imò quis eſt, qui ullubi non hallucinetur? qui ad hunc lapidem non impingat turpiſſimè? NON certè durat mentis occultatio; proditſe, quantumlibet cuſtodiatur, neque unquam tanta ſemper cuivis erit; dicendi facultas, ut non titulet aut hæreat, quoties

quoties ab animo verba diſſentiunt. Ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. Quis major unquam diſſimulationis artifex exſtitit Tiberio? nullam æquè, ut rebatur, ex virtutibus ſuis diligebat, & tamen extra illius terminos non ratò pedem protulit, cum aculeatis nonnullorum verbis commoveretur. Intelligebant Senatores hanc ingenii vafritiem: unus ergo illis metus, ut cum prudentiſſimo hiſtorico loquar, ſi intelligere viderentur. Unde ſecreti licentiam nactus, nequam ille Imperator, cuncta ſimul vitia, malè diu diſſimulata, ſolebat profundere. Sed nec Auguſto diſſimulationis meliùs ceſſit artificium. Quam providè ambitionem tegebat? obſervabant tamen omnes, recuſantis ſpecie flagrantiſſimè ipſum omnia cupiviſſe. Et quis omnes acciſſantes ejusmodi, ſed facilè obſervatos, facilè in lucem protractos, huc referat? Eant verſuti animorum ſuorum condi! perfricent frontem, &, ex diſſimulatione, laudem, gloriam, commoda ſibi quærant? expendant potiùs labores iſtos, quibus torquentur ſub aſſumta perſona ambigui; NITENTIBUS, ut ſenſûs ſuos abdant, in incertum implicantur omnia: inter ſpem metumque ſemper ceſpitant, donec nulla animo ſuperſit tranquillitas, quia, ſub velario diſſimulationis, latere cogitur, latere neſcia veritas. Aliis verò de talibus, quæ alia, quàm inconſultæ timiditatis, naſci poteſt opinio? Timi-

Timiditatis, inquam, QUÆ multum detrimenti actionibus afferre solet, & quod dam earundem quasi ligamentum est, sicut apud Græcos quoque à ligando nomen ei inditum est, quod câ mentis nostræ agitatio ligari, præpediri, coarctari in suis operationibus soleat. Quid verò timidis contemtius? quid, ad res prosperè gerendas, ineptius? Quemadmodum militibus, qui, postquam signum tubâ datum est, in bello imbelles sunt atque pavidi, nihil ineptius, nihil magis ridiculum: aptiores etenim ad stivos, ad rostra, ad flagella, quam ad bombardam aliaque arma gestanda, judicantur: ita in vita quæ instar belli alicujus, actionibus timido nihil inconsultius est aut stolidius, & tales tamen illi æstimari solent, qui dissimulanter & quasi in tenebris agunt omnia. Quid ita? quia, ut apparet, præ timiditate lucem ferre nequeunt. Quid verò est, quod negotiis quasi plumas vellit, si hoc non vellit, ne perniciter ad metam advolent? & tamen dissimulatio optatum eorundem instrumentum prædicatur, scilicet! Interrogatus olim Demosthenes: cui primas tribueret inter virtutes Oratoris? respondit: actioni; cui secundas? actioni; cui tertias? actioni itidem respondit. Mirum profectò, quod à viro, Oratorum principe, in locum tam sublimem evehatur actio, postremum alias persuadendi medium, & quod vix ultra corticem penetrat! mirum, quod, quasi

quasi omne punctum ferat, pæne sola prædicetur! VERUM tamen est, homines non tam elocutionis puritate, non tam inventionis aut dispositionis artificio, quam actionis concinnitate ab Oratoribus plerumque moveri. Nisi totus fallor, A. si quis ex politicarum actionum probè perito quærat: quid primum in negotiis civilibus: responderet: audacia; quid secundum; quid tertium? audacia est, regeret, si quis scilicet masculè, fortiter, constanter, rem quandam tractet, urgeat, persequatur. UTUT enim cæteris prudentiæ partibus sit impar, fascinat tamen & captivos ducit eos, qui vel judicio infirmi sunt, vel animo timidiores, qualis hominum pars maxima: imò ipsis quoque sapientibus, cum facilè animis vacillent, vim injicit. Quis igitur prudentiorum ad dissimulationem applicet animum, quæ languidæ timiditatis notam sui inurit cultoribus. Quisque potiùs erectam animi fiduciam candore roboret, ut efficax, ut animosus, ut infucatus appareat undique. HIC enim, hic murus aheneus esto: nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ. Pessimè enim omnium suos tegunt mores, & suo cum damno tegunt, qui non aperto agunt pectore, quod agunt, qui in varia suspicionum vada, non seipsos tantùm: sed & alios præcipitant, dum non excuti-

excutiunt negotium, cum alio suscipiendum: sed dissimulant. EST ea, quæ in mari, apud nos vicissitudo: modò blanda viget animorum concordia; modò tempestates odiorum & litigiorum surgunt. Unde verò illæ? maximam certè partem ex obscuris dissimulationum nubibus. Nonnunquam ad nos defertur aliquis, ac si dictis vel factis nos laceret: ac si malè nobis velit: ac si præclaram nominis famæque nostræ existimationem ex insidiis insectetur. Dissimulamus hæc: non indagamus veritatem reipenitiùs; tacito potiùs sub pectore odium coquimus, nos ipsos cogitationum mole mirum quantum gravantes. Sed ô hebetes! O stupidos! aut, ut veriùs dicam, ô cæcos rerum æstimatores, qui hic remedium injuriarum esse dissimulationem existimant! non est remedium; sed venenum pessimum: morbum alit, non tollit; Imò, sit remedium; sed est ex minùs validis, quæ non extrahunt humorem noxium; sed promovent. OMNIA enim dissimulationis supparo tegere aperire interim festinestram nugarum gerulis, quas in te evomuerunt alii, aut fictæ quoque sunt à delatoribus, quid est aliud, quam multiplicem suspicionum in animo saburram congerere, quam invitos quoque circumferre postmodum oporteat? Aliter nos edocemur monitis eorum, qui civilis vitæ, rectæ instituendæ, rationem nobis exponunt: aliter hîc nobis procedendum esse suadent: tollenda dissimulatio, ejicienda animo

mo suspicio & conjectura, irritamenta fallacissima: expedienda mens eximpedita cogitationum silva de claranda apud eos, quos suspectos habere cepimus: liberè ad ipsos loquendum, ut bilem istam, quam ex alterius relatione concepimus, antequam per membra diffundatur, statim expurgemus: sæpe aliâs postea in innocentes emittetur. Quod si faciamus, fieri non potest, quin gravi onere, levemur, & nos, utrum vere siut, an falsæ suspiciones conceptæ? cum gaudio cognoscamus. Exemplum hujus mali, ut & medicinam, nobis exhibet Alexander, Rex omnium excellentissimus, cui ex rebus præclarè gestis cognomentum Magni novimus inditum. Memorabile illud est: quid vetat, pace tamen vestrâ, A. illuo ex historico elegantissimo, contractius tamen, proponere? Obruebatur Rex morbo subito, in pleno victoriarum cursu constitutus: promta postulabat remedia, præcipiti consilio. Erat, inter alios, medicus è Macedonia Regem secutus, Philippus, fidus admodum Regi, puero comes, & custos salutis datus, qui eum non ut Regem modò; sed etiam ut alumnum, eximiâ caritate diligebat. Is non præceps se strenuum remedium afferre vimque morbi potione medicatâ levaturum esse promisit. Diem autem tertium constituebat, & hanc moram ægrè sustinenti Regi; Amicis verò displicebat medici propositum. Inter hæc à Parmenione, fidissimo purpuratorum, literas Rex accepit,

quibus eum monet solicitè, ne salutem suam comittat Philippo. mille talentis à Dario, & spe nuptiarum Sororis ejus, esse corruptum. Rex igitur, conjunctis expensisque & aliis corruptelæ conjecturis, ingentem animo solicitudinem concipit, eò magis, quod nulli amicorum suum aperire judicium ; sed dissimulare proponebat omnia. Signatam igitur annulo suo epistolam pulvino subjicit, & quicquid in utramque partem aut metus, aut spes suggerebat, secreta æstimatione pensitat Bibere perfeverem inquiens : contra tanti, totiesque spectati viri monitum, contra aliorum amicorum sententiam ? ut si venenum datum fuerit, ne immeritò quidem, quicquid acciderit, evenisse videatur. Damnem Medici & amici quoque spectatissimi fidem ? in tabernaculo ergo me opprimi patiar ? At satiùs est, alieno memori scelere, quam metu meo. Et jam illuserat à medico destinatus dies : adest ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam sinistrâ manu tenens, accipit poculam, & haurit interritus; tum epistolam Philippum legere jubet, necà vultu legentis movet oculos, ratus aliquas conscientiæ notas in ipso ore posse deprehendere. At Medicus epistolâ perlectâ, plus indignationis, quàm pavoris ostendit, projectisque amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit,

semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè, arbitror, sacro & venerabiliore trahitur : Crimen parricidii, quod mihi objectum est, tua Salus, diluet. Servatus à me, vitam mihi dederis, oro quæsoque, amissoque metu, patere medicamentum concipi venis. Laxa paulisper animum, quem solicitudine intempestivâ amici sanè fideles; sed molestè seduli turbant. Non securum modò hæc vox; sed etiam lętum Regem, & plenum bonæ spei fecit. Itaque, si Dii, inquit, Philippe, tibi permisissent, quò maximè modò nunc animum velles experiri meum, alio profectò voluisses ; sed certiore, quam expertus es, ne optâsses quidem. Hac epistola accepta tamen, quod dilueras, & nunc, credo, te non minùs pro tua fide, quam pro mea salute esse solicitum. Hæc effatus, dexteram ei porrexit, apertissimumque se amicum Medico, post dissimulatas suspiciones, exhibuit. O torturam regii animi, quam dissimulatio genuit, aliquandiu aluit periculosissimam. O levamen optatissimum, quod, abjecta dissimulatione, prudenter secutus est ! Quantus dolor? quanti cruciatus ægrum divexassent animum, nisi pestilentissimo huic malo, præsentissimum medicamentum, aperta ista rodentis mali confessione, adhibuisset ? Non ita gravissimum morbi periculum regiam consumsisset vitam , quàm voracissima suspicionum tabes. Frustra bonus medicus sua

adhibuisset remedia, nisi sibi ipsi medelam adhibuisset Rex adversus humores dissimulationis rabidos, mentem suam planè medico aperiens, ut crassiores cogitationum fumi, suspiciones intelligo, sinceritatis luce, feliciter dispellerentur. Neque hæc in nobis de aliis tantùm; sed inprimis quoque in aliis, de nobis, suspiciones varias producit dissimulatio. Ignorant alii, quid statuere de nobis: quomodo juvare nos aut ducere debeant, etiamsi velint: quid enim? abscondimus nos: dissimulamus omnia, nostra utique culpâ perimus, si perimus. Nisi prorsus fallor, tales dissimulatores Amyclis fuerunt, ubi cum lege cautum esset, ne quis unquam hostis adventum nunciaret; (falso enim sæpe nuntiatus & metus excitatus erat,) accidit autem, ut verè postmodum veniret hostis. Omnibus autem adventum silentibus, Civitas ex improviso, ob legis interdictum, capta est. Jocularis ille casus proverbio locum dedit, ut dicatur: Amyclas silentium perdidit. Quidni de dissimulatione idem, prope dicamus. Quamvis enim sæpè admiremur, eos, qui profundo & secreto omnia studio moliri, & sua cæcis mediis negotia perficere valent, videmus tamen, eosdem in tantas sæpius errorum syrtes incidere, ut dissimulatio dissimulatores ipsos illaqueet, &, quâ ratione sese expediant, nusquam appareat. Quid? quod Viri politici, insigniter felices, liberè & confidenti animo, fines, quos petant, proferre non

non dubitarint. Vultis ex historiis testem? Ecce in promtu adest L. Sylla, qui manifestò præ se tulit: se omnes homines vel felices vel infelices, velle, prout sibi, vel amici, vel inimici essent. Adest J. Cæsar, Romanæ Monarchiæ autor felicissimus, qui, quam primum profectus esset in Gallias, nihil veritus est profiteri: se molle primum esse in obscura villa, quam secundum Romæ. Ubi hîc interioris animi? ubi ambitiones dissimulatio? Ne dicam de similibus, quibus omnia ex voto in vita evenerunt. Pompejus verò, qui ad eosdem imperandi tendebat, fines; sed viis magis obscuris & umbrosis, dum innumeris technis ambitionem suam altè dissimularet, quid consecutus est? Factes consul solus, quod nemini unquam contigerat, nihilo tamen efficiebat ampliùs. Quæ tanti viri remora, A. Dissimulatio. Cum enim neque illi, qui procul dubio fuissent eum adjuturi, quid intenderet, perciperent, mutuas jungere operas non potuerunt. ADEO lenta & infelicia plerunque sunt consilia, quæ dissimulatione obteguntur, ut illustre Anglicorum politicorum decus, Baconus, alicubi decernit. Quis ergo eam feliciorum consiliorum nominet parariam? quis non potiùs inimicam eorundem, & fidei nostræ appellet? quam profectò in dubium vocant, qui nos in tenebris dissimulando muginari nostra, animadvertunt. Neminem vestrûm esse arbitror, qui exactè cognitum non habeat, quanti æsti-

manda, quo loco habenda pura animi ſinceritas, ſincera puritas. ANIMA profectò eſt noſtrarum actionum, ut ſnihil magis hominum benevolentiam nobis conciliet, quàm ſi in omnibus actionibus candidi, fideles aperti deprehendamur. Quæ alia res ſalutem contineat publicam privatamque, quàm fides? Quemadmodum verò illi, qui ſubnixi eâ ſunt, in tuto navigant: ita contra, qui illius opinione exciderunt, nusquam poſſunt conſiſtere: ſed, longo errore circumacti, poſtremò in ipſa perditionis præruptа feruntur. Hoc ipſum verò accidere diſſimulatoribus tam certum docet experientia, quàm quod certiſſimum. Rex Antigonus interrogatus: quare quotidie Deos ut ſe ab amicis defenderet, precaretur, reſpondit ab illis, qui palam hoſtes ſunt, ipſe mihi poſſum mediocri diligentiâ cavere; ſed ab iis, qui fucatis verborum coloribus omnia diſſimulant, ut, utrum ad ſinceri amici, an ad clanculariі inimici partes, accedant, neſcias, neque: adverſus horum igitur inſidias Diis protectoribus opus eſt, reſponſum regio judicio digniſſimum! UT ſcopuli marini, qui ſub aquis latent, illis, qui exſtant, atque eminent, multò ſunt nocentiores: ita occulta ingenia majora dare damna ſolent. Diſſimulatores, dum, utrum frigidi ſint, an calidi, ignoramus, ſi non inter mendaces numeramus, non certè meliores æſtimamus. Nemo ſinceram illi fidem

fidem adhibet: nemo candorem præſtat. UT enim fides mutua fide alenda eſt: ſic candor candorem obligat. Quis diſſimulatori quippiam crediderit? quis commiſerit quippiam? ſilentium ſilentio rependitur: diſſimulatio diſſimulationem invitat, & ſic præcipuo hominem inſtrumento ad agendum privat, fide. Unde, ſicut iis, qui in tenebris ambulant, timendum ſedulò, ne impetantur forſitan ab obviis: ſic illi quoque, qui omnia ſua negotia, omnia conſilia, occulto animi conatu, pertractant, turpem diffidentiam non tantùm in ſeſe oſtendunt; ſed progignunt etiam in aliis. O infelicem hoſtem fidei diſſimulationem! O diffidentiæ matrem periculoſiſſimam! QUI diffidit, amare non poteſt: qui non amat, amari dignus non eſt. Diffidentia bonum malum facit; fiducia ex malo bonum. Hanc igitur ſectari, hanc uſurpare, diſſimulationi autem nuncium, in communi vita, mittere oporteat. Dicant, quibus ſupra captum ingenii ſunt artes civiles: eam eſſe compendiariam prudentiam: dicant, ſepem conſiliorum; Saniorisgenii & ingenii homines ſemper anguem ſub hac herba, latitare credent, neque liberum eſſe, qui diſſimulat, neq; ſincerum, cauto judicio, æſtimabant. PERICULOSUM enim prorſus eſt, iis fidem habere, qui occultis præditi ſunt morib. linguamq; gerunt ab animo longis intervallis diſſentiente.

NULLÆ, insidiæ graviores sunt, quàm quæ in
simulatione officii & dissimulatione, aut alia
aliqua necessitudinis nota latent, quod prin-
ceps Oratorum, Cicero, dicit: imò suo ipsius
facto docet. Quid enim, sub hoc ipso Sche-
mate, adversus J. Cæsarem, publicè à se ad cæ-
los elatum, machinatus non est? quid non, si-
mulando dissimulandoque adversus laudes
suas & monita, patravit? ut vel liquidò indè
appareat, NON rarò usurpare factis magnos
viros, quod dictis speciosè improbant. Sed
sistendus mihi Sermo est, ne abutamur patien-
tiâ vestrâ, A. Habetis aliquot dissimulationis,
beneficia à Prædecessore meo satis pomposè
prodita: habetis itidem abyssum periculorum
profundissimam, in quæ dissimulantes ruunt.
Vestrum jam erit, in re tam ardua, falsa à veris,
à rectis prava, ab integris corrupta, simulata à
sinceris, à nativis fucata, pro ea, quæ vestra est,
sagacitate mentis secernere. Vix satis efficac-
cem, nisi fallor, rationem animadvertetis, qua
vexatissimum hoc dissimulandi artificium tan-
toperè amplectendũ esse suadeat. Quid enim?
ideonè amplectendum, ut tutius aggrediamur
homines? quasi fungi aut stipites sint, qui nihil
possint, opponere: Ut consilia nostra retinea-
mus integra? certè, NON statuere, est etiam
aliquid statuere, & illa obtectio majoribus nos
implicat difficultatibus, dum periculosis nos
objicit suspicionibus, quàm si nos manifestasse-
mus. Majora certè mala sunt, quæ ab ejus-
modi

modi agendi modo nos desistere jubeant. Tur-
bat ille animi tranquillitatem, quâ nihil suavius:
pravam de nobis timiditatis opinionem gene-
rat, quâ nihil contemtius: varias in nobis aliis-
que suspiciones gignit, quibus nihil molestius:
Fidem nostram, fundamentum actionum om-
nium, in dubium vocat, quo nihil homini po-
test accidere miserius. O qui Musis atq; Gra-
tiis dicâstis animos, expendite tanta pericula,
tanta incommoda! Ad candorem, ad opertam
fidem, vos componite, qui in civili conversa-
tione vivere feliciter studetis! HÆ enim velut
alæ duæ sunt, quibus supra sordes fallaciarum
mundanarum evehi, quibus ad purissimam ve-
ritatis sedam, ex voto, pervenire possimus.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

POLYPI SOLERTIA,

IN CONVERSANDO POTEST OMNIA.

HAnc enim adhibendam esse, prudentissimus judicat Gnomologus, ut inde, sine nota conscientiæ, amorem auferamus & gloriam. Quæ verò illa polypi solertia? si piscis polypi indolem respiciamus, nostri est ad aliorum mores compositio. Ut enim hic colorem saxi, cui hæret, exprimit: sic nos

eorum mores, quibus in civili vita jungimur. NIHIL applicatione hac utilius; sed nihil quoque eâ difficilius. Vt enim grata, sit & recta, mores aliorum penitùs noscendi, æstimandi, exprimendi sunt. UNA quidem est scientia maxima, sui: hæc norma omnis est prudentiæ, nec temere de cœlo lapsa dicitur. Sed neque minùs in rem nostram est, nôsse alios, cum quibus conversandum est: in nullis certè vitæ muniis, nisi hac armati ægide, satis tuti sumus. Quis Vulcanus autem nobis eam præparet? quis aliorum nos notitiam, ex asse, doceat? Nunquam tot diversæ lucis astra surgunt: nunquam terra in tot herbas dispares luxuriat: nunquam mare tam diformes pisces educat, quot, in hominum consortio, ingenia deprehendimus. Similitudo corporum & animorum ubiq; dissimillima! Laboret hîc divinum Socratis ingenium: desudet perspicax Pythagoræ judicium: sagaci mente Zeno omnem perdat operâ, nullus variè occultos, nullus occultè varios hominũ animos satis indagaverit. Quid deridemus Momum, quòd humani pectoris fenestram quærat? ridendi sumus ipsi, qui, in rerum tenebris palpantes, neq; nos, ut decet, neq; alios, cognoscimus. Quantillum enim est, quod ex corporis habitu, verborum effatu, functione munerum: quod ex ætatis gradu, vitæ studiis, distinctione sexûs, de secreta aliorum indole, ariolamur? Quantillum, quod ex soligenitalis genio, parentum moribus, temperie aëris: quod ex influxu siderum, fortunæ bonis, & similibus naturæ notis, audaciùs plerumq; quàm feliciùs conijcimus? MAXIMA eorum pars, quæ inde scimus, minima eorum est, quæ

nescimus. Quæ ergô via est ad polypi solertiam? ad illam civilis conversi. Ducem optimam? Annon conversatio potiùs, ob nostram hanc insciti, omninò fugienda? solitudo eligenda est? Nõ dixerim, Amice lector. ipse conversi. amo & æstimo; sed laudo elephantũ morem, & sequor: impensè illi delectantur fluviis; cum verò commodè natare nequeant, rarò solent eos ingredi. Sic verò judicaverimus ex Comico, cum in regno imperfectionis hîc degamus, ubi nihil undiquaq; consummatum est, AGENTUM esse, ut quimus, si nõ, ut volumus, licet. Proinde, cui iter hoc, tot scorpiis hinc inde horridũ, frequentandũ est, ne modò prorsus Ducem via negligat, & Comites. Dux est, quam modò dixi: prudens ad cujusq; indolẽ attemperatio. comites in primis duæ sunt: sagax affabilitas, & tectior dexteritas. Hæ ad versutiã nos instruunt; ad honestã sc. versutiã, quicquid sentiant de nomine Gram. hæ polypos nos faciunt laudabiles: quid nobis cum abusu vocula? hæ genuinam conversandi ingerunt solertiã, quam nec morosa pertinacia, nec delicata turpat adulatio. Vt enim illa ad Catones: ita hæc ad simias remittitur. NECESSARIUM n. quandoq; est, de morũ constantia aliquid remittere, & se conformare aliis: modò ne quid nimis! nimis etenim, in confor. hac, civiles, viles: citiùs subinde placẽt omnibus qui nõ omnib. placere satagunt. O felicẽ, quisquis in civili vitâ mediũ hic obtinet, ut, per concinnã morũ applic. unus sit & omnia! unus sibi: omnia; sed ubi Virtus, ubi Pietas annuerit, aliis, & quidẽ cũ amica suavitate. PLURES ea nobis colligit amicos, quã decora virtutũ sũ alia, si & gest. & acti. & verbis, & aspectu comes

nos

nos præstemus omnibus. Quis enim tali hamô capi nequit? absit fastus omnis: absit vultus fulminans: absit rigida & frigida gravitas! Videte Africanum minorem! quam efficax hac comitate fuit? nunquam prius è foro reverti voluit, quam novum eâ sibi amicum jungeret: facilis in colloquendo, suavis in compellando obvios, in respondendo benignissimus, nec austeritate tristis, nec lenitate dissolutus. Non tamen sine provida sagacitate, quæ comitati utique jungenda est, ut, qui cum agas, & quid agas, reputes. SINGULI mores morem conversandi singularem exigunt! non licet unâ fideliâ omnes dealbare parietes! cum candidè familiaribus, apertè; sed cum simulationum artificibus & advenis, cautissimè: cum superioribus, reverenter: circumspectè, cum æqualibus: benignè, cum inferioribus: cum bonis & fidelibus, fidenter agendum est. Nemo fidem habeat mendacibus, tametsi pignus afferant. Si cum jucundis & hilaribus hillariter: si cum severis gravibusque breviùs contractiusq; vivimus, concinnè vivimus: ambitioso multis occurrendum titulis. hæc offa ad palatum canis. simpliciùs vivendum cummodestis est, si commendabiles Vertumni, hominesque omnium hominum, dici volumus. Ecce variam Polypi solertiam! Premenda tamen est, ut dextrè adhibeatur. MALE lusor agit, quisquis suas aleas patefacit: malè noster polypus, si nimium apertus fuerit aut credulus. IN tegendo & non credendo actionum nervus consistit, &, ut nunc sunt mores seculi, nihil diffidentiâ prudenti utilius: nihil vigili dexteritate magis necessarium. Si quis enim cavet, ne de-

cipiatur, vix cavet, cum etiam cavet, etiam cum cavisse ratus, sæpè is cautor captus est, ut Plautus noster loquitur, Vbi verò tam perfectus reperitur polypus, cuius mentem obtinendam Theognis suadet? cujus hîc solertia notata est? Fortassis in descriptione tantùm, non re, ut de viro planè bono Lipsius alicubi judicat. Plures certè, qui ad solertiam hanc acriùs contendunt, nubem pro Iunone captant, nec tam applicant sese, quam abjiciunt. O periculosam ergo conversationis aleam! O dubias civilis vitæ vices! quas cum expenderent non ita pridem Iuvenes Doctissimi, HERBERTUS Nic. F. ULRICI, Rigensis, & AXELIUS MEIERUS, Wendâ-Livonus, dignum judicârunt argumentum suo studio, ut aliter de Incommodo civilis conversationis triplici: alter de totuplici illius Commodo dissereret. Concinnârunt igitur feliciter orationes duas, quas d. XXV. Octobris ex memoria, cum Deo, reddituri sunt. Omnes igitur, Summates infimatesq;, omnes sive Politicos, sive politos, sive polypos, quâ par est, observantiâ, humanitate, studiô rogamus, ut spectabili præsentiâ & animare oraturos, & ornare, & nos ipsos sibi rursus adamantinô insignis beneficij nodô devincire ne graventur. Dab.

RIGÆ, ex Museo meo, d. 18. Octobr.

Anno 1649.

(o)

CONVERSATIONIS INCOMMODA.

ORATIO.

SI quod unquam, ex operibus priscorum, vitæ nostræ, in mutuo hominum consortio positæ, statum repræsentat, nullum profectò aptius Cretensi Labyrintho inveniri posse existimem. Quemadmodum structura ejus variè mirabilis, mirabilis ornatus atque apparatus fuit, quem Aulæ præclarissimæ, & speciosæ admodum pyramides externè commendârunt : similiter civilem, in civili vita, conversationem Bona varia & dona extrinsecus coruscantia & oblectantia, venustant, ut propter hanc exteriorem pompam quantivis esse pretii videatur. Annon enim dulce hoc oblectamentum est, quod hic corporis lauticiis ad nauseam usque saturatur ; ille vario fortunæ nectare inebriatur? Annon gratum istud bonum est, quòd ab hoc omnis procul inopia exsulat; ille omnium honorum copiâ exultat? Quis est, cujus non, quandoque saltem, desideriis cœlum annuat, ut exhilaret, &, si aliquid hîc deficiat, alibi suggerat ? Robore corporis non valet quispiam ? at gaudet divitiis, gaudet honoribus. Dives non est ? at corporis robur habet

habet & pulcritudinem. Neutrum fortè adest ? Nobilis tamen est, & amplissimis superbit titulis. Et hæc externa vitæ species, hæc pulcritudo est, quam varia fortunæ, bona, varia corporis dona ei pomposè conciliant. Quis gravis adeò & severus, etiamsi Catonis nescio cujus morosovultu indutus sit, qui istis vitæ oblectamentis non capiatur ? qui, variis ad ea deducentibus mediis, non delectetur variè ? Sicut autem mirabilem Labyrinthi structuram ingressuris varii patebant aditûs : haud secus in civili vita tot mæandri sunt, tot recessus occursusque hoc est varii status, varii ordines, velut aditûs, quibus in eam deducimur ; sed miserè nonnunquam seducimur. Hic curam publicæ felicitatis gerit ; ille militarium rerum onera sustentat ; iste circa domestica negotia versatur ; alius negotiationes tractat, & quis omnem hanc varietatem facilè exposuerit ? Per hos tamen aditûs in civilem conversationem deducimur, in Labyrinthum variis molestiarum anfractibus horridum : quò autem plerumque eventu, Auditores ? quo in Cretenses illas ambages, quem facilius deplorare, quàm explicare liceat. Labyrinthus enim, quem dixi, multiplici quidem ædificiorũ velut antepagmento voluptatem quandam ingredientibus pollicebatur ; regressuris negabat, ita miseros introcans hospites, ut, se viam ad exitum ducentẽ reperisse putantes, novam & priori multò impeditiorẽ ingrederentur, eam scil.

quæ

quæ tandem ad exitium triſtiſſimum, ad captatorem novæ prædæ, Minotaurum, à quo miſerè deglutiebantur, ipſos perduceret. VIX certè alium Civilis converſatio, in tot mundi peſtibus, ſortitur exitum: vix meliora ſpecioſæ voluptatis captatoribus, blanditiis ſuis, fata præſtat. Quo ſucceſſu enim? quo eventu in eam deſcendunt ejus Amaſii? ut à vitio quoque multiplici, exitiali animorum peſte, non inteſtentur tantùm graviter; ſed etiam deglutiantur penitùs. O miſeram converſationis Civilis conditionem! O triſte ejus pretium! Quis varia illius pericula? quis infinita damna & incommoda oratione explicet? Ego quidem impræſentiarum, triplicem ſcaturiginem ex qua cuncta in civili vita converſationis incommoda, juvenibus in primis ſtudioſis, affluunt, inveſtigaturus, nihil ab optatiſſima veſtra benignitate, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, præter adſpirantem ejus auram ſanctâ mentis devotione peto, ut cum toties dicentes ex hoc loco animârit, toties feliciſſimè juverit, tenuem quoque præſentis oratiunculæ recitationem animare, &, ſi quid duriùs fortaſſe contra converſationis ſanctitatem prolutero temeritatis juvenilis veniam gratioſiſſimè largire mihi ne dedignetur. Quantumvis alios quoscunque rerum creatarum ordines inſigniter ornaverit Divina ſapientia, hominem tamen intimioris benevolentiæ, affectu proſequi, & ad exemplar ſui ipſius efformare voluit, ut in egregio

gio virtutis & ſcientiæ ſtudio, felici ſemper curſu, verſaretur. Nemo non utrumque hoc divinum munus grato æſtimabit animo præſertim, ſi meditatiùs, expenderit, quem in finem, poſt amiſſam primam eorum gloriam, adhuc à Deo nobis gratioſè concedantur. Quem in finem enim iſtud fieri dicemus? Eum ſcilicet, ut, quo aliis inſigniora ſunt, eò ſemper operoſius, in illis excolendis, progrediamur. Sed quî feliciter & facilè hoc fiat, niſi Civilis in hac vita converſatio etiam atque etiam vitetur? hæc ſanè utrumque donum iſthoc, ſcientiam mirum & Virtutem, variis hinc inde nubilis, quo minus radios ſuos & fulgorem ſpargant, obfuſcat? Nemo eſt, qui diffiteri auſit, QUAMVIS Civitatem, licèt optimis ornatam legibus, tumultu plenam eſſe, quam ſapientiæ ſectator non ſuſtineat. Hinc optimum ſcientiarum tractandarum medium eſt ſolitudo, quæ aliorum nos conſortio eximit, & nos nobis ipſis, ad meditandum aliquid egregii, quaſi reddit. Ad hoc quidem cum mens noſtra elevari cupit, non unquam eam acrioribus in rerum penetralia ſtimulis deduci, aut earum indagationi fixius inhærere poſſe, quam cum nullis rebus aliis turbatur, ipſe veritatis meridies, experientia, confirmat. QUIS permiſtus turbis? quis, ſtreperâ circumfuſus multitudine, admiratione dignum, quid nequicquam ſollicet laborante animo, aſſequitur? Minimarum quoque & nullius aliâs pretii rerum effecta in

hominum tumultu nos subterfugiunt, ut neq; causas eorundem, neque productionis modum animadvertamus, qui dicam, alia ad amussim habeamus cognita? Si ergò tanta mentis nostræ, in rerum, sub aspectum quotidie venientium, consideratione in turba hallucinatio, quantopere in illis, quibus meritò, continua quasi & perenni motione, exerceri, deberet, ut, per vestigia creaturarum, ad creatorem omnium adscendat, hærebit? Hærebit sanè, nec, antequam hominum consortio subducta, & in solitudinem delata fuerit, expedietur. O magnum scientiæ in conversatione impedimentum! O majorem impedientium multitudinem! O perversitatem eorum maximam! itane sereniſſimus scientiæ fulgor, mentes amatorum suorum illustraturus, violenter planè impeditur in hominum turba, ut semper, indensiſſima ignorantiæ caligine, versari pergant? Versantur omnino & non nisi tergiversantur, donec, solitudinem sectati, animos suaviſſima scientiarum ambrosia pascant & ab hominum perversis sodalitiis secreti earum cultui se totos dedant: Neque verò novum id cuiquam videbitur, cum, inter sapientes, olim nihil occurrat frequentius, quàm fuga conversationis, quam vulgi aversatio. Illi enim, cum vel mirandorum Dei, vel humanorum saltem operum curam intermittere nefas arbitrarentur, conversationem fugere, solitudinem quærere consueverunt. Testis est Pericles Athe-

niensis, at quantus vir? quem & à conversatione, & à conversantium convictu, abhorruisse, referunt, ut salubriores de Rep. cogitationes susciperet, quas alioquin importuna vulgi turbatione & turbulenta cum aliis conversatione, facilè corrumpi sentiebat: Testis est sublimis ille suo tempore philosophantium antistes, Pythagoras, quem, ut sodalitatem vitaret, toto anno in subterraneo quodam specu latitantem, & sibi, & aliis profutura plurima inveniſſe, Historia testis est. Testis est solertiſſimus Democritus, qui semetipsum (quis credat?) corporis sui facibus, oculis orbavit, ne vel intuendo veri hostem, populum, à veritatis inquisitione abduceretur. Quid Eleates, Socrates, Plato, magna Græciæ lumina, magna sapientiæ columina, fecerunt? Declinarunt omni modò multitudinem, ut in scientiarum orbe feliciùs & velociùs procederent. Percunctemur de hoc ipso Ciceronem, quem eruditionis principem meritò sequuntur omnes, cui meritò obsequuntur. Quid ei solitudo contulit? summum fecit Oratorem & Philosophum: Unde ad amitum scribit: Nunc omnia respuo, nec quicquam habeo tolerabilius, quàm solitudinem, nihil mihi solitudine est amicius. O utiliſſimam ergo illam non tam Ciceroni, quam doctis omnibus solitudinem, in qua quidem ipse præcipua scripta bono publico elaboravit! Solitudo sapientiæ est Gymnasium, animi formatrix, feliciſſima quem optimè

mè diffingit atque dirigit. Quam ob causam delubra Deorum antiquitus in locis maximè solitariis constituerunt, nisi ut sanctitatem solitudinis, turbæ incommodum innuerent? Adhuc hodie, qui aliquid proposituri sunt ingeniosiùs, se ab omni hominum consortio separant, ad silvas, ad solitudines properant, sedem ibi cogitationum suarum quæritant. Quæ solitudinis utilitas, cum omnibus, ut spero, patescat, cum manifestum sit omnibus, scientiarum hostem conversationem esse, quî cum virtutis studio consentiat, quàm amicè, si Diis placet, honestatem foveat & promoveat, nunc ostendendum est. Adeste hîc, quicunq; conversationis laudes canitis, &, quid statuendum vobis sit decernite! Honestatisne studia in hominum consortio, hoc est in maximo vitiorum omnium hospitio virtutem quæritis? Quærant eam ibi alii, quibus, quàm diris & miris scelerum machinis in multitudine infestetur, ignotum est! CERTE tumultus est consors hominum vita, summa imis, ima summis miscens: viscus est, & sui admiratorem miserè detinet; Laqueus est, & incautum, blandius allectum, luctuosè strangulat. Tantine autem viscum, tantine laqueum, tumultumque faciamus? itane ex visco, ex laqueo, ex tumultu virtutes earumque fructus expectabimus? Minimè profectò! Ea certè ibi, ubi omnis virtutis spes exsulat, sperantes, miserè tandem desperare coguntur. Si nihil amplius dicerem, Auditores,

ditores, quam civilis conversationis sedem mundum esse, quid bonæ mentis sectatoribus inde expectandum sit, satis dicerem. Quid enim Mundus? Sedes immundorum omnium, quæ amplissimo illius amplexu continentur: omnia in eo, horrida vitiorum spurcitie, quæ vel aspectabilia vel tractabilia reperiuntur, devenustata sunt. Neque cogitandum fortè est: non pauca tamen, nec exigua mundi bona esse. Concedemus enim hoc mundi amatoribus; sed & illud vicissim nobis, nolint velint, concedant, oportet, si æqua mentis trutina tot mala, ex conversatione, passim promanantia libraverint, quod hæc bonis illis, quæ inveniuntur forsan, & numero, & robore superiora sint. Tam exiguus quidem est proborum numerus, ut vix bonam inter ipsos mentem inchoare, ne dicam perficere liceat. Quid? quod in tantum conversantium malitia excreverit, ut quis nihil tam rectè agat, vel suscipiat, quin mille injuriis & periculis, si non vitæ, quæ & ipsa tamen non satis tuta est, famæ certè & existimationis exponatur. Etenim mundanorum modò hominum negotia mecum aspicite! Annon ebrietatis studium occupat plurimos & insana poculorum voluptas amasios suos in bestias transformans? Alium libido, in omne luxuriæ genus effusa: avaritia infestat alium, quam quidem currûs effigie, qui vitii istius deformitatem oculis subjicere conati sunt, expressere: hunc rotæ vitiorum quatuor, pusillanimitas,

crudelitas, Numinis Divini contemptus, mortis oblivio sustinent : jumenta, Rapacitas & Tenacitas, provehunt: Auriga, habendi desiderium, dirigit: Flagella duo, acquirendi spes perdendique timor incitant. Alium subtile illud malum, Ambitio invadit, ut forte suâ minimè contentus, in eum sese gradum evehi laboret, unde præceps ruat in exitium. Quid dicam de malis aliis ? alto involvere silentio præstat, præstat fœtorem tegere, quam, cum suspiriis, quæ sunt alia, ut sunt in mundo multò graviora, commemorare. Quis ergo populi consortium non aversandum statuat, cum Diogene? Hic enim, ut erat homo festivissimæ prudentiæ, ad templi valvas cum præstolaretur, donec populus exiret, per illum medium, in templum penetravit, sequacium suorum, inquiens, esse officium, multitudine prorsus discordare : joco scilicet hoc innuit, sociorum copiam, quæ quidem in conversatione occurrit, vitiorum etiam copiam afferre, quâ sublatâ, ipsa simal vitia sint exulatura. Videtur quidem conversatio non paucis ipsius naturæ soboles, quam omnes expetant; sed videtur rem non satis expendentibus! Nemo sapientior istud eorum judicium magnifacit : si qui sunt, qui ea, quæ vel vani in mundo gaudii, vel fragilis honoris, vel lucri exigui gratiâ expetuntur, magni æstimant, quid tum ? NON quid fiat & judicetur ; sed quid fieri & judicari debeat, videndum est. Non in concinnâ huc illud philosophi retulerim, à quo, balneum egresso, cum quæreretur: Num magna illic hominum esset frequentia ? esse negavit; Mox interrogatus: Num magnus populi concursus ? Affirmavit, haud obscurè denotans, UT hominum, nomine promiscuum vulgus immeritò gaudet : sic actionibus etiam istius atque judiciis minimè esse subscribendum. Et quid demum alia, quæ pro conversatione à multis jactantur, inferunt, quam quod multi conversationis sint amasy, ideoque & scientiæ & virtutis studium spernant? Quod cùm omnium dierum experientia tam clarè confirmet, vos etiam, Ampliss. patriæ Patres, exvariis flagitiis, ad quorum pœnas nolentes volentes quasi pertrahimini, deprehendatis, quid operosiùs hoc malum exsequar ? utinam suo tantum malo vitiis, in conversatione sua, indulgerent improbi! utinam aliis iniquam contagem & varia inquinamenta non affricarent, ut, præter voluntatem quoque suam, exinde piarum mentium cultores, corrumpantur! Neminem ex vobis esse puto, studiosi juvenes, (liceat enim mihi meum ad vos sermonem dirigere,) qui non vel aliunde acceperit, vel proprio quandoque malo felicis quoque indolis corruptionem senserit ex nefariorum sodalitio, quorum frequentia ipsas in primis Musas (semper enim fuci apibus, semper rosis spinæ in hac vita, sociantur) angit. Quor, quæso, sunt, qui nomine studiosorum maximè gaudent, quorum

tamen ita sunt affecti animi, ut, conversationis beneficio inducti, Baccho Veneriqúe elegantiorem vitæ partem consecrent? ut magnam temporis partem malè agendo, maximam nihil agendo, totam aliud agendo perdant? Et hic fructus conversationis est in illis, qui omnẽ vitæ suæ cursum fructu metiri debebant. Ipse ergo statuiter annon bonarum mentium sinceritas in solitudine servari melius possit, quam in infelici hoc contubernio? Absit quidem, ut omnes mundanæ hujus Reip. Quirites atro carbone notem! Adhuc, numinis æterni gratia, virtuti musisq; seriò dicatos novimus plurimos: hos tamen variis sociorum in conversatione inquinamentis non posse non infici, vel me tacente ultrò omnes fatebuntur. Neque verò id mirum! Si enim tanta vis morborum est, ut, qui in pestilenti domo vivunt, sani licèt & incolumes, quamprimum peste flagrantibus corporibus assident, attactu ipso corrumpantur: quanto faciliùs sanos quoque optimarum mentium mores pravorum cohabitatio pervertere, & venenata vitiorum lue totas corrumpere valebit? Multum omnino, Auditores, ad egregiæ indolis vel perversionem, vel plenam sæpè eversionem potest conversatio, ut plurimi, ne cogitantes quidem istud aliorum imitentur vitia, quiquscum vitam degunt. Unde qui cum stultis vivunt, non magis sapere possunt, quam benè olere, qui in sordida culina habitant. NEMO improborum non aliquod nobis

nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit; ut cum Seneca loquar, utique quo major populus est, cui commiscemur, hoc periculi plus est, ne à vitiorum caterva cum populo etiam submergamur. Avarior forsan redis, ambitiosior, luxuriosior, virò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fuisti. Subducendus ergo est populo tener animus in solitudinem: facilè transitur ad plures. Unicum aut luxuriæ aut avaritiæ exemplum multum mali facit. Vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes quamvis candido & simplici, rubiginem suam affricat. Unde Triumvir Romanus, M. Antonius, scelera tanta, quibus postea obnoxius fuit contraxit? Nonne ex Curionis familiaritate. Unde Chalcedonii, cum priùs frugi essent homines, tanta postmodum hausérunt vitia? Nonne, Athenæo referente, ex Byzantinorum familiaritate? Quis non omnibus detestanda modis talia exempla dixerit? Quis vim humanæ conversationis, ad imprimenda vitia, non intelligat? NIHIL enim honestos & in rectum inclinatos animos ad pravum magis revocat: nihil majus homini, afferre damnum & periculum potest: nunquam ipse tot tantisque voluptatum illecebris, quot quantisque inter varios earum, cultores, stimulatur. Quin imò, ut pacatissima flumina, quæ lentitudine sua cursum oculis eripiunt, ubi venti incubuerint, ex surgunt ac tumultuantur: eadem de animo

etiam quietissimo velim cogitetis. SURGIT in eo avaritia, si cum avaro sordidoque homo vixerit : surgit tumor, ubi cum superbo conversabitur : nunquam sævitiam in tortoris contubernio ponet : Incendent libidines adulterorum sodalitia : si verò vitiis iis exui velit, longè à vitiorum exemplis, h.e. ex civili conversatione, ubi illa sunt, recedendum est. Ubi enim ea vitaverit, his etiam carebit. Vitâsse conversationem, vitiis caruisse est. Sed quis homo homines fugiendos diverit, dicat hic aliquis? Certè, si essent, quod dicitur, tuta esset cum iis conversatio. ERRAMUS autem, quod istorum, qui occurrunt, vultibus credimus : hominum effigies habent, animos verò ferarum : quisq; tantum, quodnam sit hominis officium, intueatur : alterum ne lædatur, alterũ ne lædat. Quis illorum aliquod observat? plerorumq; animi à laudabili Græci facto discordant, qui, ne contagiosi morbi lues hospitibus damnum afferret, lecto vi morbi affixus, procul etiam advenientes secedere jubebat ne qui se attingerent, ardenter rogitans. Factum quidem laudabile, laudabilius tamen, quo hodiè in vita civili rarius. Quis enim hodiè omni licèt vitiorum tubigine dedecoratus, sociũ à contactu sui abigit? quisq; potiùs similem sibi facere studet aliũ, & pleno, quod dicunt, horreo, mala sua in eum effundit. TANTUM videlicet est hominis ab homine periculum ! tantum vitiorũ, in civili vita, est contagiũ ! Quid enim? serpunt ea undiq;, & per univer-

universum hoc disseminantur in proximum quemq; transiliant. Qui cavet, ne ab illis conspurcetur, vix cavet cum etiam cavet, etiamcum caviſſeratus, sæpe is cautor captꝰ est. Dum hoc dico, Auditores, dum hoc convers. damnũ excutio, & tabem atq; labem flagitiorũ communẽ mecũ reputo, vix quicquã aptius Sirenũ indolẽ atq; astutias, quàm conversatio, exprimere mihi videtur. Eas cum numero tres, ore & pulcritudine Virg. reliqua verò corporis parte piscis effigiem repræsentantes, effinxissent primi elegantio. liter. Secretarii, poëtæ, singulis etiã earũ triplicia, ad hom. animos variis modis demulscendos, instrumenta vocẽ se. human. Cytharã & tibias attribuêre : his ipsis autem usæ Sirenes tãta carminũ dulcedine inescârunt prætervigantes, ut sui ipsorum obliti in manifestissimã se cædem trahi paterentur. Añon n. satis expressa convers. imago hîc deprehenditur? Nihil prorsus, ad demulcendos prætervigantiũ animos, hæc monstra habuerunt, qꝑ non, majori cũ periculo, in convers. invénias. Ecquid aliud luxuries? quid ambitio? quid avaritia? quid nequam simulatio & dissimul. ejusdemq; generis mala infinita alia? Annon omnib. h. mare mundi navigantib. iminent in perniciem? Nonne Sirenib quibꝰcunq; deteriora sunt, omnia in nobis animi, corporis ac fortunæ bona & nos ipsos miserabiliter perdentia? Etꝙ vel in primis deplorandum, nemo ab his monstris esse tutus potest : omnes invadunt, omnes tentant, plerosque omnes superant. Ubi enim hodiè religiosus

Orpheus?

Orpheus ? ubi sagacissimus Ulysses, qui has Syrenes intacto animo transeat ? ut continuo tempestatum æstu navis Salva esse, portumque propositum attingere nequit : sic fama nostra & vita, pari passu ambulantia, in hac vitiorum turba nec semetipsa servare, nec ab interitu immunia consistere queunt. ILLE demum & solus ille bene vixit, qui benè latuit, qui civilem conversationem fugit, procul à pelago, procul à naufragio. Stultitiæ seipsum damnat, qui turbam præ solitudine, interitum pro salute expetit ! obstrepere autem hic mihi aliquos sentio, quibus nihil jucundius quotidiano multorum consortio videtur Sed ô miseram jucunditatem, quæ tantis mixta est amaritudinibus. Sit forsitan jucundum, conversari cum aliis, quorum mores cum nostris penitus conveniunt & similitudine amicâ nos sibi devinciunt ; sed ubi tales, quæso, etiamsi Diogenis lucernâ simus instructi inveniemus ? Unum si fortuna nobis suggerit, centum nos circumstant alii, qui vel ignorantiâ, vel elatione animi, vel stultitiâ, vel malitiâ, vel aliis pravis moribus fastidium nobis creant, qui nos ita conturbant, ut & animo & corpori gravissimum damnum afferant. Apage jucunditatem ejusmodi, quæ doloris astutiæ & virulentiæ technis sectatores suos in nunquam finiendæ damnationis barathrum detrudit. O magna potius Civilis conversatronis incommoda ! O immundum vitiorum palatium ! Siccine te, Munde

Munde immunde, qui sedes conversationis ejusmodi es expectamus ? Monstrum es multiceps, quis te non fugiat. Regnum habes ? nomen magnificum suspicio ; sed sceptro tuo, quod voluptas est, subditos, cum sensu & ratione, evertis. Quis ergo te, cum omni conversationis apparatu, non fugiat ? Quis non optatam expetat solitudinem ? hæc sedes est sapientiæ ! hæc sacrarium Virtutis, & tutum contra vosuptatis impetus præsidium, ut, si quis, extra turbam, vitam placidè, modestè & sedatè in ea instituerit, læto latoque tramite. Duce Bona conscientia, comitibus Virtutibus, ad integræ felicitatis possessionem, facilè progrediatur.

CONVERSATIONIS COMMODA.

ORATIO

INter alia naturæ opera, quæ, Solis beneficio, in terris generantur, non immeritò mirantur naturalium consulti, ignem quoque fatuum, qui, sicut viatores, tempore nocturno, sæpius illudit, &, velut fatuos, circumducit : ita imperitiores quoque in paludes, in flamina, in præsen-

præsentissima vitæ pericula præcipitat. Nisi me omne fallit judicium, tanta ad hunc ignem similitudine, fallaces hominum opiniones, accedunt, ut nec ovum ovo, nec lacti similius videatur. Sicut enim ille quandam ignis veri speciem mentitur, ut, modò præcedens, modò subsequens, viatorem, in diversa huc illuc trahat, &, prout ab aura conspirante pellitur, impellat, variè mutabilis, & verè fatuus: pari ratione CONCEPTA semel animis opinio fallacem refert veritatis speciem, ut mens nostra ab uno moveatur ad aliud, dumque se autumat tutissimè sequi, adeò non sequatur, ut præcedat magis, &, quò vel remissior, vel concitatior ratiuncularum aura impulerit, hinc inde ventiletur. Sed quam milerè nonnunquam ignis iste in errores, in præcipitia viatores pellicit? Dum enim illi, pagum se aut villam in propinquo conspexisse, putant, &, præ nimia lætitia, gestiunt, sedulò illius legunt vestigia; sed falsa illos decipit opinio: in fossas, in amnes, in profundas valles, aut paludes præcipitantur: Idem accidit tenacibus opinionis suæ sectatoribus, maximo in discrimine constitutis, cum, in urgenda vitæ via, Ducem alium non eligunt; sed splendidè fallacia mentis suæ cogitata unicè sequuntur. Certè, viatoribus, iter noctu facientibus, nullum aliud evitandi præcipitia & pericula medium suppetit, quàm, ut, neglectis quibuscunque, aviis, quàm cutatissimè regiam, assumtis

assumtis quoque facibus, observent, neque ad dextram, neque ad sinistram extra ferentem callem, deflectentes: similiter, IN dubiis obscurisque negotiis, via veritatis regia exactè observanda est: hæc docet homines, hæc ducit ad felicem prosperitatis metam: in hujus læto latoque tramite feliciter progredi possunt. Et hanc ego quoq; in præsenti quæstione, de Civili Conversatione, terere apud animum constituimeum, ne ab igne Prædecessoris mei fatuo, in varia errorum præcipitia seducar. Quid enim aliud fuerunt rationes ejus, adversum conversationem civilem allatæ, quam ignes fatui? Certè, quò propiùs ad veritatem lucis accedere visæ sunt, aut videri saltem voluerunt, eò plus habuerunt fallaciarum, eò studiosiùs in bivio hærentes confundere, adeoque artificioso errori implicare conatæ sunt. Tria in medium produxit conversationis civilis incommoda; sed à negotii hujus scopo planè aliena: tres quasi fatuos ignes, in Musarum campum, propulit; sed verè fatuos, modò huc, modò illuc versatiles: liceat mihi, vestrâ veniâ & indultu, Aud. tres tantùm veritatis faces, in conspectum vestrum, afferre: liceat eas totidem erroribus opponere; quanquam longè plures essent, quibus totum hoc negotium non parum illustrare liceat. Verùm plus satis ab his paucis confundetur, quicquid extra veræ lucis fontem, ex umbraticis opinionũ halitib. huc usq;

produ-

productum est. Quod dum, sermone imbecilli, in ampliſſimo hoc conſeſſu, facere conor, humiliter & humaniter à vobis, A. peto, quod, ex hoc loco, plurimi ante me petierunt, omnes impetrarunt hactenus, ut indulgentiam & benignitatem veſtram mihi ne denegetis. Mirum, ſine dubio, auditu fuit omnibus, quod, in ipſo orationis frontiſpicio, à Prædeceſſore meo prolatum eſt : civilem converſationem profectus in Scientiâ & Virtute impedire. QUID enim magis eos, quid efficacius provehit ? ILLA propemodum unica eſt via, quæ Scientiæ & Virtutis amaſium, ad utriusque cultum, provehit, quæ illum ad lauream felicisſimè deducit. SCIENTIA profectò nulla nobiscum naſcitur, nulla inter arbores circumerrat in deſerto, nulla certo loco inclusa latitat. Quis enim omnium Philoſophorum hanc, in ſuis inſtitutis, opinionem ad nos transmittit? Quæ ſtoa? quod Lyceum ? quæ Academia tam barbarè, tam horridè inſaniit ? In civili converſatione hauritur, quicquid ſcientiæ, in hac rerum natura, hauriri poteſt: ab hac omnium & divinarum & humanarum rerum cognitio proficiſcitur. In quem finem aliàs Majores noſtri, Viri Sapientiſſimi, congreſſûs docentium diſcentiumque publicos ordinârunt ? Nonne, ut ab ipſo vernantis ætatis flore, in juventutis vigore, ad varia doctrinarum ſtudia excitemur ? ut in frequentiori virorum doctorum conſortio, ad ſanctiſſima ſcientiarum

tiarum peneſtralia, ducamur ? In erroris ſcopulos impigere videntur, imò verè impingunt, tutores ſequioris ſententiæ, qui doctrinam in ſolitudine meliùs, inter libros, quàm in converſatione, inter eruditos homines, acquiri putant. Longè ſecus ſe res iſta habet, Aud. Tritum hoc, & veritatis aſſenſu communitum verbum eſt : SCIENTIAM meliùs apprehendi auribus, quàm oculis : vivam Præceptoris vocem plenius ac planiùs quaſi paſcere animum : altiùs in eum deſcendere, firmiusque ibi hærere, quæ pronunciatio, vultus, habitus & geſtus docentis infixit. Nec oculorum certè aciem ſemper hebetatum, nec, vertendis ſcriptorum foliis, digitos attritum iri, puto, ſi ipſorum præſentia Autorum, ſi viva illorum vox, quæ mirabili virtute per meatus aurium in mentem penetrat, haberi ſemper poſſet. Ecquis enim, ſi legenti quippiam obſcurum, aut difficile in ſolitudine occurrerit, à libro, omnibus precibus, ut ſibi illud explicet, impetrare poterit? Inde eſt, quòd multi cognitu difficiles abjiciant Autores, truci dicentes ſupercilio : Si non visintelligi, ſanè nec ego te intelligam : inde eſt, quòd ſcientiæ amorem multi amittant, & ſub ruditatis pallio, quàm ſub Palladis vexillo, eſſe malint. Quanto utilius inter viros doctos communia fervent ſtudia ? Quisque ibi particeps ſit omnium, quæ ſingula magnis quilibet laboribus apprehendit. Sectati certè ſunt quovis tempore eruditos conven-

tûs, ingenio & doctrinâ excellentes Viri, probâ quadam ambitione ducti, in quibus eruditionem suam periclitarentur, dantes & recipientes invicem studiorum fructûs, quos hinc inde colligerant. Nullus unquam Philosophus tam austerus fuit, qui omnem fugerit conversationem: quisque, cum suæ saltem sectæ sociis, coluit. Quod autem, vulgo adversatum esse Diogenem, dictum est, quis negat? Nihil hoc ad nostram Andromachen: gratam ei Doctorum conversationem fuisse tam est certum, quàm quod certissimum: quid ergo vulgi aversatio obvertitur? Eant modò solitudinis tutores, alios, si possunt, nominent, &, quonam fine studia tractentur, secum expendant! Cui enim bona varia discuntur? num ut nobis solis sapiamus? ut parietibus & muris nos continentibus discamus? nequaquam. Homines sumus, idcirco NON solùm nobis; verum etiam patriæ, amicis nati sumus, ut his nostra, & hi sua nobis, in amica couversatione, communicent. Extremi sese vituperii maculâ contaminat, qui nihil, nisi sui solius causa, discit, agit, sapit: quicunque demum ille fuerit, aut penitùs in solitudine langueſcet, aut cæco sui amore, irranique persuasione tumescet. Profectò non dissimiles sunt homines ejusmodi avaris, qui faciliùs dentem sibi unum ex ore, quàm unum ex arcâ obulum eximi patiuntur, & per fas nefasq; corrasas opes tenaciùs, quàm par est, possident; sed quid dico possident? possi-

dentur potiùs ab ipsis, nec quicquam in commune bonum afferunt. Quanti, quæso, pretii censenda Musica, quæ non auditur, quæ suavi sonorum temperatione aures non circumsonat? Tanti quoque sapientes illi, qui, se sapere, in publica luce non ostendunt. Laudatissimè omninò Socrates, divinus vir, qui, etsi aliunde non fuisset meritus, ut sapientissimus omnium, in hoc mundo, haberetur, hunc tamen promereri titulum inde poterat, quod primus Philosophiam Moralem de cœlo detraxerit. Videns enim alios Philosophos, naturæ contemplationi prorsus deditos, non solùm ipsemet sapere, & benè vivere, aut alios præcepta vitæ docere statuit; sed & totum sese consecravit culturæ partis istius tàm utilis, quàm necessariæ ad communem hominum vitam, ut conversationem rectiùs instrueret, & hominũ societatem arctiùs firmaret & formaret. Quo ipso manifestam facit omnibus illorum, ut mollissimè dicam, imprudentiam, qui lucernam eruditionis suæ sub modio potiùs occultare, quàm publici congressus quasi candelabro imponere laborant. Longè secus statuit celeberrimus ille Architas Tarentinus, semper hoc in ore ferens: Etiamsi, Dei gratiâ, concessum alicui esset, ut cœlos ascendere, & mundi hujus naturam, ac stellarum pulcritudinem contemplari liceret, mirabilem tamen contemplationem illam non adeò ei gratam futuram, nisi postmodum haberet, cum quo ea, quæ

vidisset, communicaret. Recte nimirum censuit Vir Maximus: SICUTI omnia quæ mundi ambitus complectitur, ad usum hominis complectitur: ita quoque hominem ad hominis usum & societatem factum esse, ut, mutuo amore & subsidio alii, succurrant aliis & dando accipiendoque communes utilitates conferant. Quàm gravis pœna sceleratis infligitur, si, procul ab hominum remoti consortio, in latebris obscuris asservantur? GRAVIS enim afflictio est, inter homines quidem vivere; & tamen nullo perfrui. Nulla sine socio voluptas dulcis: nulla virtus est commendabilis. Unde enim hæc acquiritur? unde comparatur? Unde, Aud. nisi ex Civili conversatione, ubi rudes elimari accuratiùs, & à squalore vitiorum expurgari solent. Hæc est illa officina, in qua mentes nostræ ad virtutem, & bene vivendi rationem, concinnantur, in qua meliorismentionis scintilla excitatur, quæ inertia latendi aliâs supprimitur. Quemadmodum admotus prunæ carbo revivescit: sic vitiorum cultor, (nisi planè desperatus est,) honestis se conjungens, de virtute eorum participat, imò & mores induit. NULLUS aër tantum prodest sanitati, quantum animis interdum bonorum consortia. Non equidem negârim, perditos socios virus efficaciter illis, quibus sociantur, fœdi, si ea vis malorum est, quidni & boni quoque aliquod bonum locis relinquant? Certè, ut gratissimus odor ex moscho in alios diffunditur:

ita à bonis nescio quid boni, adversus proximum, exhalat, & latenter ibi infusum obhærescit. Frustra tale quid in solitudine quæsiveris: SOLITUDO omnia nobis mala persuadet, & ad peccandum stimulat; autoritate aliorum in conversatione custodiendi sumus, magnus ait morum Doctor, Seneca. Neminem tuipsius tam rigidus quispiam censor est, coram quò peccare non audeat; aspectus autem aliorum reveremur, &, si quid bonæ mentis reliquum, vitamus vitia. Nemo est, cui non satiùs sit, cum quolibet esse, quam secum. Crates ille, cum vidisset juvenem secretò ambulantem: quid illic solus faceret? interrogavit, mecum loquor, inquit: cui Crates porrò: Cave, quæso, inquit, & attende diligenter, ne cum malo homine loquaris: Si ingentem timentemq; custodimus, ne solitudine molestetur, multò minus ea improbis fœcunda est. TUNC enim mala consilia agitant: tunc aut aliis, aut sibi ipsis futura pericula struunt. Tunc cupiditates improbas ordinant: tunc, qui quid aut metu, aut pudore celabat, animus expromit: tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam instigat. O egregium scil. in solitudine virtutis exercitium! O egregia lucifugarum opera! Quid machinantur secum amplius? novum fortè mundum, instar puerorum, à se structum, suis speculationibus destruunt? destructum reficiunt? vel pullos excludunt? verbo dicam: tempus pendunt, muscas, cum Domitiano,

mitiano, venantur & interficiunt. Hic enim Imperator, inter principatûs initia, singulis diebus horarium sibi secretum sumere solebat, nec quicquam aliud, quàm muscas captare, & stylo præacuto configere, ut cuidam interroganti: esset ne quis intus cum Cœsare? non absurdè à Vibio Crispo responsum sit: ne musca quidem. Et quid sine conversatione Virtus est, si tota in actione sita est? Cui bono erit muta illa & otiosa in solitudine philosophia? de qua non minùs verè, ac de fide, non nemo dixit, quod absque operibus sit mortua: nulli enim adjumento est, ne ipsi quidem, qui eam didicit. Nemo unquam, suo incluſus conclavi, pro Rege, aut lege fortem sese gessit. Non, opinor, ibi Scipio, aut Hannibal, aut Hector, aut Achilles invenerunt, quod in illorum præclarè factis passim cum honore celebratur. Liberalem verò quis se, extra conversationem, exhibebit in solitudine, cum hæc virtus, in accipiendo & dando aliis, consistat? Quis prudens sine conversatione evadat? quis omnis honestæ societatis conservatricem, prudentiam, sibi societ? Quilibet profectò, qui multum salis (quod dicitur) alibi, extra lares suos, comedit, scire ipsemet potest, quantum in hac virtute profecerit, & quantum differat ab iis, qui non nisi unius campanę sonum audiverunt. Non igitur absque ratione, ut magni illius Ulyssis virtus & prudentia ostenderetur, ad immortales ipsius laudes dictum fuit:

Multas

Multas ipse etenim terras peragravit & urbes,
— Et varios hominum moret cognovit Ulysses.

Quid, quæso, jam videtur vobis de solitudine? Aud. quid de conversatione? Mecum, nisi totus fallor, statuetis, OMNIA sapientiæ & virtutis bona in conversatione latere, & largissimis inderivis, velut limpha ex suo fonte, in omnes vitæ partes derivari: hanc solam esse basin scientiæ, Matrem honestatis ac prudentiæ, quam qui Ducem hac in vita non agnoscunt, sponte suâ errare malunt, quàm sapere. Et ubi alias conformatur bona indoles? ubi ad felicitatem civilem confirmatur, quàm in civili vita? Hîc solidatur eruditio: hic emendantur vitia, ut ad qualem qualem perfectionem, in hâc imperfectionis sede, excitemur. Sicut faber, qui ægides aut loricas conficit, nemini, de firmitate illarum, satis cavet, nisi hastæ, vel acinacis, vel bombardæ ictum eas sustinere probaverit: ita Vir, à studiis liberalium doctrinarum eruditus, de sua sibi eruditione nihil solidi polliceri potest, nisi aliis doctis associetur, quibuscum, disserendo & disputando, profectuum suorum reddatur certior. ERUDITIO conversando inchoatur, conversando firmatur: quid extra eam? animus solitarii aut languidus redditur & piger, cum non adsit, qui doctrinam ipsius explorando stimulet: aut vanâ persuasione, tumidus & superbus effertur, dum

neminem secum comparat. Quam efficax ad inflammandum animos medium laus? Certè

EXCITAT auditor studium, laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Quam potenter negligentes quoque aliorum æmulatione instigantur? ut enim quisque ignominiosum sibi ducit, æquali suo cedere: sic magni honoris loco habet, si superiorem possit superare. Omnia verò hæc; at quanta illa omnia nonnisi in conversatione contingunt. Et hinc nobilissimo pictori Apelli quoque placuit, picturas suas publico exponere, &, in abscondito, circumstantium judicia de iisdem attendendo, percipere, ut, si multis in alicujus partis reprehensione, convenisset, ex communi illorum opinione eandem corrigeret. Rectissimè! Quod si alius quidam pictor populum Magistrum suæ artis jure dixit, quidni & nos Civilem conversationem Magistram melioris vitæ appellabimus? NIMIUM sese in discrimen abducit, qui suo tantum judicio nititur; qui autem audit alios, multa, ad confirmationem eruditionis & virtutis, audit ac discit; imò, ad emendandam in se vitiorum labem & tabem promptior redditur. Quotquot enim sub eorum mole vapulant, à civili conversatione saluberrimum adversus ea Mithridatium sibi comparant. Hic, mollitie & fœmineo affectu putidus, excitatur à sociis, & ad fortitudinem,

nem, quotidianâ admonitione exemplisque acuitur; iste, obscurâ suspicionum nube circumfusus, ubi se inter socios amicos esse videt, ad sanam mentem & sinceriora de aliis judicia revertitur. Alius, Euclione tenacior, dum quotidie ridetur, mentem mutat; alius, ineptus Corydon, rusticitatem suam, cum ab aliis vexatur, emendare annititur. Quis æquor illud exemplorum omnium exhauriat? sic, sic in ordinem solent homines, in conversatione, redigi, sic ad prudentiam, ad humanitatem, ad modestiam vocari, accommodare sese aliis coacti, & cavere, ne, quorum operâ in vita indigent, eos temere offendant. Sed hîc nobis Seneca opponitur, quem quidem eruditionis Principem, & incomparabilem virtutis Doctorem & Ductorem, quis non audiat? audiemus ergo ipsum; sed, ubi de insigni conversationis commodo loquens, manifestis verbis veritati adstipulatur: NULLA res magis animis honesta induit, (inquit) dubiosque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adspici frequenter. Occursus me hercule ipse sapientum juvat: & est aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facilè dixerim, quemadmodum prosit, sicut illud intelligam, profuisse. Videlia, Aud. quam inclementer adversus me dixerit Seneca! At verò, inquis,

mali in societate hominum inveniuntur plurimi, quis ergò illis sese misceat ? quis non eos potiùs & conversationem fugiat ? O infelix mollis animi judicium ! Quis tam delicatus est, qui animum ad magna factum, qualem nimirum omnes, naturæ beneficio, circumferimus, malorum formidine patiatur opprimi? DEUS est, qui malos bonis, bonos malis jungi, in hoc universo, permittit, ut malos in virtutis viam pelliciat, bonos in eadem per malos, nolint velint ipsi, confirmet. Sicuti, ob pluvias & nebulas, susceptum iter non interrumpimus; sed, contra impetûs & tempestates aëris, tunicis nos optimis, quoad fieri potest, munimus: simili ratione à vitæ communis conversatione cessandum non est, ob vitiosorum hominum impedimenta ; sed prospiciendum nobis potiùs de animo, contra quosvis vitiorum impetus invicto, quibus ne latum quidem unguem cedere, nedum flecti planè à virtutis via debemus. O beatum, qui virtutibus ita est munitus, ut omnia vitiorum tela eminus cominusq; pariter elidere valeat ! CERTAM vincendi spem animus præsumat, qui modò vincere cogitat. Spinas non metuit, qui calceatus incedit. Sic incessit prudentissimus, nec sine gratulatione mihi nominandus, Ulysses. Ille cantibus Sirenum, id est, voluptatum & vitiorum blanditiis, neque motus, neque à secreto itinere in vada & scopulos delatus est, sensit, fateor, earũ in se impetũ, sed repulit. Quid ergo multa

multa de Sirenibus periculosa Prædecessor mens affert, de illarum autem victore, Ulysse, piscę magis mutus est ? Quid urget tantopere : Sirenes in mare latitare, Sirenes prætervigantibus insidiari, Sirenes interimere improvidos ? quis hoc negat ? Illud aliquid est, & omnino urgendum, Ulyssem dolos illarum, quanti, quanti fuerint, evadere potuisse, Ulyssem vicisse. Cum enim eam Insulam, quæ ab amœnitate, florumque copia nomen habet, prætervigâssetHeros, ne dulcissimoSirenum cantu, ad exitium, pertraheretur, aures suorum sociorum obturavit ; se autem vinculis firmissimis malo navis alligavit, ut & illarum voces prætervigando auribus hauriret, &, quamvis mollibus cum invitarent verbis, propius tamen eas non accederet ; sed, firmo in patriam tendendi proposito, omnes blanditias, omnia monstrorum machinamenta felicissimè superaret, Macte hac virtute, Heros inclute ! exemplum nobis monstavisti & remedium, quo omnes timidorum victrices, Serenes, triumfare facilè possimus. Nemo itaq; à Civili conversatione abhoreat, si malos atq; mala passim errare aut tentare conversantes videat. Nemo nauseam, ad suavissimum mellis saporem, ducat, quod aculeatæ passim apes volitẽt : velamento potiùs tectus paterfamiliâs, aut alius, securè illas aggrediatur : ex voto succedent omnia ! Nec potest aliter, nisi ipsam hominis appellationem amittere prorsus velit.

Quid

Quid enim? NUNQUID hominis titulo honorandi sunt, qui adversam humanæ naturæ solitudinem amplectuntur? Certè, si philosophorum principem, imò ipsam veritatem, interrogemus: quid homo sit? Hominem naturâ civile animal & sociabile esse, præ omnibus animantibus, audiemus, quod ad societatem, quod ad ferendum & accipiendum ab aliis auxilium natum est. Quo enim aliâsipsi data sunt, duo isthæc societatis humanæ vincula, RATIO & ORATIO? utrumque sanè, suavissimo consensu, ad nihil aliud, quam ad rectum consortium istius, de quo dico, usum conspirat: utrumque eò fine datum est. Quid orationis bono gaudet homo? non ut ipse mecum colloquatur; sed ut ea, cum aliis in conversatione agens, utatur. Quid Rationis munere eminet? ut ejus usum aliis impertiatur, & discendo docendoque, ut consulendo, corrigendo, judicando, alioque animi adfectus exprimendo, bono publico exerat. O ingnem rationis & orationis usum, qui ad mutuam in civili vita conjunctionem homines animat! O Ingratos illos, qui peculiaria hæc divinæ gratiæ munera non usurpant? INDIGNUS est beneficio, qui eo nescit uti. Indignus itidem, qui, nativæ suæ excellentiæ immemor, desidem in obscuro vitam agere, quàm Orationem & Rationem, in civili vita, adhibere, mavult! pessimè vixit, qui semper latuit, qui sui usum aliis non præbuit! Interitûs fortasse peri-

periculum timet? varia incommoda in conversatione metuit? Eò studiosiùs se muniat: eò firmiùs advertus mala circumstantia se præparet. Videte viatores, & sequimini, quicunque illa melitiæ, à civili conversatione, absterremini! Quid, quæso, iter latronibus infestum ingressuri, faciunt? omnibus ad tuendum sese necessariis instructi, circumspectè ambulant, undique paratissimos se exhibent; Salutem sibi suam curæ ac cordi esse ostendunt. Ita vos, quæ ad laudabile conversandi studium ordinantur, observetis, prudentiam & cautionem sedulam sequamini. Tutos illa præstant conversantes, à quocunque malorum impetu: à damnis memoratis felicissimè tutos præstant. Unde verò ea sunt petenda? Unde, Aud. nisi ex illa ipsa civili conversatione. HÆC sui studiosus homines & tentat simul, & instruit. Hæc sauciat nonnunquam, & sanat. Hæc cautionem requirit ab homine, & docet. Hæc vitiorum ulcera & abominabiles vomicas aperit, & artificiosa simul manu medelam offert. Quis igitur hanc aversetur pervicaciter? Quis non ambabus ulnis complectatur luculentum hoc vitæ nostræ beneficium? Quin potiùs gratulamini vobis, Auditores, tam sublimem, tam familiarem vobis viam, qua hactenus tam promptè instituistis, & ad excelsos variorum honorum gradus evecti estis! Gratulami vobis de successu actionum civilium felicissimo! At vos, O juvenes, ad decus patriæ & virtutum nati,

macti

macti animis eximiis, & conversationem, ita civili vita, prudenter & utiliter sectamini. Hæc laudatissimis Scientiæ & virtutis bonis vos instruet! Hæc connatam vestræ indolis bonitatem magis magisque conformabit, & confirmabit! Hæc & Orationis & Rationis usum in vobis ita erudiet, ita commasculabit, ut læto latoque tramite, per aspera quæque ad astra, per labores ad honores, secundis votis & fatis, enitamini.

PROGRAMMA INVITATORIUM.

CYCLOPUM MORE VIVUNT, QVICVNQVE INFormationem Juventutis publicam negligunt.

VOx ista Veritatis est, quam Veritatis edidit Philosophus. Aureolos nimirum libros, quos de moribus exasciavit, dignâ ornaturus coronide, publicam educandæ juventutis curam singulariter inculcat. Quid verò ita? numquid eam tanti censet esse, ut suo omnia complexu ambiat? Tanti prorsus censet, maximum omnium, quæ dici possunt, ad stabilitatem Reipublicæ, disertè nominans. FRUSTRA

STRA quidem omnem præceptorum struem esse: frustra varia Virtutum anathemata, in augustali Ethico, splendescere: frustra leges qualescunque decet statui, nisi forment, nisi firment: informationem publicam: nisi hujus contemtores cogant in ordinem: nisi cœcam educandi liberos libidinem, Cyclopum morem, comprimant, Vnde enim, nisi ex hoc venenato fonte, oritur, quod multi suos disciplinæ publicæ subtrahere, leges illis atque jura domi dare, neque tam ad Patriæ, ut sanè debent, quàm ad suum educare placitum audeant? Quasi non sit pars negotiorum publicorum Pædagogica: quasi, citra publicam solertiam, à quovis curati privato queat: quasi vilis & exilis ejus opera. Toto cœlo errant, qui hæc somniant! Nulla quidem puerilis educationis pompa est fateor; nec potest esse. Fundamentum est magni operis: in obscuro ergo latet, fastigiis ædificii solummodo eminentibus; illud tamen nisi probè jeceris, hæc statim corruent. QUANTA enim jacti est necessitas, tanta jaciendi difficultas. Vt ergo probe jaciatur, accuratum architectum quærimus: hoc est, consultam rerum omnium prudentiam, ad educationis curam, desideramus. Hanc verò in quibusvis Titiis aut Cajis, minùs aptis Magistrorum publicorum censoribus, quis inveniet? Magistratûs est, mensuram, spatium junctûras fundamenti hujus constituere: Magistratus est, consiliorum vires huc referre, ut sanctitas & firmitudo, ut honor & autoritas educationis publicæ salva maneat. QUOD enim genus curæ aut impendii eò dignius? quod cum majori gloria conjunctum, quam si omnis

omnis honestatis, omnis eruditionis cultum foveat? quam si laboret sedulò, ut non tam multis prasit, quàm optimis, publicamq; eorum rationem habeat, qui publico bono nascuntur? Sæpe admirari soleo orationem Mæcenatis ad Augustum. magnificus consiliorum ibi apparatus est: in apparatu summa vis ingenii; in hac augustum robur cautæ providentiæ; in robore concinna rebus elegantia. Magna sunt quæ statim, circa partes Reipublicæ ordinandas, circa dignitates novas exornandas, consulit, majora, quæ de Viris magnis, quibus ista subnitantur, addit; illud tamen maximum, quod de præclaro consummandi illius consilii medio explicat. Quod verò illud? Publica Iuventutis educatio: hanc enim ut in ludis literariis instituat Augustus, summopere hortatur, Doctoribus publicis (sic ipse loquitur) certo stipendiò conductis. O florem nobilis consilii aureum! ò dignum Mæcenate monitum! Intellexit scilicet Vir rerum callidus & temporum, REMPUBLICAM, ex tali educatione, sanguinem & spiritum capere: ex hac servari & augeri. Vnde enim alias formatur recta ingeniorum indoles? unde, nisi ex ingeniorum indole, consiliorum ratio? unde, nisi ex hac ratione, publica pendent negotia, salutem, decus, gloriam præstantia? Magnum Lacedæmoniorum nomen est, magnum inter Græcos & Latinos, magnum inter Oratores & Philosophos, quod tantò juventutem accurârunt studiò. Præcipuæ dignationis viros, Pædonomos, ordinârunt: solennem educationis curam iis commiserunt: periscula profectuum frequentia fecerunt: disciplinam sanxerunt

sanxerunt rigidam, fixisq; omnia firmârunt legibus. Has nemo civium negligere, nemo disciplinæ publicæ filium subtrahere impunè potuit. Successu certè felicissimô! Imperium totius Græciæ, hac educationis formâ, consecuti sunt. Macti este curâ illâ laudatissimâ, Heroës! macti æmuli eorum, Athenienses! quorum Sophronistæ unum hoc egerunt, uti suus Cynosargi, ludo publico, constaret honor, & ad unam formarentur normam publicæ felicitatis subsidia. Neque id immerito! Nonne enim unus Civitatis finis est? ad unum ergo istum una tendat educatio: unum hujus modum prudentissimorum statuat solertia, ut publicâ autoritate solidetur. NEMO civium se suum judicet cum suis; sed omnes Reipublicæ: in hac ad unitatem concinnentur omnia, quandoquidem ab uno tandem ad unum respiciunt omnia. O beatas Civitates istô ordine! quem quidem ut & veteres Romani tuerentur, publicum Pædiæ cultum in Vrbe Domina vigere, ludosq; privatorum arbitriorum exulare voluerunt. Docent hoc Censoria adversum eos decreta: loquuntur alidem mihi quot Senatûs consulta, quorum unum cum jam pridem mihi augustus subijceret Historicus, operæ pretium me facturum putavi, si unum atq; alterum, ex cordatæ eloquentiæ amasiis, de Educatione publicâ dicturos producerem. Non defuit fortuna judicio meo, tres mihi Iuvenes Eruditissimos, JOHAN. Wedemeier / BALTHASAREM Romberg / JORDANUM Hilling / offerens, qui publicum doctrinæ specimen Patriæ exhibere volebant. Promisi illis meam operam; sed dum de forma cogito,

quâ commodissimè hoc argumentum tractari possit; Romana occurrit legislatio. Ad hujus ergo ductum omnia disposui, ut primus, subpersonâ Cos: ferenda legis Scholasticæ rationem explicet: Secundus, ceu Tribunus Plebis, novam legem Plebi suadeat: Tertius contra legem istam plebis nomine fidenter agat; Cujus tamen impetum sedaturus Consul denuò verba faciat, verumq; legis sensum subjungat. Parata jam sunt omnia, sequenti d. XIII. Martii, in sancta Palladis nostræ foro, peragenda. Cumq; de præcipuo Civitatis bono non indigna forsan auditu profutura sint, omnes boni Patrii Tutores Fautoresq; omnes status literarii cultores & æstimatores reverenter, amicè, humaniter oratos velim, ut honorem nobis istum exhibere, & ad hanc Panegyrim Gymnasticam frequentes convenire ne graventur. Quod quidem in nos studium non agnoscemus tantùm; sed & mente memori ad laudem semper conservabimus. Dabam Rigæ, ex Museo, ipsis Calendis Martii, Anno 1649.

DECRE-

DECRETUM SCHOLASTICUM.

ORATIO PRIMA.

Sub Consulis Romani personâ.

GRatum omnino accidit Senatui, Quirites, quòd ad edictum publicum, statoafixum tempore, frequentes conveneritis, eximium vestri obsequi specimen edentes, quo sine frustra Magistratuum imperia administrari, publicæque rei statum in pejus tuère, imò planè corruere intelligitis. Laudanda isthæc vestra est solertia, quod non titulo tantùm; sed revera quoque boni Cives esse contendatis, qui non minorem, atque ipsi Patres conscripti, curã, insalute publica tuenda, ponant. Gratias vobis hoc nomine agimus, & hortamur sedulò, ut, constanti erga Patriam amore concitati, similem posthac subinde obedientiam, parem nobis in obsequendo promptitudinem exhibeatis: nos omnes vicissim curas, omnia studia, in vestram vestrorumque omnium salutem & incolumitatem, studiosè impendemus. Cum

verò impræsentiarum vestri causa proponenda sint aliqua, de liberorum nempe institutione, quæ nemini non potest esse inter curas præcipuas ceu fulcrum publicæ salutis præcipuum, cui nostra & vestra prosperitas, splendor, gloria innititur, sperant Patres conscripti & volunt, quotquot vestrum confluxerunt, attentis animis auscultent. Postquam, sub auspicium præsentis anni, fasces Consulares mihi traditos susscepi, omne studium, in depellendis boni publici incommodis, pollicitus, statim intellexi, Quirites, NULLUM munus Reipublicæ majus, nullum melius afferri à me posse, quàm ipsius fundamenti, si Juventutis sedulò instituendæ, providentissimam rationem inirem. Quid enim studiosiùs agendum salutis Patriæ tutoribus, quàm, ut ea maturè & in herbis, quod ajunt, succrescens optimis formetur & firmetur studiis, dum facilè adhuc tractabiles animos ad optima quæque convertere licet? Postmodum enim franguntur citiùs, quàm restaurantur, cum in pravum induruerunt. Animadvertimus autem, magna detrimenta progressûs Juventutis nostræ affligere: nescimus, unde tanta morum iniquitas in Rempublicam irruat, unde tot procellæ in curias nostras oriantur. Sed, quid dixi, nescire nos? dudum hujus mali cubile, per vestigia sua, deprehendimus: dudum corruptelæ hujus fontem indagavimus in hac urbe Dominâ, illum scilicet, quod multi vestrum suos liberos, neglectâ institutione

stitutione publicâ, pro lubitu in scholis clancularibus informari volunt, idque multiplici sæpius incommodo, quod in ipsos, & in totam diffunditur rempublicam. Contra illos ergo lege agendum esse, & coërcendam licentiam satis improvidam, Magistratus tandem censuit, ne muneris neglecti culpam apud saniores Cives, aut alios etiam populos, incurrat. CUM enim schola publica inter præcipuas reipublicæ partes emineat, in qua, ad institutum & conditionem reipublicæ, Cives educandi, publicâ etiam autoritate administrari eam oportet, & providere, ut conveniens rectaque puerorum institutio in ea suscipiatur. Certè, sicut exercitium religionis publicæ Magistratûs curæ subest, nec licet, pro cujusque arbitrio, nova sacra, nova auspicia, novos Deos, aut eorum cultûs introducere: ita quoque fulcrum illud publicæ felicitatis, Juventutis informatio, ad publicam Patrum dispositionem spectat, nec committendum, ut quisque sibi scholam, aut cum aliis, pro cæco sæpe lubitu, constituat. Quanto enim cum damno, quanto cum patriæ nostræ detrimento hoc fiat, ipsi procul dubio videbitis, Quirites. Nonne tam diversis modis privatim instituti pueri vestri, moribus quoque inter se distrahuntur, ut vix tantillum animis, cum viri facti fuerint, coalescant? magna medius fidius hæc est, in Civitate, simultatum occasio! ingens mentium distractio! quæ tantas omnibus querelas non exprimeret, si in schola

publica conjunctis operis, conjunctis animis, ab ipsa pueritia versarentur. AMICITIA sanè in schola publica contrahitur: amicitia, in schola publica contracta, in seram usque senectutem conservatur: amicitia ejusmodi non facilè hebescit, aut exstinguitur. Quid enim sanctius, quàm iisdem, sub eodem doctore, imbui artibus? sacris initiari? moribus formari? Quid efficacius, quàm iisdem admonitionum stimulis ad pietatem, ad virtutem, ad mutuum amorem erigi? Cui bono cum scholæ clancularìæ, si non planè obsunt, gravem ramen ponant obicem, quis, pacis amans publicæ, fovendas eas judicet? sæpius cum animo meo expendo Græciæ politæ Principes, Athenienses, & Lacedæmonios: utrique plurimum studii, in informatione publica, posuerunt, nihilque sanctius habuerunt cura ista laudatissima. Nec enim apud eos poterat Civis pro arbitrio instituere filium, nec cuivis instituendum committere. Indignum hoc fuisset facinus! Sed ubi septimum attigisset annum, Pædonomo sistendus fuit, virò ex prudentissimis optimo, ex optimis prudentissimo, quem post ea summis præfectum afficiis, in amplissimo dignitatis gradu, constituebant. Hic, aliquoties explorata, cum aliis viris gravibus, cujusvis indole, pari libertate & autoritate omnes, sive illustribus, sive obscuris ortos parentibus, in classes disposuit, ut publicè sub publica cura inter se studiis vacarent, & ad ea ducerentur, quæ

quæ statui reipublicæ Patriæ, & Ephororum consiliis utilia videbantur. Unde, si quis Civium indulgentior esset, & liberos publicæ institutionis disciplinæ subtrahere conaretur, is jure Civium, communi decreto, excidebat. QUID enim Civis ille reipublicæ conduceret, qui amorem liberorum caritati Patriæ, legumque Patriarum observationi anteferret? Nullus ipsis idoneus futurus Civis, aut par reliquis videbatur, qui pari cum reliquis disciplinæ severitate publicè, in ludo literario, non esset educatus. O salutare institutum! O curam laudatissimam! Nostri certè majores, cordati viri, neque consilii, neque audaciæ unquam egerunt: neque tamen illis superbia obstabat, quo minùs aliena instituta, si modò probassent imitarentur. Morem igitur Græcorum, circa, Romanæ Juventutis educationem, secuti, Censoribus hoc ipsum, quod Græci Pædonomis suis, commiserunt, ut, post exploratam Puerorum ingenia, sub Magistris publicis, in classes eos distribuerent, quò conjunctim necessariis virtutum præceptis & exemplis, pro conditione Reipublicæ nostræ, imbuerentur. Neque unquam illi patiebantur, ut privatim ullus ludus institueretur. Nota est severitas Cnæi Domitii Ænobarbi, & Lucinii Crassi, Censorum, quam adversus clancularios Doctores, qui se latinos Rhetores vocabant, & adversus assectas eorum, laudabiliter exercuerunt. Non fugiet vos Senatusconsultum, quod, Cajo

Fannio Strabone & Marco Valerio Messalla Consulibus, eâ de re publicatum est, ut in ludos itaret Juventus Romana, & publicos Magistros sequeretur. Quàm egregios inde Viros ætas superior habuit? quàm masculos honestatis & Patriæ cultores? pro Cive, qui cum ad amorem mutuum educati: pro Civitate, cui educati fuêre, quisque sanguinem & vitam fundere maluit, quàm institutis à puero acceptis uspiam adversari. Nostra tempora (pudet dicere, Quirites, sed quid manifesta occultem) rara ejusmodi Civium exempla vident: mutuis discordiis, simultatibus, odiis, facilè effervescunt animi, ipsius Patriæ, quæ tamen omni vita debet esse carior, Patriæ, inquam, salutem vilipendentes, quam à puero revereri publicè non didicerunt. Fatemur quidem, tot huc usque bellorum curis & tumultibus, varia Censorum opera, & in illis solertiorem scholæ publicæ curam, non parum impedita esse, ut tot hinc inde clancularia ortæ sint, quæ instituta Majorum optima pessimè conturbârunt; sed nunc renovanda est majorum opera, &, siquidem aliâ viâ pristinum publicæ Scholæ decus restaurari nequit, lege novâ in contemptores ejus animadvertendum, idque non nisi vestro vestrorumque bono, Quirites illud enim pro me majoribusque meis contendere ausim, nihil nos unquam neque privatos, neq; in magistratibus nisi quod commodum plebi esset, feciisse. Quam autem hoc est singulis & universis

universis commodum, quod faciliùs & feliciùs in Scholâ publica Juventus nostra instituitur? PRÆSTANTIOREM enim & meliorem procul dubio illam informationis formam fatemini, quæ in sapientia totius Civitatis consistit, quàm quæ ab unius alicujus sæpè improvidi, judicio pendet. Et qui non sit præstantior aut melior, una manente institutionis forma? quæ toties mũtatur, cum clancularius doctoribus, quoties annuus fortasse lucri captandi circulus absolutus est. Sicut enim lapis hinc inde provolutus, musco non obducitur: ita ingenia, quæ se certis Præceptoribus publicis constanter non applicant, rarò profectus colligunt eximios. Intricantur magis, quàm extricantur, impediuntur, quàm expediuntur, ut, aliquando publicis admoti officiis, parum aut nihil ad Patriæ salutem conferant. Ne nunc dicam, quod ad congressus publicos, in schola publica, paulatim assuefiant liberi nostri, ut in publicum aliquando prodire, verba publicè, pro sua aliorumq; prosperitate, facere ne abhorreant. Ut enim lumen tenebris, honesta conversatio solitudini & umbratili vitæ: hic institutio scholarum publica, privatæ meritò anteferenda est ab illis, qui in publica quondam luce versari cupiunt. Qui verò sunt, qui non cupiunt? Neque ullum mihi dubium est, quin animi omnium meliùs, sub communibus studiis, coalituri sint in pueritia, ut, viri aliquando facti & Cives, unitatem, reipublicæ animam,

meliùs sectentur, meliùs tueantur. Quod autem bonum, Quirites, vobis optabilius, nobis acceptius, universæ Patriæ utilius esse possit? quæ dissensionibus modò & contentionibus turpiter discinditur, & omnibus tamen gentibus Populisque modum vivendi monstrare debet. O si instauratione informationis publicæ in primis istud fieret! Omnes ergo eò contendere debemus, ut initia sese bene habeant, & Juventus nostra, sub honestatis & virtutis regno, in schola vivere incipiat, ut à nimia licentiâ, lena quædam generis humani, ad lerna omnium malorum sub disciplinam severiorem revocetur, mutuâ commilitonum æmulatione ad industriam, publicorum præceptorum cultu & vultu ad concinnos mores, amica conversatione ad solidum amicitiæ studium excitetur. Ne ergo Patres conscripti aut vobis desint, aut officio suo, re perquam sollicitè deliberatâ, rogare hanc legem & mea voce ad vos ferri voluerunt: NULLUS CIVIUM NOSTRORUM INSTITUTIONI SCHOLÆ PUBLICÆ FILIUM SUUM SUBTRAHITO, SECUS QUI FECERIT, GRAVEM POENAM CONTUMACIÆ LUITO. Adeste jam, Quirites, animis, qui corporibus adestis, & hanc ex nostro in salutem publicam amore profectam legem promtè sequimini! Semper hactenus, ut bonos, & laudatos Cives decet, Magistratum vestrum coluistis: semper obsequentes auscultastis nostris legibus: non

deficietis modò ab ingenio: non abjicietis curam Patriæ. Agitur res vestra, Quirites, vestrorum liberorum utilitas, fructus & honor agitur, qui tum propter indulgentiam vestram, tum propter naturæ sensum vobis vita cariores sunt: agitur Romanæ urbis & familiæ vestræ splendor, quem per eosdem, non tam Patrimonii, quàm imperii heredes, jure conservandum putatis. Interim tamen, ne quid contra populi Romani libertatem hîc agatur, quam sartam tectam servare omnes decet, sicut moris est, trinundini spatium examinandæ legi, & in utramque partem agitandæ habetis concessum. Ite nunc in suffragium, benè juvantibus Diis, &, quæ Patres censuerunt, vos jubete. Speramus autem, vos sententiæ nostræ accessuros esse, ideoque petimus, ut exacto tempore consueto, quæ super lege videantur, Tribunorum voce in Senatu proferatis.

DECRETUM SCHOLASTICUM.

ORATIO SECUNDA.

Sub Persona Tribuni Plebis.

QUod à Jove Optimo Maximo, cæterisq;

Diis Immortalibus, precati sumus, Quirites eò tempore, cum nos fortunasq; nostras devovimus, ut studiosum publicæ salutis Magistratum Reipublicæ concederet, factum esse in præsenti, meritò lætamur, & gratias, quantas quidem maximas mens nostra capere, proferre lingua potest, & habemus & agimus, quod preces nostræ tam clementer exauditæ sint: iterumque Deos rogamus supplices, ut tota Respublica Salusque Romanorum, diu feliciterq; vestris auxiliis in tuto subsistat, & Viri prudentes, quorum consiliis & autoritate hoc orbis imperium, & in eo justitia, Fas, fides & veritas, diutissimè, cum fama & gloria, supersint. Satis autem meminisse adhuc poteritis, quam legem Senatus noster, ote novi Consulis, de non negligenda Scholæ publicæ informatione, nuper rogaverit. Profectò, nisi prorsus me fallit animi præsagium, facilè ex prima hac lege, tam necessaria, quàm utili, apparet, quæ in posterum commoda, in universam Rempublicam, à novo Magistratu, expectanda sint. Certè de illa re Patres sunt soliciti, in qua præcipuum salutis publicæ momentum vertitur. QUID enim recta juventutis educatio est aliud, quam omnigenæ felicitatis pararia? quid aliud, quam fundamentum, cui salus nostra, cui vita, fama, & quicquid sanctum nominari potest, innituntur? Unde ea satis accuratè informata, non potest non ingens rebus nostris emolumentum accedere: quod cum serio hac lege curet Magi-

gistratus noster, idque pœna gravi proposita, non tam Dominum plebis, quàm patrem civium sese nobis exhibet. Ut enim pater providus hortatur primum verbis amicis liberos suos,, ut faciant officium; quod si verò obtemperare nolint, pœnas jungit monitis: sic ipse etiam & verbis vos amicis excitat ad obsequium, & præfractis contemtoribus debitam pœnam decernit. Sicut autem nihil alias tam salubriter constituitur, quod non quibusdam displiceat: ita ego multos etiam contradicentes è plebe audivi, qui legem illam omnibus impedire modis conantur. Quod cum indignum vestris moribus, & institutis hujus Civitatis, existimem, in concionem hanc vos arcessere volui, Quirites, cui nuper dignitatem Tribunitiam concessistis, & de isto negotio verba facere, ut contradicentium nonnihil sedetur importunitas, &, expensis rationibus, pronis animis lex isthæc, tam optata & necessaria, accipiatur. Nec enim dubito, quin, pro insigni vestro in patriam amore, si attentas mihi aures, quod precor, tribueritis, in eandem cum patribus sententiam sitis concessuri. Si apud ignaros rerum homines, qui prudentiæ & humanitatis sensu carerent, dicendum mihi esset, non asque magno labore, quod velim, obtentum iri scio; nunc verò cum apud Romanos verba faciam, quos & virtutibus eximiis Dii exornarunt, & singulari judicandi peritia rerum agendarum usus excoluit, ut ipsi liberorum

suorum

suorum commoda & damna possint liquidò dispicere, quid faciliùs me impetrare posse patem, quam obedientiam erga Magistratum, qui Romanæ juventutis institutionem cogere in ordinem, & debitum Scholis publicis honorem asserere laborat, lege sanciens : NE quis Civium Institutioni publicarum Scholarum filium suum subtrahat ? Nolo equidem repetere, quæ Consul prudentissimè, intuitu totius Reipublicæ, ad legem hanc suadendam, attulit, quanquam ea tam sint gravia, ut quemlibet cordatum ad assentiendum movere possint, imò debeant. Satis erit, ea tantùm tetigisse, quæ cujusvis nostrûm statum & conditionem propiùs respiciunt, & ad committendum informationi puulicæ liberos impellunt. Quis vestrûm est Quirites, qui, vel propter occupationes varias, dirigere suorum institutionem domesticam, vel, propter imperitiam, docendi modum intelligere valeat ? Agros colere, hostes vel invadere, vel depellere, sociis subsidia præbere, provincias ab impetu malorum asserere, omnes curas, omnes cogitationes in conservando orbis imperio occupatas habere ; hæc sunt Vestra, opera, hi nocturni diuturnique labores. Quomodo, inter illos, Civis aliquis liberorum institutionem diriget ? quomodo inspiciet ? & tamen NIHIL magis necessarium & utile, nihil minùs negligendum parentibus, qui suos ad meliorem frugem educari cupiunt. Nemo ullus quidem pater adeò incuriosus sit, ut

tit prorsus obliviscatur filios respicere, curandi illos munus jam privato præceptori injunctum cogitans. Imò, patrem adeò esse hac in re circumspectum, convenit, ut, si antea binis filium observavit oculis, nunc quaternis, si fieri potest, præceptorem clancularium respiciat. Sæpissimè enim magis, in eum animadvertere, quam discipulos castigari, necessarium est. Si non quotidie certior bonus pater de præceptoris cura, reddatur, quod quidem optimum Virum & Senatorem, Marcum Catonem, apud nos observasse novimus, cum domi suæ Chilonem aleret ; at singulis saltem hebdomadis inquirat oportet, ut decens carissimorum filiorum ratio habeatur. Alioquin SINE dubio socordior & remissior Educator erit, ubi filiorum educationem & institutionem cordi non esse patri senserit. Quotus quisq; verò nostrûm est, qui ejusmodi inspectationem administrare, in præceptores Clancularios, ipse possit, aut velit etiam, Quirites ? Fateri potiùs, si non omnes, plerosq; saltem, oportet, se non esse gnaros satis, quomodo pueri moribus & literis rectè imbuendi, qualesipsis præceptores præficiendi sint. INGENS animorum est diversitas, diversa inclinatio in nostris liberis : quis aptum unicuique præceptorem, suopte arbitrio, salutariter potest eligere ? Multiplex est in informatoribus hinc inde adventantibus varietas. Alii insigni quidem valent ingenio, variamq; sibi eruditionem collegerunt ;

sed

sed sibi: ad docendum planè sunt inepti & inhabiles: alii omnia suo videntur complecti supercilio, nihilq; in conversatione cum discentibus ostendunt humanitatis, in correctione patientiæ, in disciplina moderationis, aut judicii. Multa iis perperam, multa præposterè inculcant, sine lege, sine methodo sæpe tractant, quodcunq; tractant. Quantum ergo est periculi, ne, ex his vel illis locis venientes Magistri clancularii, magis corrumpant carissima nostra pignora, quàm juvant? Annon satis multi parentes in hac Republica Romana miserè hoc modo decepti sunt, dum existimarunt, filios suos domi institutos Platones fore, qui tamen, postea in lucem producti, vix Thersitas aliquos exhibuerunt prudentioribus? Annon satis multi ex: a scholam publicam clancularios præceptores dicam, an deceptores? nacti, vel persuasione nimia tumidi, vel assuetudine latendi valdè timidi evadunt, ut, si publico in loco tria aut quatuor illis proferenda verba sint, oculis tremant, atq; superciliis, & mediis vox faucibus hæreat, miserandi in dictis, inepti in factis, ridiculi in moribus? cumq; ipsi talia corrigere nequeamus, insuper habemus omnia! O miseram conditionem nostram, Quirites! Cæci sumus hîc, & neq; modum instituendi, vel neq; qualitates instituentium videre possimus, & tamen Patribus nostris, nostro Magistratui, tam providè pro nobis atq; nostris vigili, obedire detrectamus? MISER quidem est,

est, qui sibi ipsi nequit consulere; miserior tamen, qui nec aliunde consilium potest petere: omnium miserrimus, qui, cum consilium ex voto habere possit, contumaci quadam socordiâ illud negligit. Cavete precor, & providete sedulò, ne, subtrahendo filios vestros institutioni ludi publici, miserrimæ conditionis hominibus vestro merito accenseamini, quo quid Civibus, & quidem Romanis, rerum Dominis esse potest, indignius? turpius? damnosius? Dum hæc dico, dum varia clancularia informationis pericula mecum expendo, inmentem venit illud, quod Homerus de duobus doliis, ad Jovis limen positis, refert, ut ex altero horum omnia optata & felicia; ex altero mala & incommoda hominibus distribuantur. Nisi enim prorsus fallor, alterum eorum publici ludi, alterum clancularia educationis, qualis esse plerumque solet, imaginem refert. Ibi enim mentes puerorum variis ingenuarum artium atque facultatum ornamentis decorantur: ad modestiam, severiore disciplinâ, componuntur: alia multa comparantur, ex quibus salus, decus, commoda, tàm privata, quàm publica manant: Ex hac verò quid talium certò expectari potest? Sæpe queruntur homines: quam mali hodie mores regnent, quam latè dominetur in tenera præsertim ætate improbitas. Hæc enim adeò jam dedita est vitiis, tam propudiosè poculis indulget, lusibus sese dedit, & rebus denique vacat aliis, quæ patrimonium exhau-

riunt, quietem turbant, Patriam deformant, luctu nonnunquam ac mœrore parentes enecant. Uti Paris Homericus, è prælio profugus, cum Helena se oblectat : ita illi, relictis seriis, voluptaria sectantur, & in Dionysiaco agone perpetuò ad palmam currunt. Quod verò huic malo remedium ? vix ullum aliud, quàm quod lege istâ fuit propositum. Liberi nempe nostri publicæ Scholarum disciplinæ tradendi sunt, ut ibi à malitia nativa liberentur, ab usitatis vitiis avocentur, ad emendationem morum deducantur. Nimirum HOMO ancipitis naturæ est, & veluti medius inter Deum & bestias. Medium autem quod est, quò flexeris illud, eò inclinat. Quod si ergo benè homo instituatur, quidam quasi Deus fit inter homines: si malè, vergit ad extremum alterum, & fit bestia. Quomodo autem domi instituuntur nostri ? Quirites quid diffitemur ? nimis indulgenter & remissè! Si fortuna bonum quoque præceptorem domesticum obtulit, ipsi, amore occæcati, salutem nostrorum curare satis nequimus. Tanta est multorum patrum ta-miliâs in liberis educandis negligentia. in castigandis timiditas, in puniendis remissio & dissolutio! Quis verò fructus? quem Poëta nescio quis insinuat :

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Quid verò patrum dico ? imò matrum plerumque, quæ lacrumas puporum suorum videre, sine

sine lacrumis, gemitus audire sine altissimis gemitibus suis nequeunt. HINC, hinc nequitiæ alimenta pessima, quod vilis levisque parentum apud liberos autoritas: hinc, hinc impedimenta profectuum gravissima, quæ bonam sæpe mentem in herba perdunt & suffocant. SI in sua quisque nostrûm matrefamilias, Quirites, jus & majestatem viri retineret, minus esset ab isthac indulgentia periculi ; sed (dicendum enim, cum Marco Catone nostro, quod res est,) domi victa libertas nostra, impotentiâ muliebri, ut ad illius libitũ maxime parvulus heros scilicet educandus sit. Ad illius ergo libitum anteponitur eruditioni saltatio, pedibus ingenium posthabetur : inanis fidium strepitus non relinquit aures præceptori. Placent deliciæ : favent blanditiæ, & ita ipsi liberos nostros domi perdimus. Mollis nostrorum in domo educatio nervos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit ? nondum prima verba exprimit, jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Gaudemus, si quid licentiùs dixerit : verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus : petulantiam, lasciviam, fastum, vanitatem in cultu & vultu, levitatem in verbis fovemus, acuimus, stimulamus, ad omnia quamquam turpissima, ridemus. Fit ex his consuetudo, inde natura, discunt hæc miseri, quandoque ex nobis ipsis, antequam sciant, vitia esse, quid

non adulti faciant? inde soluti ac fluentes non accipiunt è Scholis publicis mala ista, si quando eas visitant; sed in Scholas afferunt. Hinc illæ lacrumæ, Quirites, quod nostrorum teneritudini nimium à teneris indulgeamus: hic unus est aditus & janua ad corruptionem morum: quod immodico liberorum amore, illos intra proprios complexûs & ulnas, simiarum instar, ferè jugulemus, & quos à Diis accepimus liberos, Murciæ & Vacunæ offeramus; quod ultrò præcipiti juventæ habenas immittimus, & ad vitia pullulantia, in fertili hoc nequitiæ solo, non connivemus modò; sed fertimus, probamus, applaudimus. Hæc, hæc DOMESTICA indulgentia tantum in omnes ætates, in totam vitam, in familias, Civitates, terrarumque orbem ipsum, importat detrimenti, quantum non potest ullius sermone explicari. Quid ergo hîc remedii? audiendus Magistratus noster, ad publicas mittendus Scholas puer est, ut ibi, sub disciplina accuratiore, vivat, & meliorem vivendi rationem induat ex arbitrio eorum qui publicâ Magistratus solertiâ ad hoc sunt constituti. Hi tenellos Civitatis surculos, nostras delicias, in spem salutis publicæ, ad debitam Eruditionis maturitatem, promovebunt: ad pietatis & modestiæ studium ipsi facem præferent, ne qua lubrica ætas, sine bono duce ac custode, per obscuras vias, in perniciem suam ruat. Satis quidem ampla nos stipendia clancularíis præceptoribus expen-

expendimus, incerto eventu: vegesima quidem pars sumtuum in publicam informationem eroganda venit. Si de comparandis tot eruditionis thesauris certi essemus, nullis parceremus sumtibus. Quis enim, ad promovendam liberorum salutem, ullis parcat sumtibus! Benè enim Lycurgus, cum illi objiceretur, ac si nimiam Rhetoribus daret mercedem: si quis, inquit, profiteatur, se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas; sed omnium facultatum dimidium effunderem. Sed quid nos consequimur plerumq;, Quirites? negliguntur liberi nostri à clancularíis Doctoribus, sua illi tractant sive negotia, sive studia: discat dediscatq; noster filius, quicquid velit, nullam inspectationem metuunt, nulla expectant, ut in Scholis publicis, examina. Inter vos erunt sine dubio, qui audiverunt à successoribus: quam turpiter neglectus est puer ille tuus optimi ingenii? sive verum dicant, (nec enim nos miseri intelligimus) sivè ut futuram suam commendent operam, fallimur, tamen, Quirites, defraudamur pecuniâ, nec adhuc audiemus magistratum nostrum necessaria, proponentem remedia? Idem nobis videtur accidere, quod delicatiori alicui ægroto, qui afflictatur febri, & pristinam libenter valetudinem vult assequi: invitus Medicum audit, si frigida sibi negat pocula: monitum non observat, perire mavult, quam obsequi. Ita nos malumus perire Scholam publicam,

quam noſtras cogitationes noſtras libidines noſtros impetus. Quid enim? nonne apud noſtros qui ſcholis illis ſubtrahuntur, indies magis vilescit ludorum autoritas? Nonne minor ſemper redditur civium erga publicè docentes liberalitas & benevolentia? quo grandi incommodo quid aliud videmus effici, quam, ut non pauci à functionibus iſtiusmodi publicis deterreantur, eaſq;, velut Ditis clauſtra, ubi meræ furiæ & Erinnyes habitant, fugiant, & Scholas tandem à viliſſimis quibusque & mancipiis adminiſtrari neceſſum ſit? O miſeram inde conditionem noſtram? annon futura tandem univerſalis ſcholæ vaſtitas? ruina, deſolatio? Concidet nobis auguſtiſſimum virtutis palatium, quod non minùs religiosè, quàm prudenter, majores noſtri condiderunt, & locupletârunt: Concidet decus virorum doctorum, noſtra juventus, diſſonis imbuta inſtitutis, tot ludos habebit, quot advenas: ſtatus Rom. aliam faciem, non meliorem certè; Sed deterrimam poſthac induet. Quis non rei ejusmodi indignitatem doleat? Sæpius ingemiſcere ſoleo, Quirites, cum Deorum cultum, juventutis noſtræ concentu celebrandũ, frigere veluti animadverto, tantâ puerorũ raritatæ, quæ vix ſatis in anguſtis delubris, quid de anguſtior. dicam? exaudiri poſſit. Nimirum exercitia ſacra, debita cum ſolennitate, obiri amplius vix poterunt, niſi filios noſtros publicorũ magiſtrorum curæ ſubmittamus, niſi clanculatrias Scholas omittamus. Harum enim alumnis inter

inter alios verſari, &, cum illis, Deorum cultum juvare nefas eſt: alios mores fovent: altiora ſc. ſapiunt: ſub aliis informantur. Addo unum: Si exſequias imus, quantillus ibi puerorum numerus? quaſi nulla hic ſit juventus aut vaſta quędam Civitas. Repetite cum memoria ſuperiorũ temporum conditionem: alia ibi erat facies, cum ſub Magiſtris publicis frequentiùs educarẽmur. Inſpicite vicinos noſtros, Vejentes, Æquos, Heduos: audite inprimis Athenienſes & Lacedæmonios, populos Græciæ totius ſapientiſſimos: nihil eos aliud, quàm quod nova lege ſtatuitur, in aſſerenda inſtitutione publica feciſſe legimus. Et cum Majores noſtri, laudatiſſimo illorum exemplo moti, ultro leges ab iis petierint, & æquiſſimis animis toleraverint, quibus adhuc, poſt Deorum immortaliũ benignitatem, ſtatus noſtræ civitatis feliciter innititur, quid alia mente in hanc præſentem eritis, quæ non aliunde, quàm ex eodem fonte, derivatur? Et hæc, cum ita ſeſe habeant, quis non moveri velit tot commodis ad legis obedientiam? Agite, Quirites; reſtaurate mores antiquos: diſciplinam domi molliorem ſeponite: revocate publicam ſeveriorem: aſſerite veſtris obſequiis ludi literarii dignitatem: ſumtûs majori cum fœnore in publicos Magiſtros expendite, & omnia nobis egregia noſtrisque ſecundiſſimo curſu evenient: feliciſſima optatis noſtris commoda reſpondebunt. Cavete, quæſo, vobis à contumacia, quam ex nonnullorum murmure,

adversus legem istam, percipio ? nisi forsan sponte vestra perniciem vestrorum quæratis, nisi malis moribus apertam semper fenestram velitis relinquete, ut per eam contemtus ordinis publici, vilipendium Magistratûs, fastuosa licentia, contumax improbitas, totusque adeò vitiorum exercitus, nostram patriam carissimam, cum impetu, invadat. QUÆ enim alia pertinacis inobedientiæ præmia dicam ? Sed absit, ut tam malè ominetur Tribunus vester de gente felicissima ! Quin potiùs omnino putat, eam salutis publicæ privatæque memorem futuram, & ultrò legi, pro asserendo Scholarum publicarum honore latæ, obsecuturam esse.

DECRETUM SCHOLASTICUM.

ORATIO TERTIA.

Sub persona unius ex Plebe.

HÆc ergo Patrum cura est, ut, sub specioso legis necessariæ titulo, de nostrorum liberorum informatione, nostram libertatem, quâ

quâ tot seculis gaudemus, quâ omnibus sub sole gentibus superiores sumus, deforment ? Quirites optimi. Nimirum, EA est nostrorum temporum facies, ea præsentium actionum labes periculosissima, ut res fædissimæ, habitu nominum honestorum indutæ, vulgo proponantur, neq; ullum virtus nativum splendorem retineat ; omnia virtutum speciem mentiuntur vitia ! Avaritia parsimoniæ, prodigalitas liberalitatis, lascivia lætitiæ, Tyrannis justitiæ nomine venit. Quid hîc dicendum ? non tantùm veras rerum appellationes ; sed conditiones quoque amisimus, &, sicut serpentis virus speciosis tegitur exuviis ; sicut nivis candore fædissimæ sæpè sordes celantur : sic fictâ virtutum larvâ vitiorum turpitudinem occultari videmus. Sed ut propterea innoxii non sunt serpentes, neq: sordes ita mundæ, quin, nive per solem sublatâ, pateat fæditas, & detractâ serpentis cute, pestilens sese venenum prodat : ita & virtutis specie remotâ turpis vitiorum spurcities apparet, omnibusq; famoribus terrorem atq; odium sui incutit. Non est opus, de exemplis hîc esse sollicitum : exemplum eò manifestius, quò recentius in nova lege videmus & dolemus, quæ, ut ut bono publico mirum quantum velificari jactetur, & pomposo industriæ, sollicitudinis, providentiæ laudetur nomine, minimè tamen ita cum ea comparatum est. latet procul dubio anguis in hac herba, Quirites, latet virus sub hoc tegmine, quod, ne in

consultò aut temere dixisse videar, strictim atque breviter, quæ mea sit sententia, exponam, eodem opere, quanta ex lege lata in rempublicam injuria, quanta in nos atq; in nostros mala redundent, remotâ omni larva, pro virili ostensurus. MAGNAM omnino vim, maximumq; momentum in recta juventutis institutione positum esse, notius est, quàm ut multis verborum ambagibus denuo exponatur. Nam cum felicitas publica, ad quam nostra omnia referenda sunt, è singulorum felicitate constet: singulorum autem felicitas in institutione illa præcipuè sita sit, ut quæ ad consequendam virtutem, necessariam quandam præcursionem habet: illud profectò consequitur, ut, nisi in qua recta juventutis institutio vigeat, florere absolutè Civitas nulla possit. Sicut enim in semente posita spes messis est: ita totius Reipublicæ felicitas à prima educatione pendet. UNDE hanc dilectissimæ prolis curam, hanc educationis sollicitudinem natura ipsa implantavit hominum animis, ut de salute liberorum suorum noctes diesque cogitent, in omnes partes omnia versent, de optimis quibuscunq; illius mediis sedulò circumspiciant. Quid ergo? nosne Romani tam turpiter degeneravimus? nos tam vecordes naturam exuimus, ut ad nostrorum curam, non sine ineffabili dedecore, legibus cogendi videamur? Gentem Romanorum nemo est, qui nesciat: strenua illius virtus tot gentibus imperat, tot leges, honestæ vitæ duces, præ-

præscribit, à nullis accipit, nulla inferior, superior, Deorum immortalium beneficio, omnibus. Hæc verò impræsentiarum, ad rem in cujus libet liberi hominis arbitrio positam, rogata lege, compellenda videbitur? Indignũ profectò facinus, & lege meliori à Tribunis nostris vindicandum, quàm quæ nobis obtruditur! Liberam & nulli obnoxiam habemus Rempub. libera in ipsa sunt omnia, cur nõ & informatio! ab ea ne servitutis nostræ petetur initiũ? Quid Tyranni fecerint in Græcia. legibus suis populos ad hunc vel istum institutionis modum cogentes, obvia passim scriptorum monumenta testantur. Quid modò subsit, ut appareat, cives, nulla divinatione, opus est. Scilicet nondum satis crevit Patritiorum autoritas adversus miseram plebeculam, non sufficit Patribus, publica rerum momenta discutere in foro, in curia dominari: Omnia, omnia, quæ vel in privata domo aguntur, ad suum agi nutum cupiunt. O tempora! O mores! Ubi nunc estis, laudatissimi Majores, vindices Romanæ libertatis invictissimi? Frustra utique fuistis, frustra sudastis, ut eam toties, adversus patrum arrogantiam, assereretis! Frustra in Aventino monte egistis cum iisdem, ut reverteremini in Patriam! Denuo repetendus ille plebi erit, procul dubio, si ejusmodi nos onerare legibus perrexerint, quibus tandem tristissimo servitutis jugo implicemur. Certè, si vel æquitatis, vel utilitatis, vel honestatis

laudem

laudem tueri lex ista posset, manibus pedibusque in senatus iremus sententiam. Sed si res ad verum exigatur, ne quidem umbra talium in ea conspicitur. Agite enim, Quirites, optimi, expenditemecum sigillatim omnia! Quibus demum legem hanc censoriam, de necessaria publicæ institutionis observatione, poni aut imponi judicatis? Num omnibus promiscuè in Civitate, an viliori tantùm, ut nos vocant, plebeculæ? Scio, quid vobiscum cogitetis: tritum illud nostri Poëtæ cum animo repetitis: DAT veniam covis, vexat censura columbas. Veluti enim muscæ, & alia minuta volatilia, si in araneorum telas inciderint, capiuntur & pereunt; fortiora verò, perrupto textu, facilè quoquò libuerit, elabuntur: ita leges ejusmodi imbecillam ac tenuem plebeculam cohibere student, potentioribus blandiuntur, & connivent. Ubi autem jus & fas hîc cernitur? ubi æquitas? ubi æqualitas? EA profectò est, debebat sanè esse, legum omnium conditio, ut, excluso omni personarum respectu, quoscunq; obstringant; Verum hanc à præsenti lege longissimè abfuturam esse, nullâ probatione indiget. Quis, potentiores ea obligatum iri, dixerit? solenne hoc jam est; loquitur res ipsa: ludi publici gesta & Magistri ejus sentiunt, superiorum filios, eodem cum plebeiis loco censeri neq; velle, neq; posse. Alii sive digni, sive indigni fuerint, reliquis præferri volunt, ne sordibus, ut putant, inferiorum

locorum contaminetur patricia dignitas; alii eximuntur necessitati frequentandi, ut, quoties collibitum fuerit, impunè ludum modò deserant, modò repetant: alii certaminum aleæ subjici nolunt, ne propter ruditatem fortè suam ab equo ad asinum descendere cogantur: alii funerum deductionibus se subtrahunt, ne vel frigoris, vel pluviarum injuria tenera herulorum cuticula violetur: alii divorum cultibus adesse nolunt, ne forsan nimia pietate conterantur & vilescant: alii primorum filii alias sibi prærogativas, invitissimis licet Magistris, rapiunt. Quid verò nostri? nostri miselli ex viliori scilicet & plebeja stirpe nati, omni onerum generi, dum frequentant, subjiciuntur, pluribus obnoxii laboribus, pauciori bus decorandi præmiis. Idque non sine causa. Quomodo enim in Patriciorum filiis assueta domi voluptas, & Scholæ rigor convenient? MOLLES molliter ubicunq; tractari volunt, ne periculum ex mutatione oriatur. Proinde cavent Patres conscripti, cavebuntq; ne filii ipsorum inter mollia quæque educati, disciplinæ ludi publici strictiori aut legi latæ subjiciantur. Egregiam verò eorum curam! Paternam scilicet æstimationem Scholæ publicæ! Unde, precor, pleraque ejus incommoda? unde raritas discipulorum in publicis? unde exemptiones? unde quidvis agendi licentia? Proinde nisi lex modò lata ad omnes omnino Cives, maximos, minimos, medioxamos pertinuerit,

etiam

etiam primores, omnino, velut iniqua & inutilis, è medio tollenda est. IN vulgus enim manant, exempla regentium. Quemadmodum solis defectus magnam humorum pernitiem excitat, & in corporibus periculosissimi illi sunt morbi, qui è capite descendunt: ita patrum ac primorum vel levia delicta malorum magnorum esse causæ consueverunt. Præclarè enim dictum meministis sæpius à Marco Tullio Cicerone, consule nostro prudentissimo: MAGNUM esse malum, peccare Principes, nec tamen tantum, quantum illud, quod permultos ad imitandum excitent: nec enim solum vitia ipsi concipiunt; sed & in totam civitatẽ infundunt, nec modò obsunt, quod ipsi corrumpuntur; verũ etiam, quod corrumpunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent. Quod si ergo Patres nostrũ requirunt obsequium, ipsi suos filios à clancularíis primùm magistris auferant, idem prorsus jugum cum reliquis, in schola publica, ferre sinant, & non opus erit legib. sponte sua quisq; nostrùm ad exemplum eorum se componet. Sed fortè ipsi plus satis intelligunt quantis cum difficultatib⁹, quantis cum incommodis, publica in ludis literariis institutio periclitetur. Unde passim mores corrupti? Siquidẽ QUASI herba irrigua succreverunt uberrimè, neq; quicquam vile nunc hîc est, nisi mores mali: eorum licet jam messem metere maximam. Unde, nisi ex Schola publ. ubi magna est hominum illius ætatis turba, quæ ad vitia non lento gradu

gradu procedit; sed præceps ruit. Rixas desideras? pugnas videre gestis? invidiam jurgiaq́ue ignoras? Scholam ingredere publicam, rixarũ pugnarumq; plena ibi omnia! Affert ibi seorsim quisq; suas culpas, quas mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem. MAJOR quotidie peccandi solertia, minor verecundia. Ut flumina per se dulcia, si in mare venerint, salsescunt: ita pueri haud mali, si in Schola st. venerint consortium tactu inquinantur & mixtione, & maligni commilitones, quamvis candido ac simplici, rubiginem suam affricant. In hanc ergo vitiorum officinã ducamus liberos nostros? Absit hoc, Cives optimi! domi potiùs, sub oculis nostris, vivant, dum ipsi eorũ bono vivimus: domi nostræ, à publica vitiorũ contagione, immunes, serventur: nullius homin. nullius Magistri tanta puerorũ cura esse potest quanta parentũ. QUID n. iisdem natura jucundius? quid carius esse voluit? quid dignius, in quo omnis eorũ diligentia, indulgentiaq́; consumatur? Nemo quidem meliùs naturã, mores, ingenia novit puerorũ, ut conformẽ iis institut. adhibeat: PLUS ponderis habent parentũ exempla, quàm præcept. monita: efficacior domestica inspectio, quàm pub. informatio. Cùm Agasicli, Lacedæmoniorũ Regi, diceret quidã: admirari se, quod cum discendi esset avidus, nõ adjungeret sibi Phil. aut Sophistas: regali prorsus indole respondit: eorũ volo esse discipul⁹, quorũ sum & filius. Quidni ergo omnibus aliis ii præferantur

ferantur Magistri, qui domi nostræ, ad nutus nostros, carissima informant pignora, & longè elegantius eorum mores componunt, quàm fit in ludo publico? MODERATA certè disciplina, qualis domi est, compositum reddit omnem corporis statum, neonon & mentis habitum, cervicem submittit, ponit supercilia, concinnat vultum: ligat oculos: cachinnationes prohibet: moderatur linguam & effrenem gulam, sedat iram, ut & incessum format. Quid horum in ludo fieret publico? Hodie certè, quod seriò dolendum, hodie disciplina ibi veterum nullum habet locum: abiisse videtur cum Majoribus nostris, quorum ætate satis feliciter, felicissima illa morum emendatrix, vigebat: successit effrenis licentia, successit studium superbiendi & exsecrandi: successerunt lusus chartarum alearumq;, quos ab honestis olim pueris ne nominari quidem, quid dicam frequentari, ut modo fit? licebat? Respectus nullus sive ipsorum Magistrorum, ad quorum adspectum olim tremebamus, nulla sive patrum, sive Flaminum reverentia, nullus honestorum Civium cultus: proh Jupiter! sursum deorsum, in hoc vitiorum circo, feruntur omnia. O perversum penitùs Romani ludi statum, quem non nisi publica morum corruptio sequi potest! Quis liberos suos eò mitteret? quis, velut equos sine freno, ibi lascivire pateretur? Et hoc certè tantum est incommodum, ut, licet felicissimos, in ludo publico progressus facere

facere possent pueri, tamen eò eximendi, privatimque ad meliores mores informandi videantur. Quis enim nescit, PRÆSTARE honestatem vitæ sine literis, quam literas improbitate armatas? quales quidem sub isto licentiæ regno fieri necesse est. At verò tardior etiam ibi in studiis progressus est, quia præceptor, quisquis ille fuerit, liberalius melius ve sine dubio uni suam impendit operam, quam si illam partiatur in plures. PLURIBUS intentus minor est ad singula sensus. Unde, quemadmodum aqua, copiosissimè scaturiens, si in plures dividatur rivulos, tenuiter fluit: Ita publicorum Magistrorum diligentia, quanta quanta etiam fuerit, si ad plures extendatur, attenuari quoque solet, ut mora felicibus objiciatur ingeniis; tardiora verò semper in postprincipiis sudare dicam, an frigere? cogantur. Verum privati Magistri quanta cura? qua solicitudine? quo studio singulorum ingenia explorant? Qua humanitate, qua comitate, exploratis se & labores suos accommodant? Qua docendi severitate? quo verborum pondere? quàm prudenti castigatione, si quid non rectè commissum, reprehendunt, singulorum ingenuorum animos non verberibus; sed verbis, modò actioribus, modò initioribus, in ordinem revocantes. Quanta sedulitate, repetendo omnia, meliùs ingerunt? Quis ergo utilissima informandi felicitate, clancularios illos, ut odiosè vocant, Magistros publicè docentes

longè superare inficiabitur? Quis non, vel hoc saltem nomine, privatæ institutioni liberos suos committere, quam in publicarum Scholarum pulverem projicere mallet? Lippis & tonsoribus notum est, quot lectionibus, à diversissimis præceptoribus propositis, in publica schola debilitentur & frangantur puerorum animi, quemadmodum pretiosus liquor angusti oris vasi à diversis diversimodè infusus frustra periit eruditionem, confertim illis ingestam, sine fructu perire oporteat. Nonne ager nimium stercoratus aduritur? ingenia, ipsissimum agrorum instar, multitudine laborum obruuntur? MODERATIS vegetanda sunt, quibus sagax natur animus. At nec diversæ tantùm lectiones; verum etiam Magistri, uno die, pueris audiendi sunt diversissimi. Ille mollior; hic rigidior: Ille perspicuus; hic obscurus: ille prudens ingeniorum index; hic confusus error. Quis autem adeò rerum ignarus est? quis tam imperitus, quin, hac confusione, ingenia misserrimè confundi, intelligat? UT vina, ubi crebro in alia vasa infunduntur, corrumpi solent: ita ingenia multis à Præceptoribus & diversis instituta mirum quantum læduntur. Unus autem domesticus longè hîc versari melliùs, longe se felicius, ad conatus profectusque discentium, applicare potest. Hic unam sequitur methodum, hic necessariis inhæret lectionibus, hic properat cum ingeniis, tardiùs progreditur cum iisdem: hic omnia agit, quæ ad uberiorem eorum cultum facere intelligit. Quid horum, in tanta diversorum copia, observare potest Magister publicus? sequantur eos, qui velint: nobis, Quirites, privata placeat informatio, quæ & accuratior, & feracior, meritissimo suo, dicitur. Et ita dudum senserunt populi alii sapientissimi. Chaldæorum nomen & famam vos non latere autumo, quam sapientia ipsorum nullis non commendat gentibus, & ubivis terrarum divulgat. Unde autem illam sibi comparârunt? non ex vulgaribus publicarum scholarum officinis. Intra privatos lares omnem excolere literaturam consueverunt, & facti sunt doctissimi. Quid Ægyptios referam? Qui, cum quamvis artem ingenuam domi discendam putarent, ne militarem quidem alibi, quàm sub parentum suorum oculis, exercuerunt. Longum foret, Quirites, plura exempla adducere. Quis enim neget, aliarum quoque gentium institutum fuisse, & adhuc esse, ut, sepositâ publica, privatæ institutioni liberos suos quam felicissimè committant? Nos itaque soli erimus, qui jugum scholasticum nostris filiis imponi, qui gravem duramque deeo legem nobis, indignis modis, obtrudi patiemur? Non feremus, non patiemur, non sinemus! Agite modò, cives fortissimi, res vestra agitur! vigilate sedulò, libertas nostra periclitatur! omni cura & contentione pernoscite, quid veneni sub hac lege lateat, quæ vobis liberos vestros è conspectu

vestro, ad Patrum nutus informandos imperiosè abripit. Vestri & vestrorum curam ipsi gerite, rationem habete accuratam, declinate cœcas insidias: quam libertatem Majores vestri laboriosè acquisiverunt, quam tenerrimè habuerunt, quam laudabiliter conservarunt, eandem vos posteri strenuè, constanter, masculè tuemini. Quis eam affectatâ toties patrum tyrannidè labefactari ferat? quis plebem iniquissimâ hac lege cogat? Unusquisq; potius domus suæ imperator & Dominus maneat, in libera Republica liberè cum suis vivat, eosque ex animi paterni voto educet. Quid alii circa depositum, quod natura vobis dedit, carissimum, prolubitu suo, disponent? Nos liberos nostros privatim, ubi & mores, & studia melius formantur, porrò institui: nos nulla lege, ad fovendam Patrum libidinem, ad promovendum nostrum nostrorumque damnum, adigi volumus.

DECRE-

DECRETUM SCHOLASTICUM.

ORATIO QUARTA.

Sub Rom. Consulis persona.

NOn minùs verè, quàm acutè tritum illud circumfertur, Quirites: OPTIMe cogitata pessimè cadunt: optimè dicta in pejorem partem rapiuntur. Quod unde oritur, nisi à contraria Virtutis atque vitii indole, per quam altera alterum acriter oppugnat, & quibuscunque modis opprimere satagit? Mihi quidem illud evenisse, in legis scholasticæ promulgatione, jam intelligo, quam licet, boni publici tuendi causa, protulerim, plebs tamen instar iniquissimi gravaminis accipit. Quid dicam? quam dissensûs hujus causam afferam? legem rogavi: Scholæ incolumitatem promovere volui, utrumque jure merito. Quæ enim, Deum immortalem! Civitas sine legibus, quæ sine scholis publicis florere potest? HÆC duo, benè constituta, Reipublicæ fulcra sunt: hæ quasi faces geminæ, quæ aditum nobis tum ad vitæ

hujus tranquillitatem, tum morum ſanctitatem commonſtrant. Non tales ſunt aut ſine legibus ſcholæ, aut ſine ſcholis leges: jungere iſthæc, & ſacro quodam copulare vinculo oportet. Sed ut ignis fatuus, qui veri ſpeciem mentitur, viatores bene multos ludit, in diverſa extra viam rectam trahit, in præſentiſſima vitæ pericula præcipitat: Sic propria in republica libido, proprium arbitrium extra legum viam rapit animos, fallitur & fallit alios, incautosq; legũ & ſcholarũ contemptores lædit, ludit, & ludit, certo cum periculo. Quod ne vobis forte accidat, Quirites, rurſum pauca ad vos verba facere volui, fideliter ſatis oſtenſurus, quàm ſiniſtrè unus & alter, de rogata lege, ex Plebe judicârit, omnemq; exempturus illis ſcrupulum, qui dextram interpretationem facili animo admittere velint. Non ſatis gloriam Romanæ libertatis intelligere videntur, qui eam honeſtiſſimo legum cultu imminui exiſtimant. Augetur inde potiùs, Quirites, cum EA demum gloria ſit ſplendidiſſima, ea libertas optima, juſtarũ legũ regimen decenter ferre. Num enim hæc libertas vera eſt, quæ, neglectis legibus, promiſcuam ſectatur libidinem? an verò illa, quæ intra legum limites retenta, ultrò iis obſequitur? Legem, more à Majoribus recepto, rogamus: libertatem veſtram illibatam reliquimus: Bonum ejus magis magisque promotum cupimus. Nolite ergo alteri alterum oppo-

nere: nolite ſecus, quàm bonos viros decet, judicare de Magiſtratu veſtro, quem nunquam non, in veſtra veſtrorumq; commoda vigilem, promtum paratumque cognoviſtis, & talem nunquam non habebitis. Sed quid naturalis Parentum ſolicitudo legi noſtræ obvertitur, quam ea juvat, dirigit ac excitat? NUNQUAM tanta Parentum ſolicitudo, tamque accurata eſſe poteſt, ut inoffenſo ſemper curſu progrediatur, & non potiùs quandoque deflectat. Homines enim ſumus: Parentes ſumus: labi, errare, indulgere mali quippiam noſtris poſſumus. Quæ ergo, ut molliſſimè dicam, incuria eſt, ſolicitudinis illius regulam, legem ſcilicet, repudiare? Habuit hæc reſpublica Gracchos habuit Curiones, Septimios, Marios, quos ipſi noſtris, Quirites, ſub ſtudioſiſſima Parentum ſolicitudine domeſtica partim plurimum degeneraſſe, partim ſtupidos & inertes manſiſſe, eâ potiſſimùm de cauſa, quod publicæ Romani ludi diſciplinæ ſubtracti, in mollitie & tenebris latitarunt, neque inter alios pueros æmulando, converſando ad meliora ſuam commaſcularunt indolem. Hoc malum dum lex tollere conatur, graviſſimam damnorum occaſionem tollit, & vapulabit tamen Patrum Conſcriptorum induſtria, quod induſtriam Parentum adjuvat? Abſit hoc à Romanis Civibus, quibus meliorem Dii mentem indiderunt! Renaſcatur potiùs in iis majorum Virtus, quibus gaudio erat & com-

modo, censores non tantùm constituisse; sed legibus etiam eorum paratum subjecisse animum. Huc, huc respiciant, qui cineres eorum invocant, qui ad mortuos provocant! Hos enim si sequerentur, non ita Patrum voluntati cæcum suum arbitrium, aut judicium sinistrum opponerent. Quid verò est, quod metuatis, Quirites, ut lex isthæc ad omnes promiscuè pertineat? ad omnes omnino pertinet. omnibus lex ista posita est: nemo, ex Patribus Conscriptis, filium suum institutioni scholari publicarum subtracturus est: ita promittimus, ita pollicemur vobis! Et si nostrum vobis exemplum tam est efficax, ut dicitis, agite, sequimini, & nobiscum vos legi submittite. NUNQUAM utilius liberis vestris fœnerari quicquam poteritis, quam si eos, à primis statim annis, nostris in ludo jungatis, ut, quicquid laboris in omnes collatum simul fuerit, id totum aliquando ad reipublicæ salutem ex singulis redundet. Ne committite, ut cochlearum instar domi semper hæreant, quasi Clathris quibusdam inclusi; sed ut in luce vivant, ut in luce Civitatis aliquando vivere, ad consilia adhiberi, forum premere, aliis in Republica fungi muneribus, cum nostris, possint. Sequimini curam Patrum! Omnium puerorum Romanorum, sive Patricii, sive Plebeji fuerint, eadem in ludo publico erit conditio! Si quibus hactenus hoc vel illud indultum est, concessumque ut querimini, consultis certè aut con-

sciis censoribus indultum non est, unde quicquid hujus erit, dispicere curatiùs &, ubi opus fuerit, emendare studebimus. Sed quæ detrimenta è scholis promanare? quæ incommoda nasci exinde putatis? dicitis quidem, scholæ frequentiam non carere posse malorum contagio; num verò ista domi vestræ non sunt, quæ in scholis timentur? Si quid judicare possum, Quirites, non discuntur in schola pravi mores; sed in scholas domo afferuntur, ubi proclivior longè ad malum est educatio. Quos mores non corrumpat famulorum adulatio? Patrum, aliis negotiis occupatorum negligentia? Matrum præsertim indulgentia? oscitantia Pædagogorum? hi etenim, favorem captaturi aut lucellum, ultro præcipiti Juventuti habenas immittunt, & ad vitia pullulantia, in fertili hoc nequitiæ solo, non connivent modò; sed ferunt; sed probant; sed applaudunt: petulantiam, lasciviam, vanitatem in cultu, levitatem in verbis, in vultu sæpe fovent, acuunt, stimulant. Unde ergo mali pueri, pejores adolescentes, pessimi denique viri? Ex prava educatione domestica? unde corruptus scholæ status, de quo tantæ ingeminantur querimoniæ? unde disciplinæ exilium? Ex eodem certè venenato fonte, domestica scilicet indulgentia. Dicam enim, quod res est, nec quisquam facilè vestrorum negare audebit. Si Magister scholæ pravos discipulorum mores, quod muneris sui est, emendare cupit, & austero forsan ocu-

lorum nictu parvulum Heroëm patricium offendit, it clamor cœlo, & tonant Parentes in Magistrum, meros adversus ipsum loquuntur lapides, & nescio quibus etiam convitiis miserè illum sæpe lacerant. Quid deinceps? eximunt tenellum suum Ascanium, omnibus ditis ludû devovent, clancularias scholas instituunt, fovent, juvant, idcirco Præceptores nisi soli in schola, in gratiam scamnorum aut trabium docere, aut sibi solis canere velint, ad multa connivere, multa impunita dimittere nolentes, volentes coguntur. Hinc illæ lacrumæ! hinc melioris disciplinæ, & majoribus nostris usitatæ exilium, quæ tamen, observatâ lege propositâ, non tantùm feliciter reduci; verum etiam meliùs adornavi poterit, ut elegantissima morum officina schola audiat, & qua, tanquam ex equo Trojano, magni nominis & omnis viri prodeant, qui publicas gubernare res, & gubernare feliciter atque utiliter possint. Quis autem sine rubore affirmare ausit, quòd in scholis publicis tardior studiorum sit progressus, quàm in clancullariis. Non est ibi, credite mihi, non est progressus tardior, in magno illo Puerorum concursu; sed felicior; sed velocior, Quirites. OPTIMUS enim quisque Magister frequentiâ gaudet, & majore se theatro dignum judicat: at verò Pedanei illi ac minores, ex infirmitatis suæ conscientiâ, hærere singulis, & clanculum efficio fungi Pædagogorum, cum detrimento publico, non indignantur. Idcirco multitudo dis-

do discentium non officit; sed animat, omniaque Præceptorum opera hanc conditionem habent, ut eâdem voce ad omnes simul perferantur. Quantus, quantus numerus sit audientium, unusquisque in Schola totum Præceptorem percipit. Non enim vox ejus, ut cœna, minùs pluribus sufficit, aut ut fluvius per rivulos attenuatur; sed, ut sol, universis idem lucis, sine deminutione, idem caloris largitur. Quanti verò illud est in scholis, quod, cum domi ea solùm discere possint liberi nostri, quæ ipsis præcipiuntur, in schola etiam discant, quæ aliis? Audiunt enim, quotidiè multa probari; multa corrigi: prodest alicujus objurgata desidia, prodest laudata industria: excitatur laude æmulatio: turpe ducunt cedere pari: pulcrum, superâsse majores. INSITOS naturæ igniculos, sparsa in animis nostris lumina, multùm profectò suscitant æmulationes, multumquoque certamina scholastica diligentiæ & eruditionis pararia, quæ si cum Virtutis studio conjunxerint Juvenes, quam acres atque alacres ad studia, discendi faces subdunt? Dum enim ad laudem nata vestrorum filiorum ingenia, turpe ac ignominiorum sibi esse ducunt, inferiora loca semper premere, inter postremos in discendo hærere, & brabeum aliis relinquere, discunt, laborant, intendunt animum, incitant se ipsos & impellunt. Hinc feliciores & velociores

velociores progressus! Hinc constantior sapientiæ comparandæ ratio! SIC excîtatur mens, sic attollitur semper in scholis, quæ in privatæ institutionis secretis aut languescit penitùs, aut quendam, velut in opaco, situm ducit. Quod incommodum, tam turpe, quàm perniciosum, lege proposita à liberis vestris avertere studemus, & nutanti jam ac labascenti scholæ succurrimus, (succurrere enim omnino debemus, quibus curam Patriæ commisistis,) eaq; procuramus, quæ ab insciția carissimos vestros liberos, ab interitu rempublicam literariam vindicent. Nolite autem adduci à quoquam, ut credatis, confundi puerorum ingenia lectionibus in ludo pluribus. Non confunduntur, cum justa methodo proponuntur operæ, atq; ita proponuntur, ut res ipsa clarè explicetur, dubium nullum, nullus scrupulus discentibus relinquatur. Nec tam stupidos scholæ præficimus Doctores, qui plus æquo onerent infirmitatem discentium: quinimo temperant vires suas, ut ad captum audientium descendant, docendi eam viam atq; rationem sequentes, quæ nec varietate vaga, nec obscuritate difficilis, nec prolixitate molesta cuipiam accidat. Nunquam sanè tam commodè hoc facient Doctores clanculatii, quicquid suis persuadeant fautoribus, qui nondum vel ætatis, vel experientiæ beneficio discernere tam aptè ingenia, iisq; sese applicare norunt, multo minùs digna pueros autoritate regere, lucifugæ & tenebriones,

nes, digni, quos iratior Minerva cassidè sua & cuspide penitus, à sapientiæ adytis, arceat. Sed frustra operam in diluendis illis consumo, quæ Plebis nomine allata audivimus. Asserere laborant, informationem privatam & domesticam: queruntur, ac si, lege nostra, omnem illam sublatam velimus. Absit hoc à nobis, Quirites! Neq; in mentem venit nobis hæc cogitatio, neq; in vocem transiit. Non prohibemus informationem domesticam, nisi eam, quæ cum neglectu scholæ publicæ suscipitur. Potest Civis, quicunq; bene suis voluerit, & utinam omnes possent! privatim suis liberis præceptorem adjungere, aut privatis magistrorum publicorum horis eos committere, ut tamen illi scholam publicam ne deserant, nec despiciant. Præceptor enim privatus horis, à laboribus scholæ vacuis, & in doctrina, & in moribus singulatim illos domi informare, vitia corrigere, emendare vitam, & doctrinæ decus, tanquam fastigium & culmen, surgenti ædificio firmiùs imponere poterit. Sed non nisi ad præscriptum & formam publicæ instituenda erit privata institutio, quam, de provido censorum & Senatûs judicio, Magistri publici sequuntur. INTERESSE enim reipublicæ, constituere, quæ studia, quomodo, & quo fine tractanda sint, quis ambigat? Nisi autem concinna informationis privatæ & publicæ fuerit conformitas, quomodo Civis non eruditus cognoscet, quæ principia religionis Pædagogus discipulis instillet,

instillet, quæ fundamenta jaciat eruditionis, ne turpiter cum suis decipiatur? Publicas igitur, & prudenti Patrum consilio dispositas lectiones Magister domesticus, cum discipulis suis, repetere, distinctiùs, ubi necessum est, explicare, ingeniis singulatim applicare, & similibus eos juvare aut excitare studiis poterit. Præclarè utique & sapienter publico privatum, privato publicum hac ratione complicabitur, &, pro juvanda juventute Romana alterum in alterius opem egregiè conspirabit. Exulabunt allata incommoda : exulabunt mala omnia, quæ mentem vestram ab hac lege alienabant : mores & in schola publicus Præceptor, & domi privatus, cum Parentibus, ad honestatem formabit : tutior, felicior, velocior in studiis progressus erit : alacriùs, fideliùs majorisque boni publici commodò, tota institutio administrabitur, & vos, ô Quirites, majorem gaudii, ampliorem exsultandi de liberis vestris occasionem habebitis. O beatam Civitatem nostram, si ita, ex præscripto legis, scholæ publicæ non tantùm institutioni nostros committamus liberos ; sed & privatim ad Virtutem, ad doctrinam, ad Patriæ decus & amorem conformemus. Hoc est, quod antehac Majores nostri sanverunt, cum, Spurio Carbilio, Magistro literarum publico, Romanam Juventutem committerent, privatim quoque eam providentissimè curantes. Hoc est, quod Crates Mallotes, ab Attalo rege ad Senatum missus, antehac

antehac suadebat, cum Acroases, ut vocabat, publicas, juxta privatam Parentum inspectionem, urgeret. Hoc est, quod sapientiores respexerunt Populi, ut institutionem quidem privatam adhiberent ; sed publicæ concinna ratione subjungerent, neque suos ei liberos unquam subtraherent. Intuemini Persas, qui in foro etiam libero liberos suos informari curaverunt? Videte Spartanos, qui, apum more, ad institutionem volebant suos convenire. Quid de Tusculanis sæpè retulit Camillus noster? cum ingrederetur urbem ludos literarum strepu isse discentium vocibus. Quid de Falliscis, quorum cura in servanda informatione publica sedulò emicuit? Mitto plures vobis etiam non ignotos, qui exemplo nobis & incitamento esse possunt. Si qui alii alias secus egerunt Populi, de quibus aliquid dictum est, quid nos sequemur eorum barbariem? Cyclopum more egerunt, quod ipse græcorum Philosophus, Aristoteles, de ipsis scribit : sine recta vivendi ratione vixerunt, nobis, ad cultum & Virtutem factis, ex præscripto legis, adeoque meliùs agendi occasionem præbentes. Sic enim rectiùs Juventutem nostram, vita nostra, cariorem informabimus : sic reipublicæ feliciùs consulemus : sic mores meliores, meliora tempora præstabimus : omnia nobis nostrisque ex voto, ex utilitate omnia properiùs succedent, si privatam informationem publicæ juncturi sumus! His verò, qui sibi solis sa-

lis sapere, & ordinem Civitatis laudatissimum turbare pertinaciter ausi fuerint, quid fiet, Quirites? annon, ob salutis publicæ neglectum, ob scholarum publicarum contemptum, more majorum, lege cogendi sunt? Ipsi precor istud decernite: ipsi mentem vestram nobis explicate, si pro illorum contumacia, adversus nostram legem aliquid dicendum ducitis. Sed, ut video, taciti nostrâ voluntate acquiescitis. Cumque hoc silentio vestro probetis institutũ Senatũs, laudamus certè vestrum conatum, laudamus assensum, quod benè monentibus adstipulari volueritis. Gratulatur sibi de hoc Salus publica! Gratulatur Roma Patria! nec minùs de eodem & vobis ipsis propediem gratulabimini, brevi visuri, quæ & quanta bona exinde & vobis, & reipublicæ oritura sint. Quod itaque bonum, felix faustumq; reipublicæ in primis Romanæ ac salutare jubeant Dii immortales, Senatûs autoritate, Plebis consensu, bonorum omnium approbatione rata esto lex Scholastica:

NULLUS CIVIUM NOSTRORUM INSTITUTIONI SCHOLÆ PUBLICÆ FILIUM SUUM SUBTRAHITO: SECUS QUI FECERIT, GRAVEM CONTUMACIÆ POENAM LUITO.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

FAMA EX SCELERIBUS INSANA EST INFAMIA.

FAMA *equidem cuiq; pretiosa est. majora ejus damna sunt, majora bona, quàm quæ æstimes: vita certè est, quæ tamen non in mole corporis; sed in memoria posteritatis, in seculorum omnium existimatione consistit. O felicem, quisquis eam quærit, quisquis obtinet! nec tamen ante Virtutem, aut citra eam.* VIRTUTIS *comes est, aut pedissequa; quî ergo aliter, quàm benefactis, & parabitur, & prorogabitur? Licet multi semper famæ sint avidiores, quam virtutis: multi, ad virtutem quoque nati, ne obscuri lateant, naturam exsuunt, & inter claros esse malunt, quam bonos. Miseri, si filiam, contemtâ matre, ambiunt: infames, si per stupra, aut insana philtra ambiunt. Hoc verò faciunt, qui per infesta scelerum studia famam procant: imò, qui procare docent etiam, larvam q; mixtæ consuunt prudentiæ, quæ famam proferat. Sed quæ est ista mixtio?* PURA *puta sit* Prudentia, *ut vera sit: desinit esse, quod est, si pura esse desinit: non potest admisceri vitiis, quæ odit: fucum ferre*

nequit, purpura est: colorem respuit, cælestis naturæ est: civilis vitæ clavus; sed non sine usu & auxilio virtutis. hæc potiùs magnetis locum obtinet: dirigit prudentiam, & ab ea dirigitur: vigorem ejus servat, ut suum inde augeat: altera sine altera neque famam habet, neque præstat. Cessent ergo sceleratæ voces istæ. Fas esse, ingerendis rebus, per prudentiam, rationem in fraudem malitiamque converti: in pietatem, in honestatem, in salutem publicam injuriæ sunt, cujus tamen illustri nomine velare omnia, receptæ artis est. Cessent jura subdolæ nequitiæ injustissima, quibus si qui boni obstrepunt, homines â Schola & umbra, inepti civilis disciplinæ auditores, ignari rerum, quæ in vita accidunt, dicuntur. Horribile in illos carmen! non quod nesciant infames artes; sed quod improbent. Qui autem sunt, quos isthoc magis deceat, quàm qui juventuti præsunt? Lapides profectò illi, in civilis vitæ via, commonstrandi: unde oriantur, quomodo cavendi, suggerendum est. Ortum sanè habent splendidum, qui facilè incautos in amorem rapiat. A magnis viris sunt, & illos facilè decipiunt, qui magnorum omnia, honesta & inhonesta, laudant, autoritatem facientis facti causam somniantes. Hinc miscent artes licitas cum improbis: flagitia dominationis cum prudentiæ studiis, mixtaque tradunt & potentiæ, & famæ media, certa pia probitatis everricula. At quis nesit, SCORIAS ab argento separandas esse? judiciò in talibus sagaci exploranda omnia, ut sequiora, magnanimitate quâdam sapiendi, spernere, & bona, mente candidâ,

didâ, complecti possimus? Quò vel in primis facit cautior Historicorum lectio, ut ex quiramus diligenter, quâ quid mente factum, quò consilio ab hoc illove gubernatum sit: ut discernamus ea, quæ sinistrò institutò, bonis tamen rationibus, ab his, quæ bonò fine, pessimis geruntur mediis. Quod si prudentiæ; seo à virtute segregis, idolum in augustali Rerumpubl. occurrat, aspici debet, non coli: aspici ad cautionem & detestationem: aspici cum nota inustæ infamiæ, cujus metus omnes à cultu absterreat. Nec est dubium, si omnia, ex historicis petenda, firmarentur fundamentò juris, quod à recta ratione derivatum, quod prudentum voce accuratum, quodque saniorum gentium per cultum usu exstat, exsultarent passim fraudes studiis politicis. Quis enim sanæ mentis factum ferret, cujus nulla in hoc jure ratio occurreret? Licèt aliud adhuc, & firmius cavendi adsit medium, sanctioris ex Theologia prudentiæ regula: hæc felicissimè nos ducit in tot fluctibus, in casibus perplexis, in incertis actibus: hæc supplet, ubi ratio cœcutit, ubi deficit: hæc potest esse oculus historiæ, ut per theatrum gubernationis divinæ incedamus cum perspicacia: hæc subdolum istud nequitiæ glaucoma amolitur, quasi citra malas artes magna geri nequeant. O beatam studii politici cum sacro copulam! Dicam, quod fortassis mirum multis, verum tamen omnibus, si reputent, videbitur: NEQUE verus est Theologus, qui non Politicus: neque verus Politicus, qui non Theologus fuerit. Vnde error iste verè perniciosissimus est in publi-

cum, quod divinarum literarum meditatio solis relinquitur Theologis. Quasi citra eam solidæ doctrinæ apparatum consequi liceat: quasi solis catechetis Bibliorum curare linquenda: quasi leges cæli ad civiles actus non pertineant: quasi consummatus sit politicus, qui modò sequiorem statûs Rationem sequi didicit. O cultores studiorum incultissimos! fruſtra sunt, si ita animati sunt! DECIPI, errare, labi quantamcunque solertiam oportet, quæ contra verbum DEI solers est: impia prudentia, quid tandem politiis aliud, quam flebilem perniciem? quid mystis suis aliud parat, quàm infamen insaniam? Hac enim divexantur utique, qui per iniquitatis studia ad famam grassantur, & hinc inde in historiis vapulant, maximi, medioxumi, minimi. Novi equidē, quā operosè multi multa pallient; sed quid excusare semper juvat, per civiles assentatiunculas? Accusare præstat in Virtutis foro, ut, quàm latè bona malis distent, omnibus appareat. Hujus specimen industriæ non ita pridem mihi exhibuit generosa & genio Nobilissimus Iuvenis, THEODORUS JOHAN. Engelhardt/ Eques Livonus, Orationem eleganti factum Zopyri, Persici principis excutiens, quod sub Thaliæ finem refert Herodotus. Is enim, famam quoque magnam ambiens, seipsum mutilavit naribus & auriculis: comam turpiter totondit: plagis se opplevit & vibicibus: à Dario postmodum se tam iniqua passum, finxit apud Babylonios, quorum fidei se dedit, suam illis obligans; sed tandem, ut convenerat, post cæsa aliquot Persarum millia, Civitatis exercitui præfectus, omnia Regi suo devastanda,

standa, trucidanda, lacerānda tradidit. Hæc facti summa est, quod multi quidem laudant; sed invitô ipso Rege Dariô, cujus bono perpetratum est: invitâ pietate atque probitate, cujus judiciô si standum est, ut prorsus standum est, quis illud, variis de causis, non detestetur? Has exhibebit memorata Oratio, quæ, cum d. VII. Iunii ex memoria publicè reddenda sit, omnes rerum politicarum Curatores, Fautores Cultoresq́, humiliter, humaniterq́, & sub hostimenti fide, ororogo, ne tunc instituto nostro spectabilem suam denegent præsentiam. Cognoscent procul dubio, quod nimia famæ fames ipsum sæpe famæ fructum absumat & exedat. Dab. in Museo, ipsis Calendis Iuniis, Anno 1649.

IN ZOPYRUM PERSAM PRINCIPEM.

ORATIO

CUm Alexander Magnus, convocatis exercitûs sui Ducibus, de prælio, adversus Regem potentissimum Darium adornando, consultaret, inter alios bellicarum rerum peritissimus Princeps, Parmenio, ad exprimendam animi sententiam vocatus, censuit: ad superandum

randum hostem instructissimum furto, non prælio opus esse, cujus commodam occasionem intempesta nox præbere posset, quâ Darium, varia instructum acie, discordi multitudine stipatum, adorirentur. Non astipulatus ei Alexander, dum sententiam illius consilii laborare imbecillitate indicat: Latrunculorum & furum ista solertia est, inquit, quam præcipitis mihi: quippe illorum votum unicum est fallere. Meæ gloriæ furtum noctis obstare non patiar; palàm luce aggredi certum est; malo me fortunæ pæniteat, quàm victoriæ pudeat. O Heroicam invicti Regis celsitudinem! quæ immotam sibi in illius animo sedem fixerat, quæ tantam ei virtutis ac fortunæ fiduciam induerat, ut ne usitatum quidem aliàs pugnandi medium arriperet; sed technis uti bellicis, cum magnum quoque ante oculos discrimen esset, cordatissimè recusaret. Quanquam non ea fronte Ducis sui refragatus sit sententiæ, quod omnem bellicarum artium usum velit abolitum, quibus neque ipse per occasionem abhorruit; animum suum alacrem, interritum; animum ad pugnæ gloriam paratum innuit, ut ad similem mentis vigorem omnes suos incitaret. QUIS enim aliàs negaverit, occultioribus bellorum machinamentis vires hostium licitè everti posse? modò intra honestatis limites consistant, modò justa belli gerendi adsit ratio & suadeat. Sicut fera animalia non aperta

aperta semper manu capimus; sed variis modis mediisque circumvenimus, in laqueos in retia solerter ducimus: sic, fortiores præsertim, in bellis hostes non aperto semper Marte; sed insidiis quoque ab adversa parte vinci possunt. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat? MAJORI certè digna sunt encomio, quæ animis, quàm quæ armis: illustriora, quæ mente, quàm amento, in debellandis, aliis, præstantur. Unde etiam Spartani, populi bellicosissimi, majores & decentiores hominum actiones putabant, quæ rationis & prudentiæ, quàm quæ virium & roboris; ideoque, si rem astu aut suasione confecissent in bello, bovem; sin certamine, gallum immolare solebant. Quis enim non concederet, majorem esse Ducum militumque gloriam, certiorem Reipubl. salutem, sine periculo certare, sine sanguinis effusione, militumque cæde parare victoriam, quàm plurimorum sanguine contaminatas inde manûs referre? ILLA, illa bellorum furta laudem habent pulcherrimam, per quæ hostes maximè decipiuntur, amici juvantur plurimi! Modò salva fide fiant, & integra dignitate, qua cautione strategemata quæcunque, ceu eleganti corolla, exornat magnus Romanorum Dictator & servator Camillus. Nam, cum ei, Falisco rum urbem obsidenti, optimatum liberi à publico præceptore offerrentur, quos,

veluti futuræ deditionis obsides, in potestate retineret, detestatus est improbam hominis perfidiam, perfidam improbitatem, & Præceptorem, virgis ad urbem usque cædendum, pueris tradidit, eam dicens veram esse victoriam quæ salvâ fide & integrâ dignitate pararetur. O præcellentem animi gloriam! Quid enim magis victoriam nobilitat, quàm fides? Quid illustrat amplius, quàm integrum in bello dignitatis jubar? Quæ quidem duo, si in omni strategemate quærantur, plurima certè, à magnis quoque celebrata Historicis, gravissimam vituperii notam auferent. Nemo forsan nescit, quàm prolixi sint in facto Zopyri, Principis illius Persici, Scriptores, quàm operosè in eo fidem, fortitudinem, constantiam commendent. Cum enim Babylonii rebelles frustra, tot menses, à Dario oppugnarentur, Zopyrus ille, nimio ambitionis ardore ustus, naribus auribusq; sibi præcisis, Babylonem transfugit, fictis lacrumis, mendacissimaque oratione, se à Dario ita afflictum esse, civibus persuasit: in tutelam ergo civitatis receptus, Dux Babylonicarum copiarum tandem constitutus est. Quo verò eventu? ut ingratus hospes urbem posteà Dario traderet, & Babylonios, benefactores suos, marte & morte miserrimâ lamentabiliter conficeret. Habetis factum Zopyri, Auditores, factum, quod, ceu strategema nobile, permulti celebrant; sed ubi in eo salva fides? ubi dignitas integra? Ego quidem, pace

pace tamen vestrâ, existimem, multorum vitiorum nomine satis infame illud, ideoque omni vituperio dignum esse. Quod antequam ulterius, liquidiùsque ostendam, spectatam toties humanitatem vestram A. submisso animi studio imploro, ut, de re gravi & difficili, tenuia verba facturo, benignas aures præbere, meamque juventutem optabili benignitate vestrâ sublevare ne dedigneminí. CUM multis infestetur homo vitiis, ut tabe eorundem pestilentissima non rarò pereat, haud tamen scio, an ullum blandiori sese specie insinuet, quàm ambitio. Optimis etiam quandoque obreptat, animos fallaciter pertentat, clamque instigat, ut avidè inhient dignitatibus, ut varios honorum titulos ambiant, ut pessima quæque ad consequendos illos moliantur. Zopyrum nostrum, Persam nobilem, cujus causam modò disceptamus, quid adegit? quid impulit, ut in propria membra sæviret? ut perfidâ proditione exstirparet Babylonios? Non caritas patriæ: non Regis sui amor; sed callida isthæc nobilium animorum dementatrix, ambitio, summa inter suos affectavit, ad quæ, cùm nullo alio pacto se feliciùs velociusque eniti posse videret, quàm expugnatione Babyloniorum, suum illud opus esse, nomen apud suos ita efferre, majorem apud Regem autoritatem, quibuscunque etiam modis & mediis, parare sibi statuit. Audiamus testem Historicum, qui venenatum illum fontem nobis aperit, ad

Regem seſe contuliſſe Zopyrum referens, & quæſiviſſe: Ecquid magni æſtimaret, Babylonem expugnare? Cum per quam magni ab eo fieri audiret, nihil aliud conſultavit, nihil magis ſecum agitavit, quàm ut ipſe eſſet urbis expugnator, & ita mentem honorum avidam ex voto ſatiaret. Beneficia enim Perſis offerre permultum ad honoris incrementa valuiſſe, addit Herodotus. O fraudulentam vim ambitionis, cui noſter Zopyrus ſuccubuit! Illa, illa fædiſſimorum poſtea conſiliorum autor ipſi exſtitit; illa ipſum fallaciſſimo perſuaſionis poppyſmo, ad quævis malorum machinamenta, pellexit, CUJUS veſtigiis quotquot ad honorem tendunt, uti multi tendunt, dum ſinceram dignitatis gloriam, optimum virtutis præmium, ſe nactos putant, voluptate quâdam in perniciem, variorumque malorum damna detruduntur. Scio equidem, Auditores, nonnullos, rerum Civilium ſcientiſſimos, ambitionem in bellicis commendare Ducibus, adeò quidem, ut milites deligere, qui ambitione vacent, perinde dicant eſſe, ac ſi calcaribus ipſos ſpolies. Quî verò ita? quia validâ honorum ſiti aduſti, pericula quæque audacter ſubeunt, inſtar columbæ occæcatæ, quæ ideò ſurſum volat, quia circumſpicere non poteſt. Sed ô miſeram hanc ambitionis commendationem, quod cæcam audaciam comitem habeat! Largiamur illam in bello; ſed ſi alia abſint gravia vitia: quandoquidem in re militari ad peritiam magis, quàm ad probitatem reſpiciendum alicubi videtur Philoſophorum Principi. In Zopyro autem quò major fuit, eò fædior ambitio, eò gravioribus comitata vitiis fuit. Quid enim fecit? ſibi turpiſſimo conatu nares atque auriculas præcidit, comam deformiter circumtondit, multisque impoſitis plagis, ad Darium habitu iſto cruento perrexit. O immane ac horrendum facinus! O facinus longè immaniſſimum! De nobili quodam Romano, C. Mutio, refert hiſtoriæ Latinæ princeps, Livius, quod, cùm Rex Porſena Romam obſideret, ſolus in caſtra Regia ſe contulerit, omnem navans operam, ut, abdito intra veſtem ferrò, Regi mortem inferret. Sed alio traxit fortuna facinus. Scriba cum Rege, pari ferè ornatu, ſedebat: illum igitur errore quodam, interfecit. Cum deprehenderent autē illum Regii ſatellites, & Porſena, ſimul irâ infenſus, periculoque exterritus, circumdari ignes minitabundus juberet, niſi properè expromeret inſidias, ecce cordatum Mutii Cordi impetum! dextram accenſo ad Sacrificium foculo promptè injicit, à cujus etiam clade cognomentum Scævolæ poſthac ei inditum eſt. Glorioſius hoc factum, quàm prudentius eſſe, & juvenilis ambitionis inſtinctu perpetratum, quis facilè negaverit? Excuſari tamen poſſe apparet, cùm ſibi ipſi pœnam impoſuerit, criminisque, ſub extremò neceſſitatis imperio, index & vindex factus ſit.

Tam-

Tam turpe aut horrendum certè non fuit, ut Zopyri, quod contra omnem humanitatem, & temerè quidem, in se perpetravit. Nunquam sic Orestes insanivit, nunquam sic sæviit Ajax, quia, instar furiosorum, sæviit in seipsum, suisque membris infames maculas, letalia inflixit vulnera. Cum velut alienato ab sensu animo torresceret manus Mutii, Rex, miraculo propè attonitus, à sede suâ prosiluisse, amoveríque juvenem jussisse legitur. Quis tam ferocis esset animi? quis tàm ferus ac ferreus, qui non exhorresçat diriùs, cum, extra omnem necessitatis casum constitutus, Zopyrus, instar bestiæ ferocis, truculentas sibi manûs infert? Quid cogitationis te subiit Zopyre, (tecum enim mihi de te loqui placet! te tui ipsius appellare judicem!) cum diras durasque manûs membris tuis, à Divino Numine donatis, admoveres? Quæ mens tua fuit, cum nares mutilare primò omnium aggredereris, & te tam insigni faciei parte privatum ires, quâ spiritum & accipimus & reddimus? nonne te indignum inde fore videbas, qui & acciperes spiritum posthac naribus, & redderes? Quid? cum detruncares auriculas, nonne succurrit tibi, pœnam hanc furum esse? Cum comam circumtonderes, none animadvertisti, te, signo libertatis deposito, servitium induere, vibicibus & plagis illis dignum, quas in te congessisti? O hominem sui oblitum! ab omni honestatis sensu alienum hominem! Crudelissimi etiam in alios, corpori tamen

tamen proprio parcere solent. Inter alia opinionum monstra, quibus Stoica Philosophia se fædavit, illud quidem est deterrimum, quod hominem sibi ipsi violentas inferre manus non licitè tantùm posse; sed debere etiam, statuerunt. Sed quid hoc est aliud, quàm omnibus hominem legibus solvere? Homicidium verè peccatum est, meretur pœnam, & quidem gravissimam, si in alios committatur: quid, si in nos ipsos? MAJESTATIS divinæ jura invadit, qui sibi dominium in vitam suam, in sua membra, arrogat. Deus Dominus eorum est, homo tantùm custos. Nullum membrum homini, pro arbitrio, resecare licet, nisi ubi putridum, & quasi damnatum fuerit à Medico, & quidem in custodiam vitæ, quam sanctè nobis Deus & natura commendârunt. Alieno scelere, non nostro nobis pereundum est, si pereundum est. Intellexit hoc ipse Darius, à quo quidem nullam primò laudem retulit Zopyrus, nec approbavit ipse ausum istud, etsi fidelitatis laudem eò aucupatus sit. Redarguit sanè mutilatis membris in conspectum prodeuntem graviter: O virorum miserrimè! inquiens: turpissimo facto pulcerrimum nomen imposuisti, dicens, propter eos, qui obsidione premuntur, temetipsum indignè lacerâsse. Nunquid, ò demens, temutilato, hostes citiùs deditionem facient? Quid in te ipsum dilaniando sensus amisisti? Regium profectò & egregium judicium! & ipsum factum, & facientem vitupe-

vituperio perstringit acerrimò, dementem, exsensum, ab humanis derelictum sensibus, miserrimumque nominans. Verè miserrimum, qui sibi ipsi miseræ dilaniationis causa erat, qui notas miseriæ, imò sævissimæ crudelitatis, in vultu, in capite, in toto corpore portabat, Verè exsensum, qui brutis ipsis deteriùs sævierat, qui, velut amissis sensibus, secum egerat. Verè dementem, qui sine mentis usu sese laceraverat, qui, sine humanitate, hominem se esse non meminerat. Si fuisset inter socios Ulyssis Zopyrus, Circæo ipsum poculo in rabidum canem mutatum fuisse dicerem. Sed quid dico? quis canis se ipsum ita mordet? vulnerat? dilaniat? Nimirum TAM insanè agunt, qui in suis cupiditatibus se solos audiunt, sibi placent, nonnisi sua adorant consilia & sequuntur. Profectò, si alterius consilio fuisset usus, ad propositum suum, Zopyrus, nunquam eò turpitudinis prolapsus esset. At, cuinam aperuit mentem homo impos consilii? Nemini! ipse nonnisi seipsum audiit, quod & ipse fatetur: Solus auctor fuit, solus deliberator, solus etiam exequutor. Solus autem? imò sociam consilii habuit, eam scilicet, quæ hominum mentes adeò obumbrat, ut meris confusi tenebris, neque ipsi bona foveant consilia, neque aliorum exquirere acaudire sustineant. EA temeritas est, malè præstans promissa, malè suis consulens amatoribus, ut, docente exitu, pessimè fiat, quod per

per eam solet fieri. Hanc prodit, non solùm, dum se non nisi semetipsum adhibuisse in consilium narrat; sed etiam, cum quasi jam victam possideret Babylonem, subjicit: Jam Babylonem capiemus. Dictum factum, scilicet! Zopyrus se mutilavit: Babylon victa est. Quid si non admisissent ipsum Babylonii? quid si admissum detinuissent in custodia: si non credidissent ei exercitum suum, aut muros: si consiliorum semper adjunxissent arbitros: si sub alio militare jussissent? quid si fortuna destituisset propositum? Quid effecisset vanus jactator? INSANUM certè est, alteri tam confidenter polliceri, quæ minimis rerum momentis aliter evenire possunt. Ambitionis manifestus apparet, quod verbum Magister prudentiæ Tacitus de futurarum victoriarum indice, Veranio, usurpat, qui jactat de crastino, quid dies posterior pariturus sit, nescius. Noster quidem Zopyrus & inde, & aliunde ambitionis temeritatisque est manifestissimus. Sed operæ pretium est, Auditores, videre ampliùs, quibus posthàc gradibus, ad infelicem ambitionis metam, pervenerit. Quibus verò? Merè dolosis, dolosè, mendacibus, quos infami tamen transfugii velo tegere voluit, transfugam se ad Babylonios fingens: animum apud ipsos suum multis verborum lenociniis purpurissans: à Rege suo Dario ita se mutilatum, tot se diris afflictum plagis, & ejectum clamitans: falsam quoque ejectio-

ejectionis suæ causam prætendens, quod illis cum exercitu à civitate discedere, suasisset, cum nulla expugnandæ illius spes appareret. Eximium scilicet pugnandi modum! Laudabile dolosi pectoris studium, mendaciis decipere, mendaciis ex deceptione inclarescere velle cum Zopyro! Sunt nonnulli, fateor, Moralium Civiliumque Doctores, cultoresque qui, tantùm abest, ut mendacia versantibus in bello interdicant, ut certas quoque illorum formas concinnent, quibus hostem decipere, non justum modò esse; sed & gloriam, &, cum lucro, voluptatem habere opinantur. Nimirum fallere, fingere, mentiri tam usitatum fuit apud multos omni seculò, atque adeò in mores transiit, ut inter necessaria problemata videatur: Annon mendacia sint licita? ut dubitetur: quid consultius, nudam veritatem, an subtile commentum, in bellis præsertim, proloqui? Non est instituti mei, Auditores, neque virium prolixè hic discutere, quid in hostem factis, verbisve gestibus liceat? Excutiunt hanc quercum in utramque partem alii, omnes tamen in eo sua conjungunt suffragia, quod sit gloriosius, si & in bello candor foveatur ac integritas, cum MENTIRI servile quippiam sit, iisque omnibus, qui fallaces atque duplices, illiberalis abjectique animi, nota meritò inuratur. Negs hoc injuria! Quid enim generosam indolem exornat magis, quàm vera loqui? quid decet magis, quàm animoso candore excellere, veritatem

tatem inanimi sacrario semper colere, nec committere, ut lingua, quæ interpres ejus est, à sensu & cogitatione discordet? Magnanimus liberè agit, & loquitur: mendacia cordatè fugit: vitam ante projicit, quàm turpi illam contage commaculet: fidem sequitur & consequitur: ex fraudibus verò confectus, tam apud hostes, quàm apud suos, suspicione diffidentiæ laborat. Et cum mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, vel non habet animi magnitudinem, qui mentitur, vel ignorat. Utrum horum de Zopyro nostro dixerimus, vapulabit meritò, præsertim apud Persas suos, qui duo judicabant omnium turpissima, plerumq; conjuncta: ex ære alieno laborare, & mentiri. Proinde, quanquam adversarium mendacii fuco in bellis fallere liceret, ipsi tamen Zopyro, viro ambitione tumenti, & ad magnanimitatis famam composito, ipsi inglorium perditumque laudis everriculum esset, ipsi non prodesset; sed obesset plurimum, auferretque, non afferret dignitatis gloriam. Sed nihil horum videt quod inertis est, aut si videt, non attendit Zopyrus, quod est hominis de industria improbi, quales sunt, qui, relicta semel honestatis orbitâ, in devios vitiorum projiciuntur. Quemadmodum navis, cui Navarchus aut proreta deest, à recta propositaque navigandi via errare & confluctuari tamdiu solet, donec à tumultuantibus ventis pelagique procellis concussa, penitùs frangatur ac pereat: Ita quoq; MENS

hominum, cùm virtutis præsidio stipata non est, variis vitiorum incursionibus hinc inde turbatur, & in altissimum quasi perniciei pelagus dispellitur, ut ad suum semper exitium majora cumulet. Videte miserum conditionis illius instar in Zopyro, cui nec in seipsum exercita immanitas, nec improbè cusum in alios mendacium suffecit ad malitiam, nisi perfidiam quoque & proditionem junxisset. QUAM necessaria & salutaris hominibus est fides? Quàm sanctum apud omnes est illius vinculum? Cum sine ea non domus: quid domus? non civitas: quid civitas? non tota gens aliqua: quid gentem dico? non universum genus humanum contineri salvum possit. Hoc sublato, tollitur, quod inter homines, commercium: hoc amisso, feris sumus similes, quarum vim omnes exhorrescimus. Et hoc, quantum in se fuit, sustulit, hoc neglexit Zopyrus, perfidiamque sectari maluit, illam omnis honoris, omnis existimationis corruptricem: illam Deo invisam, hominibus probrosam perfidiam sectari maluit, ut de eo reverà usurpari possit, quod inclutus Historicus, Valerius Max. de Cn. Domitio tulit judicium: Nimia gloriæ cupiditas perfidum existere coëgit. Fugit ad Babylonios: in civitatis clientelam se dat, & fidem; magnis honorum mactatur ornamentis: ille se pro Babylonis quorum præsidio vivat, omnia perlaturum, omnia susceperturum spondet atque obligat. Quo autem animo promittit ista? quem

quem verbis suis scopum habet propositum? ÆQUE perfidus est, qui fidem, eum dat, præstare nullam cupit, quàm qui datam non præstat. Licèt hîc impedimento esse possit manifesta iniquitas, sed hæc in conspectu Zopyri non fuit: non quod non posset, fidem nullam ipso præstitit opere, sed quod nollet. Quomodo enim servat sanctissimum fidei vinculum? Nunquid prudentia ipsis suggerit consilia, quibus vel oppugnantem Regem avertere, vel sancire pacem cum eo possint? Nihil horum! Postquam, ex composito, ternis vicibus, sex Darianorum millia, miserabiliter trucidâsset, & ita tot miseras, innocentesque perfidiæ & fraudi suæ consecrâsset victimas, homo undiquaque crudelissimus; tandem, ut convenerat, Darius copias undique muris admovet, & Zopyrus omnem dolum, ut Historicus ait, omnem fraudem patefacit. Nam, cum Babylonii conscensis muris copias Darii adorientes arcerent, ipse, apertis portis, Persis urbem tradidit, eosque velut ad triumphum introduxit. O perfidiam in Zopyro longè pessimam! O insidiosum & occultũ facin⁹! Quis, honestatis amans, commendaret istud? Quibus enim referre debebat gratiam, illis dolum retulit: quibus omnem exhibere amicitiam decebat, illos crudelitate afflixit miserrimè: quibus obligarat fidem suam, cum illis agit perfidissimè. Ita quoque egit Tarquinii superbi filius Junior, qui itidem, ex composito, Gabios fugerat, patris in se sævi-

tiam intolerabilem prætexens; sed benignè ab iis exceptus, dignam quoque, ut Zopyrus, benefactoribus suis gratiam retulit. Qualem illam? quæritis. Cum ex nuncio, (quem ad patrem sciscitatum miserat,) perciperet, quod pater in horto tacitus ambulaverit, papaverumque summa capita dejecerit baculo, patris sententiam conjectans, Proceres civitatis criminando, trucidando, affligendo tamdiu vexavit, donec orbam consilio auxilioque Gabinam rem Regi Romanorum traderet. Sed quod judicium de isthoc facinore tulit Historicus Maximus? Minimè arte Romana; sed fraude, dolo, ac præstigiis perpetratum esse asserit. Idem de sceleste Zopyri facto dicere necessum est: dolo, fraude ac præstigiis perpetratum esse; quod quidem, licèt in Regis Darii commoditatem vergat, nullam excusationis tutelam meretur. Quid enim? num crudelis illa in Regem fides, maculam perfidiæ in Babylonios exercitæ eluerit? FIDES perfidiæ virtus vitio adjuvanda non est, se contenta: nullum in eodem pectore est bonorum & turpium consortium: cogitate optima & deterrima, non magis est unius animi, quàm ejusdem hominis, bonum esse & malum. Aliis potuisset speciminibus fidem exornare, domino suo debitam, aliis probare modis, quamvis ab ejusmodi technarum futura, ad aucupandam apud eum gloriam, abstinuisset. Exempla certè Ducum bellicorum exstant plurima, qui & su-

& superioribus à mundo condito, & nostro seculo, suæ suorumque saluti fidem Dominis suis debitam laudabiliter prætulerunt. Liceat pace vestra, Auditores, unum saltem subjicere, in quo amorem patriæ omni fortiorem amore, in generoso animo, fuisse cognoscimus. Ante plures annos Rex Siciliæ, Jacobus, Belvederum, Calabriæ oppidum, gravissima obsidione cinxerat. Præfectus ei à Gallorum Rege erat Rogerius Sanguinetus, cujus hortatu cives, fame jam & siti desperabundi, jactis saxis grandioribus, castra Jacobi Regis impetebant. Quid hîc Jacobus? ut ab ista ferocia obsessos averteret, Sanguineti liberos, quos obsides pro patre habebat, ad impetita maximè castrorum loca palo affixos imposuit, ratus sic, amore filiorum, patrem ab emissione lapidum cessaturum esse. Sed Sanguinetus, ne fidem Regi suo datam ullo modo libaret, amori pignorum carissimorum antetulit, indeque durioribus in eam partem projectis lapidibus, factum est, ut uterque filius, ex pali vertice dejecti, corruerent. Miserabile spectaculum! alter statim in oculis paternis interiit; alterum illæsum Divina benignitas servavit. Adeò verò hæc res Jacobum movit; & quem non moveret? ut, tantæ virtutis respectu, Sanguineti dolori medicaturus, alterum filium, sericis velatum vestibus, ad sepulturam; alterum superstitem liberum, ad solatium, genitori remitteret, & obsidionem statim solveret. O fidei exemplum spectatissi-

mum! Fidei, quam propter salutem Regis sui & patriæ liberis suis prætulit! Talem vel similem præstare Zopyrus suo quoque Regi debuisset, nec tot perfidiæ experimentis graffari ad gloriam, aut per infamiam ad famam contendere, perque proditionem deditionem civitatis efficere. Annon enim illi affine transfugium fuit? Imò, annon ipsissima proditio fuit, cum Babylonios Dario tradidit, quibus tamen fidem, gratiam, omniaque studio, pro tam benevola in se amicitia, & promiserat, & debebat? Interrogatus aliquando Plutarchus, Magister morum optimus: Quis omnium hominum pessimus esset & perditissimus? proditorem dixit. Rectè omnino, si ad rectæ rationis amussim responsum exigas! PER proditionem prodit se perfidia: hæc occultum aliàs & insidiosum malum latebris extrahit, tantum incommodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat. Habeat igitur non minus reprehensionis, quàm illa laudis consequitur: habeat sibi scelestum impiæ proditionis crimen Zopyrus: nihil amplùs exindè nactus est, quàm perpetuum vitiorum comitem, opprobrium, quàm lanienam suæ conscientiæ, & cruciatûs, quibus crudeles animi, ad suum usque finem, horribiliter torquentur. Quid, nisi infamem in historiis famam, cum magna gloriæ jactura, reliquit? Quid vobis reliquit, Babylonii? Cladem & excidium miserrimum. Hæc à perfido vestro beneficiario passi

passi estis, cujus versutia perfidiaque victi estis, antequam vinceremini. Vos enim ita suis fascinaverat præstigiis, ut nec malum, quod, sub fallacissimo amoris vultu, latebat, internoscere, nec ab iniquo transfuga cavere vobis potueritis. Miseri, miseri, inquam, & ob gravissimam culpam, quam adversus Regem rebellando commisistis, & ob pœnam miserabilem, quam luitis! PERFIDIA perfidia punita est: malum malo rependitur: ærumnæ, calamitates, supplicia vestra horridiora sunt, quàm ut ab homine efferri facilè possint. vestra piacula expiatis; sed cruore in primis Procerum vestrorum, quorum tria millia, patibulis affixa, victimæ sunt perfidæ proditionis Zopyrianæ, quæ muros quoq; vestros circũcidit, & omnes portas amolita est. Tantùm potest perfida ambitio, ambitiosa perfidia, ubi mobiles invadit animos! Omnia diruit, incendio similis; seipsam quoque aliorum ruinâ plerumque oppressat. Quid enim obtinuit in Zopyro? neque dignam laudis materiem, neque honoris cultum: ut crudelis culpandus, ut immanis censendus, ut inhumanus detestandus est, qui neque in se suave membra, neque in alios humanitatem exercuit, qui perfidia ac proditione sibi gloriæ, aliis vitæ jacturam paravit. Eat ergo Zopyrus, cum omnibus sui similibus, qui malunt, per iniquitates, ad summa eniti, quàm, cum probitate, in secundis tertiisve subsistere! fruatur suis laudibus, fraudibus!

famam in infamia quærat, laurum in mustaceo! Quotquot, in virtutis Schola, vigilem navant operam, antiquum mihi, & tritum illud in Senatûs consensu, OMNES OMNES, succlamabunt, spero, & Zopyrum ambitiosum, mendacem, perfidum proditorem mecum proclamabunt. Vos autem, Commilitones optatissimi, qui, melioribus studiis, ad altiora tenditis, candidis factorum remigiis in omni vitæ vestræ cursu pergetis, &, si qua ad honoris, ad utilitatis publicæ, ad laudis decus pervenire animus est, ut omnibus est, fraudem in verbis, dolum in factis, omni mentium conatu fugietis; fidem, fidam humanæ vitæ sociam, fidem, arctissimum amicitiæ vinculum, illibatam fovebitis, ut, quò adspiratis, imò quod speratis, ex voto cum omnibus bonis nanciscamini. NULLA enim virtuti, nulla fidei via invia est. Quibus autem mellita & mollita fraudium dulcedo salivam movet, multis sæpius malorum pedicis ita involvuntur, ut præsens non tantùm aliis; sed sibi ipsis quoque exitium attrahi sentiant.

PRO-

PROGRAMMA INVITATORIUM.

GIGANTOMACHIA.

SIC *nominabimus ferociam, qua quosdam, nostro quoq; seculo, in Reges suos stimulat. Quid enim tales sunt? Gigantes sunt, in sana monstra: pari Reges ausu turbant, &, ut majestatis cœlum ruant, montes congerunt. Ne cogitemus autem Pelion hîc, Ossamve, aut Olympum. in Thessalia tres isti permanent.* AMBITIO, *Perfidia, Crudelitas civiles montes sunt. his dignitas convelli regia: his concuti divinus status, à non paucis Alcioneis Caisque, solet. Nihil altius iisdem surgit in Republica, nihil magis noxium. Quam enim effert se Ambitio? Certè,* CUM *sua quibuscunq; cupiditatibus sit satias: cum fames tandem atq; sitis restinguantur; sacra tamen illa impotentis potentiæ fames inexplebilis est. ipsa novam jugiter expletio accendit, & quantumvis incrementum majoris initium est. Hinc nemo unquam totam explicat ambitionem, quia nunquam totam habet: neq; potest! tota terrâ capi nequit: cœlum impetit, ut omnem ejus tollat reverentiam, id demum æquius, cum iniquissimis quibusque, putans, quod validius. Quid Giganteum magis cogitari potest? Videte mihi Bessum dicam, an Besbicum? illum Persicum! Magnus erat*

Dux Darii, magnus cœli atque Regis, sui gratiâ; sed, quod ambitionis est ingenium, se magnum non putabat, quamdiu erat sub alio. Haut ergo æquo animô in secundo se gradu continens, petebat illô fastûs monte Regem suum, terrebatque: imò, cum ministro parricidii, augustô ejectabat soliô ir competes, in sordidum vehiculum, in mortem demque miserrimam, quæ hosti etiam Victori lacrumas elicuit. At infelicem istius modi felicitatis impetum! infelicem ipsam, quam nonnisi major asserat felicitas! Nullatamen Besso, nulla bonis omnibus horrendo parricidæ obtigit. Insidiis cultissimi amici, quem in primis periit, periit. Spitamenes hic erat, Ossam Pelio imponens, hoc est, sociam ambitioni jungens Perfidiam, quæ non minus in augustam regum majestatem furit. Quidni autem fureret? FIDES sicut privatarum: ita publicarum rerum vinculum est. hæc imperanti subditos, & hos vicissim illi copulat. utrinque sancta & firma, præstans omnia. Vbi verò locô pellitur, ut Giganteô motu pellitur, misceri terris cœlum, sursum deorsumque ferri omnia, quid mirum est? Semper quidem nomen Regum sanctum fuit apud Ethnicos, & in Romana civitate, etiam dum sine iis fuit: sanctum, ut devotè colerétur: sanctum, ne à quoquam læderetur: sanctum, quod ex sese sanctimoniam in actûs derivaret regios. Nimirum, DEUM propiori nexu Reges tangere, DEUM aliquid sui intimè iisdem communicare noverant: ut eos sanctas DEI vices gerere, quod Seneca: ut sanctum DEI instar esse, quod Senator iste apud Tacitum: ut DEOS atq; sanctos esse, quod

DEUS ipse sanctissimus asserit, nulli negent, nisi improbi, profani, perfidi. Cum enim tales sint, quid DEUM sanctum, aut quod DEI est sanctumque, æstiment? Gigantes sunt, nec tantùm os; sed manus etiam in cœlum armant, modò malè Iovi faciant, Profectò, si Crudelitas abesset, frustra se jactaret perfida ambitio: frustra montem monti, scelus sceleri aggereret; sed ILLA mille manûs, illa in furorem armat, ut improbi, quantum nocere volunt, valeant. Non opus est, exempla cumulare horrida. edisserant annales ipsi, quam infesta toties in Reges rebellium crudelitas exstiterit! Loquantur historiæ, quam immaniter, Gigantibusque gravius, sævierit! De Giganteo tantùm Phocæ ausu, & quos montes in Regem suum congesserit, in præsenti agimus. Quam ille non ambitiosus modò perfidusque; sed crudelis quoque fuit Porphyrio? Mauritium videbat imperare, Regem suum atq; Dominum, Imperatorem laudatissimum, Patrem patriæ, ministrum DEI sanctum & inviolabilem. Sanctum verò & inviolabilem? Phocæ quidem talis nullus erat, quem ambitio in clypeum extulit: perfidia in solium abripuit: crudelitas ad lanienas lacrumabiles armavit. Horret animus ad mentionem cædium, quibus filios filiasq; sui Domini, quibus ipsam Dominam Augustam, impiè afflixit! Inspectante Rege, patre, Augusto, &, tot inter sua, quot suorum funera, priusquã ipse funus fieret in laniario, clamante: Iustus es Domine, & justa judiciâ Tua! Et verè justus fuit Deus, in Gigantem quoq; illum: verè fulmen iræ in eundẽ misit vindex exactorq; honoris sui, quem in Reges

contu-

contulit! Quis enim unquam potestatibus superioribus impunè obstrigillavit? GIGANTUM *studia gigantum semper ferunt supplicia, & illi ipsi montes, quos limphati cumulant, â Deo cæsos, fusos, obrutosq; tumulant, Quod ut exemplo Phocæ fusiùs pateret, totam illam de Mauritij cædibus historiam dignam credidi, quæ, amplius diducta, publicè audiretur. Commendavi ergo nuper Ornatissimis, Iuvenibus,* JOHANNI FUHRMANNO, & BENEDICTO HINTZKE, *Rigensibus, qui, pro laudabili ingenij felicitate, laudabilem hîc præstiterunt operam. Orationes duas elaborantes, quarum altera nonnihil excusabit Phocæ facinus: altera, & quidem meritò, gravissimè in illud invehetur. Reddituri autem sunt easdem ex memoria, d. XX. Iunij, ideoq; omnes dignitatis Regiæ cultores, Summates infimatesq;, ad Gigantomachiam istam Phocanam cognoscendam, ad ædem Musarum Gymnasticam, humiliter humaniterque invito. Quod beneficium & gratâ mente celebrabimus, & nos ipsos, (quid enim aliud offerri licet?) redhostimenti loco nunquam non sistemus.*

Dab. in Museo, d. 13. Iunij,
Anno 1650.

IMP. MAURITII FLAGITIVM.

ORATIO

CUm omnes disciplinæ singulari quadam laude dignæ videntur, quæ, in excolendis hominum ingeniis, operam atque industriam suam collocant; tum ea præcipuè, quæ ab omni seculorum memoria in mundo gesta ita proponit, ut præterita præsentibus, præsentia præteritis, utrisque futura, solerti mentis æstimatione, jungere doceat. Historicam intelligo, nobilem illum rerum memorabilium thesaurum, illud augustissimum mundi theatrum, illud vitæ nostræ speculum, in quo variè apparet, quæ virrutum dignitas, quæ vitiorum turpitudo, quanta vario virtutum decore splendentium sint præmia, quàm fædæ vitiorum sordibus spurcatis pœnæ proponantur. Quis inde, ad virtutum cultum prosequendum; hinc ad fugienda vitia non incitetur? IN factis certè & exemplis clariùs patescit, quæ sit virtutum claritas, quæ vitiorum tenebræ, imò abyssi, multoque meliùs homines exemplis, quàm præceptis informantur. Verba enim & præcepta

cepta movent tantùm; exempla quoque commovent & inflammant, ut incredibili quodam gloriæ desiderio, ad virtutes colendas, ac eximio immortalitatis amore animi capaces accendantur. Quemadmodum Mercuriales in viis statuæ locantur hanc in finem, ut, quò eundum, indicent: ita exempla in historiis bene vivendi monstrant viam, ut hanc ingrediaris, ut devites aliam, quæ in perniciem ducit. Elegantissimè, ut omnia, prudentissimus historiæ Romanæ conditor utilitatem hanc commendat, cum infrontispicio operis sui optimi maximi SHOC illud est præcipuè in cognitione rerum salubre & frugiferum, inquit: Omnis te exempli documenta, in illustri posita monumento, intueri; inde tibi, tuæque Reipubl. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites, ut non felicius sine accurata historiarum cognitione actiones dirigi, quàm navis sine Cynosura, possint. Neque verò sine magno commodo fit, quod, variis virtutum studiis eximii, magnis ornentur præconiis & præmiis; scelerati autem, vitiorum sordibus squallentes, vituperiis notentur ac pœnis. Ut enim illorum laude, ad virtutis cultum, exercentur, incredibilique veræ gloriæ cupidine inflammantur alii: ita improborum notis à vitiis deterrentur alii, ut, variorum informati erroribus, sapiant, meliusque facta sua comant ac componant. Ut ut verò privatorum multa offerantur in historiis exempla,

pla, Regalium tamen, principaliumque, in utramque partem, non minor copia suppetit, QUÆ eò validiora & efficaciora sunt, quò studiosiùs homines, ad superiorum facta, veluti heliotropium ad solis cursum, circumaguntur non solùm licitum; sed & æquum judicantes, cum capite terræ conformari. Et certè, quo majores sunt, qui imperant, eò conspectior eorum vita est: facta cuncti mortales novere, & vel, cum iisdem, sequuntur, vel detestantur, ut meritò intentis ea oculis & animis expendere quemvis honestatis studiosum oporteat. Quid vulgatius in historicorum scriptis, exemplo Imperatoris Mauritii, qui, cum, ex humili, scribæ statu, ad summum dignitatis fastigium evectus, tam nefando morum se contagio, tot damnis ac injuriis suos subditos onerâsset, imperio, à Phoca successore, privatus, dignisque pravè factorum pœnis affectus est? Quàm verò dissident hîc autorum judicia? alii mirum quantum accusant Phocæ factum, penitusque exsecrandum dicunt; alii, si non commendant illud penitùs; saltem, velut utile posteritati, excusant, cum inde pateat, MAGNIS vitiis magnas pœnas esse propositas, ne vel unquam improbis timor, vel spes absit calamitosæ virtuti. Quorum quidem sententiam, cum, ad exercendum ingenium, utcunque confirmare breviter hac vice animus sit, à vobis Auditores, non quâ debeo; sed quâ possum, animi submissione contendo, ut labori huic juvenili, solitâ

litâ benignitate, favere, tenuitatemque orationis singulari attentionis gratiâ sublevare dignemini. Quemadmodum in venenatis fontibus, aut fructibus malignis, maximum in scaturigine vitium deprehenditur: sic in sceleratis Mauritii actionibus longè pessima nobis investiganda scaturigo, pessima quærenda radix est. Quæ verò illa? Avaritia, A. illa insatiabilis ac inexplebilis congerendarum opum aviditas, fœda illa & omnibus implicata malis rei augendæ cupiditas; illa nimis altas in ipsius animo radices egerat, omnes ossium cuniculos turpiter per vaserat, ut à virtutibus invitia deflecteret, à vitiis, quod fieri solet, in mala omnia truderetur. Ne dicam enim, quod, teterrimi hujus vitii impulsu, exercitum, totgentium victorem, tot annos meritissimum, cum stipendia exigeret, itrum trajicere, & inde, per infestam hiemem, ex prædis victitare jusserit, quò exactam sibi lucraretur pecuniam: fortassis enim facto isti patrocinari quædam posset excusatio; illud tantùm urgeo, quod duodecim militum suorum captivorum millia maluerit à barbaris miserabiliter trucidari avarus imperator, quàm proliberandis singulis, dimidium nummum solvere. Dum enim aliquando remerè, cum Rege Avarum, Cagano, congressus Dux Mauritii, in fugam vertebatur, partim cæsi sunt imperatorii milites, partim capti ad numerum duodecim millium. Caganus, quia septem unâ die filios, letali, peste exstinctos amiserat,

serat, ingentemque suorum multitudinem in prælio perdiderat, æger animo domum properans, Mauritio captivos omnes, itineri accelerando graves, si pro singulis singula solveret numismata offert. Quid hîc Mauritius? Cum tantam pecuniæ summam expendere pertinaciter detrectaret, non nisi dimidiũ pro singulis Caganus nummum postulavit. Sed & hunc cum recusaret avarus Imperator, nec tantillum quidem pro suorum vita expensurus, Barbarus furore subito commotus, omnes miserabiliter obtruncari jussit. O exemplum avaritiæ sine pari! O detestandum, in tanto fastigio, flagitium! QUID enim in Imperatore turpius? quid in Reip. præsidibus fœdius avaritiâ? Officium certè illorum est, subditos suos beatos efficere, & quibuscunque possunt modis ac mediis, à malis vindicare. Hic Imperantium finis! hæc principatus meta est, ad quam currat regius animus, ut omni virium contentione ad subditorum salutem, velut ad Helicen & Cynosuram, Imperii sui cursum dirigat! Nec alia te causa veteres illos simpliciſſimo puriſſimoque hoc ornârunt elogio, ut vocarent Pastores Populorum, quod in accurandis subjectorum commodis, in præcavendis damnis, singulare operam navare semper debeant. IN omnia verò alia Rectores avaritia stimulat, neq; tantum à suarum; sed à sui quoque recta cura abstrahit. Quàm enim viles sese & contemtos reddunt? CUM in aliis omnibus odiosa sit,

sordida & illiberalis vita; tum maximè in principibus, quos, quò ampliore & illustriore fortuna utuntur, quam cæteri homines, eò remotiores esse decet ab avaritia. Quantam umbram facit aliis eorum virtutibus. Tantam sanè, ut omnes valdè obscuret, & in judiciis hominum prorsus perimat. Nolo memorare Marcum Crassum, dignas apud Parthos nimiæ aviditatis pœnas ferentem, qui cum, variis virtutum bonis ac donis ex ornatus, inoffensum semper felicitatis iter decurreret, ut etiam quinque maxima habere diceretur, quod sit nobilissimus, quod eloquentissimus, quod Jurisconsultissimus, quod Pont. Maximus, quod Quiritum ditissimus: tamen, cum, blandientis avaritiæ aura, à regia suarum actionum via seductus, per avaritiæ devia oberraret, omnia ista animi ac fortunæ bona sordibus illius tam horridè conspurcata sunt, ut in historiis, vix sine detestatione quadam, soleat nominari. Mauritium Imperatorem nostrum videte! quàm illustris, omnium primò virtutum luce nituit! in fronte ejus ac vultu propriam sibi sedem humanitas, in pectore fides & pietas, in actionibus gravitas, in toto regiminis cursu comitas & prudentia occupasse videbantur: Pater patriæ, optimus consul, gloria Romanorum undique audiebat. Sed ô virus avaritiæ sæviissimum! quod isthæc bona, bona singularia, bona regia ac egregia ita infecit, ita contaminavit, ut alium posthac Mauritium omnes animad-

animadverterent, & detestarentur. Quid ergo mirum, quod solenne ac regium regiæ avaritiæ præmium tulit? quod regno tandem, quod vita privatus est? Si enim per amplos historiarum campos paulò accuratius spatiari libet, nihil profectò usitatius fuisse, nihil frequentius accidisse deprehendemus, quàm ut avaritia non regno tantum reges, sed & vita exueret. Quid Galbam, bonum alias & prudentem principem, interemit? Avaritia? Cum enim se avaris & rapacibus libertis regendum abutendumque permisisset, ac, nimium tenacitati deditus, virtutes omnes fædasset, tantum militum in se concitavit odium, ut ab ipsis derepentè jugularetur. Quid pertinaci, principi alias laudatissimo, regnum eripuit & vitam? Avaritia! Omnes ille ante & post se Principes sapientia, prudentia & aliis virtutibus æquabat; ob nimiam tamen tenacitatem ac habendi libidinem à militibus spretus & interfectus est. Quid Phocam parricidam & successorem Mauritii cujus ignavia & sordibus Imperii status & nomen propè exstinctum est, sustulit? Avaritia! AVARITIA virtutum hostis, turbo Imperiorum, ipsis Poëtarum furiis immanior, ipsis harpyiis sævior, avaritia toties suam in reges rabiem exercuit, toties imperiis principes, principibus vitam, vitæ gloriam omnem & laudem abstulit. Eat nunc patronus ejus aliquis, perfricet frontem, ac Principibus avaritiæ studium sectandum esse dicat. Quid enim? Quid,

per Deum immortalem! inde boni iisdem promittent, quod neque à bono est, neq; bonum, neque in bona est? Sunt quidem, Auditores, sunt aulicarum technarum ministri plurimi, qui ex egestate militum, ax subditorum indigentia dominantibus securitatem audent polliceri, cum opulenti, saturorum instar equorum, insolentiùs ferociant: pauperes verò & macilenti submissiùs agent; sed oppidò falluntur & fallunt, qui ita fallunt! NON enim Paupertas homines obedientes semper facit, aut officii memores; sed novarum in primis rerum extremè cupidos, ut per omnia iniqua sibi prospiciant. Dum ergo, ex mutationibus, miseriam suam mutare suam meditantur, agitatur ferox animus inopia rei familiaris, ut nulla scelerum conscientia, à quibuscunque sustentandæ vitæ mediis, deterreantur. Hinc egentissimi, audacissimi! neque rarò paupertas in desperationem abit, ut, quos avaritia imperantium premit, iisdem in ultimam pernitiem noceant; quod si fit, ut sæpissimè fit, nonne justè fit? Si non tondendo gregem suum; sed penitus excoriando & deglubendo, bonos se pastores evasuros, dominantes autumant. NEC quicquam iniquius, quam militi, præsertim, qui, vitæ suæ prodigus, præsentissimum quotidiè, pro Imperatoris vita, vitæ discrimen subit, merita cum Mauritio stipendia denegare: quid dicam, ipsos aliorum immanitati laniandos objicere? Sed non vident hæc avaritiæ regiæ incen-

incentores, Pluti Ministri, quem sine dubio propterea cæcum finxere poëtæ, quod homines planè excæcet, excæcatos laqueis suus irretiat, irretitos in varia vitiorum genera pertrahat. Inter alia Græcorum Poëtarum figmenta, quibus varia virtutum monita incluserunt, imò vitiorum etiam originem spurcitiemque depinxerunt, celebratum quoque illud de Pandora est, cœlitus missa fœmina, cum pyxide, qua omnia mundi mala continebantur, ut, operculo remoto, omnia erumperent, omnes passim infestarent, obruerentque. Nisi fallor, A. Imperatoris Mauritii avaritia ejusmodi Pandoræ pyxis fuit, variorum vitiorum receptaculum, & velut radix omnium malorum, quæ ex ea germinarunt. Hinc enim non tantùm detestanda in milites sævitia; sed & dura omnibus superbia, temere suspicandi libido, pertinacia, aliaque prodiêre vitia, quæ omnia, quis est, qui nolit justas cædis à Phoca postmodum perpetratæ causas appellare? Audiemus sævitiæ in benè meritos specimen! Cum milites, in finibus Sarmatiæ præsidiis invigilantes, ævaritiam Imperatoris sui alere, & vestes armaque loco debitorum stipendiorum occipere recusassent, ita incensus Mauritius, occasionem miseros trucidandi insidiose quæsivit. Quid enim fecit? Commentiolo, Duci suo, clam in mandatis dedit, ut omnes illos hostibus proderet, & victimæ loco barbaræ immanitati offerret. Paruit Commentiolus, lacessivit hostem, fugit

cum suis, infensa Imperatori aliquot militum millia barbaris reliquit. O iujustum, factum! O detestantam Mauritij in milites suos sævitiam! Proditoremne se hîc, an Imperatorem Mauritius exhibuerit, quisquis cordatorum judicet. Benemeritos, salutis suæ, pro salute ejus, prodigos, salvos esse non vult: mavult fraudulenter jugulari, quos præmiis; non odiis, & quidem occultis, non pœnis ejusmodi, & ne pœnis quidem, cum insontes essent, remunerari decebat. Regia vox erat Alexandri M. licet tum magnus esse, ob fortunam ejus animo majorem, desineret: regiâ, inquam, vox erat ad milites: Hic unus vitæ meæ fructus est, tot fortissimis viris, & de me optimè meritis referre gratiam posse. Si vel gutta regii & egregij sanguinis in Mauritio fuisset reliqua, alio profectò in suos milites animo fuisset. Quot enim bella, gesserat? quot victorias glorioſissimè obtinuerat? Fuderat ferocientes Persas: Compescuerat plus semel Longobardos: Caganum regem masculè domuerat, & Scythas, gentem alias bello insuperabilem. Quorum virtute isthæc præstiterat? Quorum, A. nisi illorum, quos hic turpiter prodit & perdit? Egregiam verò laudem & Spolia ampla referunt! Illustre scilicet præmium! nobile militaris fortitudinis stipendium accipiunt, ut hosti Barbaro proditi miserabiliter pereant; Magnum hoc magnæ ingratidunis, imò tyrannidis, exemplum est, cui simile, erga bene meritos milites, in nullo Imperatore invenietur. Sed quendam mihi obloquentem audio, qui justam inobedientes milites puniendi causam fuisse asserit. Sed hoc inane prorsus est effugium! Si enim justam puniendi causam habuit Mauritius, quid clam hosti eos prodi voluit? quid occultis ducem ergà eos mandatis instruxit? Nimirum ut David Uriam Joabo, ut Pætus Rex, instinctu libidinosæ uxoris, castum & innocentem juvenem Bellerophontem Iobati commendavit; ita Mauritius benemeritos milites Commentiolo, ut miserè jugularentur. Egregium ab Imperatore Christiano puniendi medium! Esto: peccarant milites; voces etiam in Imperatorem asperiores ipsis exciderant, meruerant fortibus factis, ut mallet eas dolori ipsorum imputare, quàm animo. MILITANTIUM nec indignatio, nec lætitia moderata est. Intra verba peccarant. Præstabat clementia regia ignoscere, quàm sævitia tyrannica prodere! Profectò, NIHIL est in summa fortuna majus quàm posse: nihil melius, quam velle, longè lateque clementiæ & humanitatis pomæria prolongare. Clementia firmum & validum reddit Imperium. Quid ornamento illo, Principis fastigio dignius? Nulla dote, nullo virtutis genere propius ad divinæ naturæ similitudinem accedimus, quam miserendo humanæ imbecillitatis, ignoscendo erroribus, oblivisendo injurias. Quâ arte? quâ virtute majorem sede & diviniorem subditis Princeps facere potest?

MAJORE in illum affectu propendemus, qui placida regnant manu, & mitius, imperanti meliùs obtemperatur. Alia fuit aliorum Principum clementia: alia in suos benignitas, de quibus pleni scriptorum libri, plenæ historiæ inveniuntur. Sed avaritia Mauritij quoscunque leniores animi affectus abstulit, arctamq; mutuæ benevolentiæ dissolvit catenam, qua imperantes, cum iisdem, quibus imperant, sanctissimè nectuntur. Avaritia injustissimam animo ejus sævitiam insevit, ut præterea missos quoque ab exercitu officiales, qui de isto Commentioli facto quererentur, gravissimis contumeliis afficeret. Cum enim exercitus, eladem illam fraudulentam, ut par erat, iniquissimè ferens, (de insidiosa enim Imperatoris ipsius instructione nihil sciebat penitus:) proditionis ducem Commentiolum accusaret, & Deputatos, (uti vocant,) ad Mauritium mitteret, tantum abfuit, ut Mauritius, primarius nimirum cladis tam infestæ autor, preces audiret militum, ut etiam Phocæ centurioni, ex deputatis uni, aliisque, rem acriter urgentibus, plagas infligi, ut barbam à patriciis evelli ut injuriosis eos Lacerari verbis pateretur. Quis tantam æquo ferret animo contumeliam? Quis injustam hanc Mauritij excusaret sævitiam? Quis sævitiam negaret justè punitam? Maluit injustum commentioli, aut suum potius factum, neglecta justa militum querimonia, defendere, quam de tanto proditionis flagitio querentibus

ullo modo satis facere. Solent quidem illi, qui scelèribus Principum perpetrandis adhibentur, ipsis graves deinde esse Principibus, & quandoque accusantis Populi voluntati, ut graviùs evidetur malum, velut Publicæ victimæ, objici. Sic Commodus Imperator ferocem plebis seditionem Cleandri, hominis aliàs pessimi, supplicio sedavit. Sic Borgias Cæsar, hominum aliàs crudelissimus, Remirum Orcum, hominem factiosum, eò, quo seditio exercuit, instrumento, decollari jussit. Sed isthoc evadenti medio Maurit. Imp. usus non est, cujus sive æquitatem, sive iniquitatem uberiùs perpendunt, qui varia dominationis flagitia, Augiæ stabulum, excutiunt. Noster hic ad justum properavit exitium, ducemque adversus justissimas militum accusationes defendendo, tristius adhuc, quam Valentinianus, damnum passus est. Hic enim cum in levia etiam gregariorum delicta animadverteret, in præfectorum autem facinoribus conniveret, & ad querelas in eos motas plerumque absurdesceret, undique tumultus, in Britanniis sordidiones, in Africa Clades, in Illyrico vastitates emerserunt. Sed Mauritius, patronus paterque scelerum, non tumultibus tantùm & turbis agitatus; sed ipso etiam regno planè exutus, ipsa cum suis vitâ privatus est. Quid verò superba illa in militum Deputatos contumelia? Quantum & quam potens ad furorem incitamentum? EA enim gravius offendimur, quàm

plagis ea plus viros exacerbat, quam damnum, licèt maximum, cum nihil ingenium vehementiùs urat, quàm contumeliis proscindi, gravibusque verborum injuriis affici. Quantum contumeliosa verba conjugis Justini II. Imperatoris ad Narsetem, ducem, nocuerunt Imperio? Exprobrabat ei mollitiem, quod Eunuchus esset; redire ipsum ad pensa in Gynæceum jubebat: respondit ipse irritatus: Se telam exarsurum, quam non posset ipsa pertexere. Et omnino eam orsus est, Longobardos in Italiam invitans, unde infinita mala exstiterunt. Quantum damni contumeliosa vox, in Saracenos milites, à quodam Heraclij ministro profecta, attulit? funesta exinde rabie, cum Mahomete, exarserunt, & possessione sua fundamenta jecerunt Turcici Imperij, quod hodie nostris Christianis terror est. O ergo imprudentem & injustum Mauritium! Nonne monitum antessoris & Soceri, Tiberij Constantini, observasse præstitisset, quò ipsum, tradito cum filia imperio, instruxit? BENEVOLENTIAM civium antè omnia retine, inquiens, objurgationem magis ama, tanquam Magistram, quam assentationem. Potestas quidem naturâ suâ talis est, quæ reprehendi non patitur; sed iracundiæ imperet humanitas, & misericordia; arrogantiæ autem timor. Imperij sceptrum cogites non potentiam immoderatam; sed splendidam servitutem. O salutaria & propè divina monita! O auro magis pretiosa ad

ad Mauritium monita! Qui tamen nihil minus fecit; sed naturam non malam fortunâ turpiter corrumpi passus est: Avaritiam ac sævitiam sectari: justàm sibi perniciem arcessere maluit, quàm misericordiæ ac liberalitati studere. Quis huc accommodare nolit illud Guilhelmi Auraici Principis responsum, quod dedisse fertur quærentibus: Qua tandem spe, contra potentissimum Hispaniarum regem, bellum moveret ipse inops? Hispanorum avaritiam ac sævitiam duas sibi fore portas, inquiens, quæ aditum, ad subruendam ejus potentiam, daturæ sint. Nisi enim prorsus fallor, illæ ipsæ etiam portæ fuerunt, per quas scelestus Phocas, ad eripiendum Mauritio Imperium, venit: altera avaritia, altera sævitia. Hæ malorum matres! hæ florescentis imperij vastatrices! hæ optimi in Mauritio ingenij pestes fuêre, ut, neglecto patris patriæ officio, omnia clementiæ jura violaret, præter jus & fas in bene meritos fureret: ut contumeliis indignis irritaret: ut barbaræ hostium truculentiæ, insano ausu, innocentes offerret. Quis ergo justam Mauritij cædem negaret? quis pœnam tali facto dignam vituperaret? O Scyllam & Charybdin regnantium! VITARE hæc præcipuè oportet, in procelloso imperij mari, ne, cum Mauritio, pereas. Avaritia & sævitia Charybdis & Scylla sunt. O pessimos bonæ mentis scopulos! in hos semel illisi homines famæ tandem atque vitæ nau-

tæ naufragium, cum miserabili sui suorumque exitio, faciunt.

IMP. MAURITII SUPPLICIUM.

ORATIO

IUSTUS est Domine, & justa sunt judicia tua! Hanc patientiæ eximiæ, ac humilitatis vocem protulit innocentissimus Imperator, Mauritius, cum, jubente Tyrannorum crudelissimo, Phoca, ad capitatale supplicium, spectato miserabili suorum exitio, abstraheretur. Non negavit enim, neque ignoravit, se Deum suum, Imperatorum imperatorem, graviter læsisse, eumque, adjustissimam suorum delictorum vindictam, provocâsse, quam quidem tot prodigia, tot in terra, in aquis portenta, verissima futuræ mutationis indicia, antecesserant. Ne de Nilo enim, incluto illo, & tam aquarum spacio, quam liquore memorabili fluvio, dicam, & quod in eo species hominum aquatilium, circa ultima imperij Mauritiani tempora, apparuerint: maximum Cometam, ensis speciem præ se ferentem, multisque tunc conspectum diebus, omittere nequeo, aut præsagum istud

istud tacere somnium, quod ipsam cladis funestissimæ seriem Mauritio exposuit. Nam cum Imperator, illatam à se militibus captivis, injuriam, pœnitenti secum animo reputaret, & à sedibus patriarchalibus, omnibusque sibi obnoxiis civitatibus, & monasteriis, passim preces fieri juberet, quibus gratiam divinam implorarent, ut in præsenti potiùs seculo, quàm in futuro, peccatorum suorum pœnas ipse penderet: visus sibi est in somno, ante tribunal Christi positus, interrogari: Utro in loco facinoris, in captivos admissi, pœnas mallet? in hac vita, an in futura? & illico respondisse: amator hominum, Domine, & judex juste! hîc potiùs, & non in illo seculo! Quare tradite eum, vox alia respondit, tradite eum, cum uxore liberisque Phocæ militi, ut ab illo, tanti facinoris autor, digno meritorum supplicio-rum cruciatu divexetur. Exporrectus ergo à tristissimo somno Imperator, à Philippo, duce suo, insidiarum antea suspecto, primò veniam suspicionis petiit: deinde rogavit: Utrum nosset aliquem, inter agmina, Phocam militem? Regerente autem illo: esse juvenem eò nomine, temerarium quidem, sed timidum & vecordem: subjecit turbatus Imperator: SI timidus est, profectò & homicida est. O rem omni admiratione, & recordatione dignissimam! Quis fatale istud somnium in omen mali non captâsset? Quis certissimum futuri interitûs præsagium non affirmâsset? Nec enim frustra

ſtra dictum à veteribus: MAGNOS viros certis propriisque ſignis, de mutatione rerum, admoneri, nullamque à Deo cladem facilè immitti, niſi certa ſigna præceſſerint. Et an non, præter hæc, memorabile eſt, quod, poſt peractas Theodoſii filij nuptias, monachus quidam, ſtrictum tenens gladium, à foro, uſqua ad æneam imperatoris ſtatuam, diſcurrens; Mauritium brevi ferro periturum! exclamavit? Nullus unquam (docente plurimorum ſeculorum obſervatione) cometa fulſit, qui non vel populi; vel terræ vaſtationem indicaverit: qui non imperiorum, aut familiarum regiarum excidia, converſiones, aliasque calamitates portenderit. Quid opus eſt, orationem meam, invaſtiſſimum hiſtoriarum æquor mittere? plurima quidem, ad inſtitutum præſens, inde peti poſſent; ſed nobis ſufficit Cometa iſte, cædis Mauritianæ nuncius triſtiſſimus, cometa præco divinæ juſtitiæ, cometa ab irato Deo ſuccenſus, ut toti mundo, è ſublimi ſede ſua, teſtaretur, quid Imperatori in hoc ſeculo ex juſto Dei beneplacito, ferendum eſſet. Quod quidem omne patienter tulit & humiliter, juſtitiæque laudem Deo ſuo tribuit. Et hoc judicium, quis, niſi omnis judicij expers, non commendet? non approbet? Juſtus utique eſt Deus! Juſta omnino Dei ſunt judicia! Phocam verò, crudeliſſimum tyrannum, ſi reſpiciamus, quid niſi injuſta omnia, injuſtam ſævitiam, ſævam injuſtitiam animadvertimus? Impera-

Imperatorem ſuum & Dominum, nec tamen eum ſolum; ſed totam quoque Imperatoriam familiam, inſontem omnium, tam miſerabili cæde confecit, & exſtirpavit, ut nullum fortè, ab orbo condito, exemplum ſimile reperiatur. De quo ipſo inpræſenti breviter dicturus, antequam ulteriùs provehar, ſpectatam toties humanitatem veſtram, Auditores omnium Dignitatum titulis, honorumque nominibus ſpectatiſſimi, laudatiſſimi, ſubmiſſo animi ſtudio, imploro, ut homini adoleſcenti, cum à cæteris rebus ſatis tenuiter inſtructo, tum, in hoc genere, penitùs rudi, benevolas præbere aures, meamque juventutem, optabili benignitate veſtrâ, ſublevare ne dedignemini. Si nihil amplius dicerem, quàm occiſum eſſe, ab homine ſceleratiſſimo, clariſſimum ætatis ſuæ Principem, quem immenſæ hujus univerſitatis præſes, Deus, imperatoriis decoratum virtutibus, caput orbis conſtituerat: trucidatum crudeliter patrem patriæ, in Imperatorem, communi omnium ſuffragio & exultatione legitimè electum, tyrannicè à ſubditis ſævitum eſſe, ipſa ſtatim Mauritianæ cædis injuſtitia probata ſatis & evicta eſſet. Quæ enim iſta in unctum Dei ſævitia dicam, an impietas? quæ in Principem, divinitus conſtitutum, horrenda crudelitas? SANCTA certè ſunt Imperatorum corpora, ſanctum nomen apud omnes nationes: ipſi, in hoc mundo, Dei inſtar ſunt, cujus vicem apud gentes, gentilium quoque conſenſu, ſuſtinent;

sustinent: nihil illis in terra sanctius, nihil inter homines venerabilius, cum Dei loco ad regenda hæc inferiora, ab ipsomet destinentur. Ut enim Deo, regum regi, in omnia est imperium: ita ab eodem illius imperio sunt imperantes in terra, soli Deo, Domino suo absolutissimo, subditi, à quo sunt, à quo sunt secundi, post quem primi ante omnes & super omnes suos, ut, quemadmodum ipsis divinitus Majestatis eminentia data: ita his non nisi gloria obsequij relicta est. OMNIBUS hæc naturæ lex communis est, quam nullum abolebit tempus, ut inferiores suis pareant superioribus, & contraria his molientes meritò supremis potestatibus, non minùs, quàm ipsi Deo, titanico conatu, obluctantur. Quod Phocam quidem hic fecisse, & injustissimè fecisse, tam est manifestum, ut nulla probatione indigeat. Quid enim, Auditores, perpetravit? non nudum homicidium; sed detestandum paricidium, dum sanctissimum, &, communi omnium suffragio, electum Imperatorem, dum meritissimum suorum Dominum ac defensorem, dum vigilantissimum imperij tutorem, patriæque Patrem trucidavit. Graviter quidem à prædecessore meo exaggerata sunt, quæcunque à Mauritio, contra jus & æquum facta videntur: in primis, quod cum Rex Caganus, captis duodecim Romanorum millibus, dimidium tantum numisma in singula capita peteret, lytron istud solvere recusaverit. Sed nemo est, qui vel illud

lud Imperatoris, vel alia, si quæ fuêre, vitia excuset, aut approbet. Deliquit graviter, quod ipse haud invitus confessus est: justas ergo pœnas dedisse illum, quis inficietur? imò justas dedisse fateor; injustè tamen, quando miles eum, & subditus sustulit: quando profanus homo in sanctum Dei ministrum, Dominum suum, impias manus armavit: quando nequam ambitio justum Principem sede regia deturbavit: hîc sanè, qui injustam sævitiam, qui sævam injustitiam non videt, Tiresia eum cæciorem, Chorœbo stupidiorem rectè dixerimus. Profectò, si propter quoscunque vitæ nævos tollendi sunt Imperatores, quis illorum incolumis servabitur? quis superstes manebit? VITIA erunt, donec homines, & imperantes; sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur. Aliter hîc, cum prudentibus, statuendum est. UT sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala: ita luxum, vel avaritiam dominantium tolerare decet: quæ nō cauta minùs, quam vera apud Magistrum prudentiæ monitio est. Ferenda sunt Regum ingenia, & boni Imperatores voto expetendi, qualescunque autem, æquo tolerandi animo. Quæ alias erit Divini mandati reverentia, qui hunc imperandi, parendique ordinem instituit? Qui dedit Mario imperium, ipse Cajo Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse Domitiano crudelissimo.

Quis liquido examine à Deo subditorum bono constitutos dijudicet? FERRENDA Regum sunt ingenia, obsequioque mitiganda. Clementia illorum in parentium præcipuè moribus sita est; submissione leniuntur; ubi verò omnis reverentia excessit animis, vi opus est, ut vis inhibeatur. Quæ aliâs in mundo securitas foret, si, ad versanæ plebis, aut cujusvis rebellis Phocæ pravam libidinem, acta Regum exagitarentur, aut vindicarentur? ferendi sunt & duriores; quantis aliâs ipsi subditi damnis exponentur & periculis, ubi crebra Regum & Principium sit mutatio? Quantis demique malis succumbent, ubi, veteribus remotis, novi subinde sub rogantur? Certè, si quis acriùs considerat, & ad lumen sanæ rationis oculos mentis erigit, multum incommodi, multumque mali, ex hoc proficisci malo, advertet. Plerumque enim inviolentis ejusmodi Imperiorum conversionibus leges silent: licentia & vis invalescunt: confusio & scelera existunt, & fortioris esca quilibet fit inferior. Et hoc si cui fortè dubium est, citentur testes, Græcæ olim Respublicæ! Annon, quoties novos Principes, abrogatis veteribus, substituerunt, toties dissidiorum civilium faces inter eas accensæ sunt? annon maximis semper tumultibus exagitatæ, imò ad exitium demum exagitatæ fuerunt? Quantum vis se in Tyrannos armari, se turbatoribus Patriæ obsistere dicerent, nullamque Deo gratiorem victimam mactari posse, quam iniquum Principem, audaciùs, quam civiliùs putarent, & ita cædes suas excusarent. Quid verò Phocæ suppetit, cujus prætextu ad nefandam illam cædem ruit? Num quid itidem, Mauritij Tyrannide motus, tam crudeliter imperatorem adortus est? nemo dixerit, qui rerum dixerit, qui Tyranni indolem excusserit. NEC enim, uni alterive indulgere vitio, Tyrannum facit; sed ita in salutem grassari publicam, ut præter jus & fas, explendæ maltiosæ libidinis causa, pervertantur & evertantur omnia. Numquid patriæ amore, tam scelestum facinus patravit? nihil minùs Auditores: ambitio & furor, ut fæviret, ut tam immaniter sæviret, ipsum impulerunt. Quam primum enim Phocas, fator fatorque scelerum, coortâ populi seditione, de more in clypeum sublatus, turbæ militaris acclamationibus, Imperator nominaretur, nihil cunctatus, oblatam prædam avidè arripuit, Constantinopolin properans, ut thronum ibi Imperatorium occuparet. Mauritius ergo, incredibili terrore anxius, quem superiùs memorata portenta intenderant, mediâ nocte, exutus stolâ imperatoriâ, privataque amictus veste, cum uxore liberisque fugam capessit, &, cum vix egressus esset, ecce Phocas, à factioso intromissus populo, diademate ornatur à Patriarcha Cyriaco: coronatur uxor ejus Leontia: tota transformatur regia! SED non subsistit scelus, ubi incipit. Expulsus erat urbe verus Imperator,

perator, orbe quoque expellendus erat, ut Tyrannus viveret. Quò citiùs ergo istud fieret, occasionem dedit gravis, de locorum stationibus, controversia, quam diversæ Prasinorum & venetorum factiones, agitabant. In qua, cum missus à Phoca contentionis arbiter, tribunum venetorum, per vim pepulisset, indignati illi exclamarunt : Abi, cognosce statum rerum! disce ordinem ! Mauritius vivit! Mauritius non est mortuus ! Quibus tantopere exacerbatus Tyrannus est, ut, missis subitò Chalcedonem, militibus, imperatorem, cum duobus filiis, ac tribus filiabus, ipsaque Augusta, è fuga, ad miserrimam cædem, retraheret. De qua dum hîc verba facturus, totamque tragœdiæ seriem quadantenus explanaturus sum, optârim equidem, Auditores, nisi molestum fuerit, ut de auditoribus aliquantum spectatores reddamini. Fingite vobis ingens, ad maris Constantinopolitani littus, spacium : ibi Phocas, miseræ mactationis autor & spectator, sublimi vectus equo, conspicitur : illum populus militesque armati latè stipant. Omnium oculi animique ad imminens spectaculum erecti sunt, dumque variantibus affectibus, huc illuc, pro ut amant, aut oderunt mactandos, volvuntur, dum Imperator Augustissimus, Mauritius, furum & sicariorum more vinctus, horrendorum carnificum manibus, cum suis, trahitur, ecce primò filius, natu medius, ad supplicium rapitur, innocensque caput amputatur. Petitur protinùs

tinùs & minimus natu, filiolus, infantulus, lactens adhuc; sed imperatorium absconderat nutrix, suum ipsius ad necem offerens. Quod cum animadverteret imperator, suum filiolum suum afferri jussit, & ecce ! ab ipsis attonitæ nutricis mammis, & manibus crudeliter rapitur, occiditur, ut è tenello gutture (ô spectaculum ;) solidum adhuc lac, cum cruore : explerorumque intuentium oculis lacrumæ largiter erumperent. Omnes certè, in tam luctuosa cæde, velut in vasta solitudine, tristi silentio multi torpebant, solo exclamante Mauritio Patre : Justus es Domine, & justa sunt judicia tua! Rapiuntur deinde filiæ tres, eximiâ eorporis specie, & decoro habitu rarissimæ, quæ omnes itidem, miserabilibus quiritatibus, ad misericordiam & lacrumas commoverunt. Sed quam lamentabiles ejulatûs, gemitusque edit Augusta Constantina, Tiberij Constantini, Imperatoris, filia, imperatoris uxor ! miserè itidem sceleratorum manibus sublata trucidatur & abjicitur. Quid hîc Mauritio animi fuisse creditis? Num quid etiam illi animi super fuisse creditis, qui suis oculis, oculis in magnitudine mœrorum stupentibus, oculis ad Cœlum erectis, amabilissimæ conjugis, & liberorum dilectissimorum cruciatus, quibus, pecudum ritu, sub lanionum cultris peribant, conspexit? Mirum, quod adhuc linguam movere, quod exclamare tertio potuerit : Justus es Domine, & justa sunt judicia tua! O tristem, fœ-

damque lanienæ Imperatoriæ imaginem! O Phocam, Tyrannum crudeliſſimum, cujus diritatem neque verbis quisquam ſatis execrari, neque cogitatione, aut ſenſu penetrare poteſt! Cum pictor quidam celeberrimus, luctuoſum Agamemnonis vultum penicillo exprimere non potuiſſet, velo eum texit, infirmitatem artis ſuæ prodens, quæ tantis in Patre doloribus exprimendis impar eſſet. Quis dubitare ſuſtineat, quin idem facturus fuiſſet, ſi hoc ipſi ſpectaculum fuiſſet depingendum? Cum Cambyſes Pſammeniti, Regis à ſe victi, animum experiri vellet, regiam in conſpectu ejus filiam, ſervili veſtitu circumdatam, cum hydria, ad aquam, miſit. Quid Pſammenitus: videns eam, in terram oculos abjecit: mox ejus miſit filium, cum duobus Ægyptiorum millibus, vinctas funibus cervices, & frenata ora habentibus, quaſi ad ſupplicium tenderent. Quid ibi Pater? vidit itidem, & gemuit! His autem prætergreſſis, ut conſpexit convictorem ſuum, inopem & mendicantem, erumpentibus protinùs lacrumis, compellans amicum nomine, caput lacceravit. Roganti Cambyſi cauſam, reſpondit Pſammenitus: O fili Cyri! MALA domeſtica omnibus lacrumis majora ſunt. Quid autem de præſentibus miſerrimi Mauritii malis ſtatuamus? Omnibus illis graviora fuêre: omnes aliorum calamitates luctûs magnitudine ſuperârunt: verè omnibus majora lacrumis fuêre, quas tamen fundere nullas potuit. Sicut Sol,

Sol, cum moderatos, ſpargit radios, multos ventos & humores attrahit; ſin immodicos, conſumit illos antequam attrahantur: pari ratione modici animorum affectûs dolorem ſuum lacrumis teſtari non recuſant, qui verò prorſus animum dejiciunt, impedire ſolent, ne lacrumæ ullæ ſtupentibus emanent, & ut vel nihil dicant, vel quidvis potius, quàm quod oportet. Quanquam noſter Mauritiis appoſitè ſatis, quod protulit, protulit, in extrema hac neceſſitate, in angore mortis, ſupremam hanc vocem, tanquam è dolorum & calamitatum lacu, gemebundus, denuò emittens: Juſtus es Domine, & juſta ſunt judicia tua! O patientiam nulla ferè hominis oratione exprimendam! O exemplar tolerantiæ & conſtantiæ, cui vix ullum aliud ſimile invenias! Quot ante vulneribus ſauciatus eſt Mauritius, quam ſuum exciperet? Quot mortibus in filiis, in filiabus, in uxore, confectus ante eſt, quàm ſuam ſentiret? Sed jam video te quoque tremebundis artubus, ægro & in terram ſæpius laplante ſemimortuo corpore, video te, capillis canis, inter triſtes gemitûs, ad mortem rapi, Imperator calamitoſiſſimè! video te ferociter in terram dejici & truculentum gladium in ſanctum caput ſtringi. Quid agitis, furibundi carnifices? Quid Imperatorem? quid ſenem ferè ſeptuagenarium maceratis tam crudeliter. Quousq; tandem, Phoca, exerces tyrannidem tuam? quam ad finem ſe horrenda tua jactabit ſævitia? Nonne prioris

spectaculi crudelitas, copiosis circumstantium damnata lacrumis, tibi sufficit? Quid vobis animi, spectatores Constantinopolitani? num tot funera & cædes oculis haurire, tot, sub gladio carnificis, sub acie ferri tremebundas morituroum cervices, sine motu & metu contemplari potuistis? Nunquam sic Orestes insaniyit, nunquam sic sæviit Ajax, nunquam sic Hercules in terrarum, quæ domuit, monstra, ut Tyrannus vester in Imperatorem suum, & in totam ejus innocentissimam familiam. Utinam his cædibus acquievisset! SED insatiabilis est crudelitas: ut hydropici, quo plus biberunt aquæ, eò plus sitiunt: consimili modo Tyranni nunquam humano satiantur sanguine, ut ut profundissimè inebrientur. Quanta immanitas Phocæ est, quam in cæsorum quoque corpora exercuit? sepultram iis invidens, tam diu miserè in campo jacere voluit, donec gravissimo fœtore totam regionem inficerent. Quid in Timotheum, maximum natu filium, furibundè post hæc de bacchatus est? ex itinere Persio retractum, simul cum aliis Imperatoris fidelibus ministris, è medio statim sustulit. Et ille quidem Timotheus, in ultimo vitæ momento constitutus, antequam carnifici præberet jugulum, hanc, inter lacrumas, precationem edidit: Domine Jesu Christe, tu scis, me nullum hominem injuria affeciisse: nunc ergo mihi eveniat, ut jubet tua potentia! Quem non commovisset hæc vox calamitosissimi? Sed Phocæ

Phocæ robur, & æs triplex circa pectus erat: nihil eum uspiam commovit, potentiam, vi & crudelitate partam, more Tyrannorum omnium, vi & crudelitate tuitus est: luporum & aquilarum more, miserorum laniatu vixit, indoli ad sævitiam factæ satisfaciens, quam deformis illius facies, aspectus terribilis, capilli flammantes, & alia indicia verissimè prodebant. UT vetò nullum unquam horrendum facinus impunitum manst: ita tantorum facinorum turpitudo, tam sæva injustitia, tam injusta sævitia, pœnis meritis affecta est. Satis enim rigidissimus scelerum vindex, Deus, testabatur, quam graviter ad iram, cæde injustissima, concitatus esset, dum ab ejus statim tempore Romanum imperium, malis publicis afflictum, prorsusque concussum ferè, & dilaceratum est, ut tum meritò calamitatis theatrum, & fatalis quasi miseriarum sedes diceretur. Ecce enim primum ex Persia Cosroëm, interfecti Mauritij amicum! hic, ob tam iniquam imperatoris, cædem, parricidæ bellum intulit, in quem Narses à Phoca missus, ad hostes à Tyranno fugit. Ecce Sclavos, ex Sarmaticis solitudinibus se effundentes, qui incursionibus assiduis Romanas undique provincias miserè infestârunt! Jam Syria sub igitur: jam Phœnicia occupatur: Palæstina amittitur: Cappadocia desolatur: Paphlagonia, & Galatia vastantur penitùs: populabundi Chalcedonem usque percurrunt: Europam Avares invadunt, & Thraciam: Ro-

manæ legiones ubique profligantur, aut occiduntur. ITA nimirum ruunt regna, ob regnantium delicta ! ita in subditis, peccata sua dominorum adjungentibus, gravissimè puniuntur ! Ita rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo ! Quanquam satis properè satellites facinorum obruerit, Memorabile enim est & omnibus, minoris sanctitatem Magistratûs æstimantibus, notandum serò, quod, ex universo Phocæ exercitu ; sed quanto illo ? qui per seditionem eum Imperatorem creaverat, qui Mauritium imperiali sede peturbaverat, duo tantùm gregarij milites, ad finem regiminis Phocæ, adeoque vix annos septem, superfuerint. Tot verò reliquorum millia, multiplici mortis genere, interea perdiderat Magistratus tutor Deus : Deus tam injustæ sævitiæ, tam sævæ injustitiæ vindex certissimus, cujus etiam judicio fax & tuba horrida immanitatis meritum vitæ exitum, dirum, horribilem, abominandum habuit. Postquam enim eò ventum esset, ut aut nomen imperij deleretur aut Phocas fontem exspiraret animam, inita est à bonis quibuscunque contra ipsum societas. Cumque Heraclius, adversus eum missus; navali pugna ad portum Constantinopolitanum, superior evaderet, statim adjuvante Photio, illustri viro, cujus conjugi Phocas vi stuprum intulerat, regiam occupat, Tyrannum in potestatem suam redigit, solio deturbat, direpta purpura pulla induit veste:

Itane miser administrasti Rempublicam ? inquiens ? Cui postquam Phocas, dolore amens, quædam obmurmurâsset, calcibus in eum insiluit Heraclius, amputatisque manibus ac pedibus, exsectis, (sit verba venia !) ob multorum uxores adulteratas, virilibus, infelix cadaver æreo camino exussit. O dignam Phocæ laboribus mercedem ! O incertam fortunæ aleam ! Cecidit, cecidit, qui paucos annos imperio insultaverat ! Hîc finis crudelissimi Tyranni fuit, qui cuncta ferro, terrore, flammis, innocentium que sanguine fædaverat ! Tam diro mortis genere affectus ille est, qui, belluino percitus furore, multos, tanquam victimas piaculares atque odij publici litamenta, indignis modis, exquisitisque suppliciis, carnificis manu, immolârat, mutilârat, suffocârat. Quis Auditores, vestrûm est, qui Tyrannidem ejusmodi non detestetur ? non exsecretur graviter, præsertim si fœdam ferro cadentium & ejulantium imaginem ante animum statuat ? si in auditam virorum, mulierumque carnificinam mente intueatur ? si quorumcunque optimorum, sub gladiis gementium, cædes, funera, lanienas cogitet ? Et videor sanè mihi non obscuras in vobis doloris ac miserationis notas conspicere ! nequè mirum, quod ad humanitatem nati, quod mitioribus Imperiis assueti, ad ejusmodi spectacula ex horrescunt. Utrumque enim tam Mauritianæ, quam Phocanæ cædis spectaculum triste, horridum, abominandum

nandum est: quanquam longè aliter Imperator, quam parricida ceciderit. Ille, voluntati se divinæ patienter subjiciens, piè ad mortem, ceu à Cœli Domino immissam, contendit: hic, sine omni Dei metu, sine opinione pietatis, ut vixit: ita in infernum raptus est. Quid enim boni, ab homine pessimo, unquam profectum est? nisi hoc inter bona ejus opera numeremus, quod Primatum Anti-Christianum in Ecclesiam introduxit, & Romanum Episcopum, maleficentissimum illum Bonifacium, universalis Ecclesiæ præsulem & caput nominari voluit, Sed nec pejus quicquam, nec in Salvatorem nostrum, unicum Ecclesiæ suæ caput, contumeliosius fieri potuisset. Quid? quod cædes Mauritii à rebellibus non nullis perpetrata; Phocæ autem à civibus patriæ amantissimis piè provideq; curata est, cum aut tollendus è medio Tyrannus, aut imperium Romanum prorsus amittendum, hostibusq; tradendum esset. Et quàm feliciter, velociterque post cœlum Phocam, & vocatum ad imperium Heraclium, placatus quasi Deus? quanto meliores statim Ecclesiæ, & tutori ejus successus largitus est? Mauritii autem injustissimam internecionem quæ & quanta mala sequuta sunt? imò, quæ non secuta sunt? Quibus calamitatibus Imperium non laboravit? quibus cladibus non concidit? Horret profectò ad earum mentionem animus. Quæ tamen mala omnia, certa iræ divinæ in sævitiam Phocæ injustissimam fuisse

indicia, quis facilè inficiabitur? Qua propter sancta omnium sit imperantium dignitas, nominaque eorum habeantur, ut numina, si cum Historico loquendum est. Deus est in dignitate illa: tanquam ignis consumens, impios audacesque potestatum eminentium contemtores perdit. FATALES sunt & lacrumabiles dies, quibus magna ejusmodi cadunt orbis columina: quibus incluta virtute, prudentiâque cumulati Principes, quales Mauritius erat, amittuntur. Quis verò tam humanitatis expers sit, qui patientibus auribus, ac obfirmato animo, tragicum hunc Mauritii casum audiat? Quis tam ferus, imò ferreus, qui ad hoc spectaculum non commoveatur? In acie Mauritius tutior, quam in palatio fuit: hostium manûs sæpe vitavit; suorum effugere non valuit. A DEO lubrica res est imperantis felicitas, ut eorum spes quilibet ex improviso casus eludat! adeò incerta, ut, nisi major eam, atque firmior felicitas asserat, facili compulsa motu, planè collobatur!

HVc ades, & noſtris præſens allabere cœptis,
Magne Deus! Tibi ſacra parant ſolennia Muſæ,
Quas manibus pridem ſuſcepit, & hoſpite lectô,
Riga, caput tollens Livonô celſius axe!
Huc ades, & noſtras humaniter accipe grates,
Incluta Bartholdi ſuboles, Livonica mater,
Quam Galatea procul fœcundo Balthica fluctu
Verberat, & vitreo Turunthus circinat amne!
Et Vos, patritiô tollentes gurgitis alveô
Tempora, Naiades, rorantibus uda capillis;
Caſtigate, precor, gemitûs, diductaq; fletu
Pectora funereô: nunc, ô nunc, pectine ſumtô,
Ferte modos hilares! nunc proſperiore ſuſurrô
Tendite lætantes numeros! ſic tempora poſcunt,
Tempora natalem reduci revehentia luce
Gymnaſio Veſtro: Sic exigit alma ſororum
Turba novenſilium: Sic præſes Apollo paterq;
Imperat. Et meritò! Nam, ſi meliore lapillo
Solis iter decorant homines, quod limina vitæ
Prima tulit, ſpondetq; novos feliciter annos:
Si Genio quondam dulcare chariſtia, feſtô
Natali, potuit populus; quis dente procaci
Emmetra noſtra petat? quæ vipera gaudia pungat?
Hæc eſt illa dies, quæ templa quieta novavit
Mnemoſyne genitis, poſtquam fera buccina, belli
Nuncia continui, diuturnaq; rixa potenzum,
Linquere convulſas juſſêre Tuiſconis oras!

Hæc

Hæc eſt illa dies, quâ munificentia Patrum
Splendidior patrij ſaturavit vota favoris,
Vt ſacra Muſarum pateant illuſtriùs Vrbi,
Vt ſacra Muſarum pateant ſpecioſiùs orbi,
Et cives poliant juvenes peregreq; profectos.
In primis patriô quos cedere compulit aſtrô
Martia tempeſtas, aliudq; peteſſere cœlum.
Sicut enim ſtreperô Boreæ jactata tumultu,
Regia Nereidum, vehementi turbine, multa
Eruit, exundansq; procul rejectat in agros:
Sic quoque profuſi Germania ſanguinis æſtu
Reſtagnans, Phrygij miſerabilis æmula regni,
Heu! in vita licet, natos, ſua pignora, largis
Vndiq; diſpellit lacrumis ad littoris orbes
Sæpius ignotos, & eis, ſua funera cernens,
Extremum ſingultit Ave; ſed terra Livona,
Filia Teutoniæ; ſed Riga, Livonica princeps,
Cum Dunaidibus, diſpeßis excipit ulnis,
Subſidiumq; ferens miſeris, ſacra dona miniſtrat
Largiter, ut poßint conſcendere culmina montis
Gorgonei, niveis ubi circumplexa corymbis
Gloria, coccineoq; ſedet Sapientia peplô.
O factum plauſu dignum multiplice! quisquis
Es, cui Pierij per ſacra vireta receßûs
Ferre pedes animus: cupidô qui pectore limphas
Sumere Pegaſeas Aganippidos Hippocrenes
Expetis, in tenero dum flos vernantior ore
Purpurat: ecce tibi Rigenſia muſica tempe!
Hîc ſummô ſedet alta locô, frontemq; decorâ
Luce coruſcantem ſtellis radiantibus infert
RELLIGIO, ſuperi profitens oracula Regis.

Adſtat

Adstat Aletheie, magni sanctissima cœli
Filia, devictosq; fugat perniciter hostes,
Ausos grande nefas, effusô fauce venenô
Vivas cœlestis scatebras corrumpere fontis.
Iungitur Eusebie, carnisq; potentia tundit
Spicula, tartareasq; minas & retia mundi
Exsuperare docet. Nihil hîc, nihil audet Alastor
Ausonius, Capitolinis in rupibus hærens,
Nequicquam quatit hîc cœcas rationis habenas
Allobrogum Doctor, blasphemaq; concio Bezæ,
Iamdudum calcata jacet, jacet utraq; serpens,
Theologâ virtute Dei, neq; nexibus horret.
Non aliter quondam, prostratus Apollinis arcus,
Deucalioneus Python, qui, tergore vastô,
Obvia rumpebat spaciosæ jugera terræ,
Eructans sordes & fœdam ventre mephitim.
Hîc ASTRÆA sedet Tyriô spectabilis ostrô,
Et trutinæ momenta docet gestare juventam,
Æquali suspensa jugô: Fraus impia, proles
Noctis, Erisq; soror coguntur vertere tergum,
Terribilesq; petunt umbras genitoris Averni.
In primis SOPHIE, *rationis honora voluptas,*
Nobile pandit iter, quæ se sitientibus offert
Bellerophonteus torrens & Hiantius amnis,
Hîc pabûs solidat Logice, fucumq; sophistis
Detegit adgenitum: sociam soror Attica sedem
Occupat: hîc gracili meletemata voce susurrat
Melpomene. Quid multa loquar? quæcunq; capaci
Philosophia sinu complectitur, omnia tersis
Funduntur calathis, ne sordes misceat ullas
Barbaries Monachûm, quam, fastu mista superbô,

In rudibus peperit putri ignorantia claustris.
Vnde tot in sophicis, tot mirificissima verba,
Verba, quibus quondam comites pellacis Vlyssis
Cantati grunnire suum, rugire leonum
Instar, & Æaum potuissent rumpere septum.
Vnde tot uncorum flexus, tot sentibus horrens
Semita, tot lappis tribulisq; tumentia passim
Dogmata, quæ, variô contortuplicata rotatu,
Tonsa cohors hodie renovat, succosq; malignos
Circes Italicæ tristi conamine miscet.
O nequam facinus! Tuus hic labor, Abra Raconis!
Hæc tua vafrities, quo nemo nocentius unquam
Ferre juventuti docuit sub melle venenum,
Pontificisq; lutum verborum nubere luto.
Quem genium dictâsse putem? Sed desino quæstûs,
Nestrabus irati Livor me luminis ictu
Impetat, aut linguæ laceret petulante cavillô.
Non ea mens animis, quos Christias ire per hortum
Palladium, viridiq; thymô sepascere jussit,
Aut alios: non his Livonæ Minerva saburrat
Quisquiliis juvenes, aut quas novus ille Prometheus
Lutetiæ sparsit: manet hîc Sapientia Virgo,
Divitibus fundens illustria munera palmis,
Munera, frugiferas artes, Veneresq; loquelæ
Triplicis, ut mentem scabrâ rubigine purget,
Et florem Patriæ dignes educat in usus.
O munus plausu dignum multiplice! tantis
Scilicet accrevit Musarum laudibus Vrbs hæc
Regia: tot gradibus plus secula quatuor auxit
Atria Castalidum, donec fastigia tandem
Gymnasium posuit toto laudabile mundo!

Sic etiam parvâ diffusus origine primum
Duna venit, tenui sulcans vada Moschica rivo:
Ampliat hinc vires, extentaq; brachia longè
Pôrgit, & affusos Livonis vallibus amnes
Sorbet præteriens, mixtosq; deinde sub uno
Nomine, corrosis robustô gurgite terris,
Balthiacæ donat sub navibus Orithyiæ.

Crescite tot æternum meritis, Vrbs Regia! crescite
Incluta Bartholdi suboles! Te Gloria curru
Evehit aureolô: Te felix Fama sonoris
Clarat ubiq; tubis: Te doctior æstimat ordo,
Et grates miscens Tibi gaudia mille precatur:
Gaudia, quæ nullis maculet sors invida turbis!
Gaudia, quæ sartam comitentur publica pacem!
Gaudia, quæ solident in musica sacra favorem!
Gaudia, quæ statibus nunquam temeranda perennent!

Præcipuè Vobis, quorum præconia dudum
Æternæ voluit Pictas inscribere cedro,
Patres Rigenses, & nunc tot vocibus urget
Sedula, quot parvas cœlo crebescere flammas,
Surgere quot pandos cernit per cærula fluctûs.
Vivite (succlamat) Patriæ virtutis atlantes!
Vivite nutritî studiorum! vivite Patres
Gymnasio vestro! florete, vigete tot annos,
Tithono quot Diva dedit, quæ lumine Phœbum
Anteit, aut vatem vates Cumæa popposcit!

Audiit hoc, stimulosq; pares sub pectore nuper
GAMPERUS *sensit noster, spes Pallados ingens:*
Nec mora: Gymnasii cunas Patriæq; favorem,
Quomodo disjectis hîc grata sacraria Musis
Struxerit, eximiô cepit describere versu.

Vos, quibus illustris natalia festa Lycei
Concelebrare placet: Vos lumina sancta Sionis,
Vos Themidos, Vos Iatrices, Vos fulcra Minervæ,
Deniq; vos Clarii fruticantia germina montis,
Præsentes nobis animô linguisq; favete;
Et postquam cœlis lux MARCO *sacra rubebit,*
Puniceis invecta rotis, audite canentem,
Gymnasii civem, solitoq; favore fovete!

PP. Anno M.DC.XLIV. d. XVIII. Aprilis, quâ & legum Gymnasii promulgatio & solennis inauguratio annos abhinc tredecim instituta est.

FUNUS INDICTIVUM.

NEc enim hîc paramus tralatitium; solenne funus est & publicum: divinum & mirabile, quo nullum unquam mirabilius, nullum uspiam divinius paratum est. Moventur eo angeli; sed vident: obstupescunt Christiani; sed credunt: contremiscunt Dæmones; sed sciunt: vacillant hæretici; sed pœnas igne sempiterno pendent. Funus est in sacrosancta Trinitate. Colligite mecum ad hæc verba, Lector: absens velut à reipso & à creaturis, hîc

subsiste paululum. Flaccescit acies subtilitatis nostræ: cessat sagax rationis scrutinium: docti juxta ac indocti jungimur, ut nihil videamus, præter admirationem: nihil meditemur, quàm silentium. Funus est in sacrosancta Trinitate: in thronum immortalitatis mortis clades irruit: unum omnis vitæ principem è vita sustulit: paternæ gloriæ splendorem tenebræ occuluit: verè DEUS mortuus, qui homo est: homo, qui Deus est, homo atque Deus, unus Deus: una, eaque secunda, sanctæ Trinitatis persona verè mortua est. Parum enim cum mysterio; sed multo minùs convenit cum veritate, quod hanc sacram, hanc tremendam angelis, hanc adorandam vocem omnibus, horum temerant cavillo aliqui: humana natura est mortua. Certè, sine ista neque pati potuisset Deus, neque mori; Deus supra omnem passionem, supra mortis metum positus: sola verò neq; pati à Judæis quicquam potuit pro nobis: quid dicam mori? Ubique Deus in carne fuit, & passus est: nunquam voluit, nec potuit non esse filius Dei in carne, sicuti nec voluit, nec potuit non esse Deus, postquam semel illi quam arctissimè unitus est. Nempe, cum miserum corpus hostes vinculis stringerent, stringebant ipsam Deitatis plenitudinem, quam nihil stringit: cum colaphis ruberet sancta facies, profecto innocenti purpuræ majestas Dei erat inuma . cum membra flagris lacerata sanguinem effunderent, è sinu Dei istum effuderunt: cum tandem

tandem solveretur anima à corpore, collega suo, indivisa mansit utriq; divisо Deitas, æquè juncta animæ, cum qua in Paradiso latro fuit, atque corpori, quod in sepulcrum suum optimus Senator intulit. Omnia per unionem ineffabilem, quæ carnem in divinæ subsistentiæ complexum extulit, & docet nos, eâdem ratione mortem esse in sublimi Deo, quâ se limo huic jungere, mortalem naturam assumere, & inter sanctæ Trinitatis solium transferre voluit, in mortuo manente extra mortem Patre atque S. Spiritu: manente immortali penitùs natura ista, quæ cum mortua persona idem ab æterno fuit, summa ratione: idem in æternum permansura est. O miracula mysteriorum! O mysteria miraculorum in hac morte Salvatoris nostri, morte vitæ nostræ! in hac mortis morte, morte vita nostra unica! quis non adoret hoc arcanum maximum, quod mixtum ex gloria & miseria, aptum ex lætitia & gemitu; factum ex fœcundis & adversis est? quam ob causam? scilicet, ut, his erepti, illis reddi, miremur funus hoc in Deo nostro: Deum in hoc funere. Quis ergo non miretur, & in mortis hujus meditatione JESU suo figat osculum sanctissimum? Sic factum moribundis apud veteres & mortuis. Nos imitemur & figamus, quorum interest, miremur. Adoremus & eamus admodum frequentes has exsequias, ne rursus ad easdem suos mortuos dimittere necessum habeant sepulcra, sicut in Judæa olim accidit, cum

funus Dei parum curæ vivis esset. Ecce enim duos hîc Præcones: Cœlum & Terram! terra motu & mugitu: Cœlum, velut pullo tectum syrmate, antiquo ritu, nos invitant, evocant:

JESU. CHRISTO.

VERO. DEO. VERO.

HOMINI.

EXSEQUIAS. QUIBUS. EST. COMMODUM. IRE. JAM. TEMPUS. EST.

Ite ergo & venite, ita vos submisse precor. Summates infimatesq;, d. XXVI. hujus mensis, ad rostra Gymnastica: habebunt ibi suas in deductionem funeris orationes duo Juvenes Ornatissimi, JODOCUS HOLSTEN, Riga Livonus, qui prorsa: & ONUPHRIUS GOSLERUS, Mitavia Semgallus, qui voce studium & pietatem suam vobis probaturi sunt. Invenietis ibi epulas funebres, non quidem Romanorum silicernium, sed sanctiores: stupendum Dei-hominis sacrificium. Hic cibus est animæ, hoc condimentum. Si recte his deliciabimur: si laudibus & gratiarum actione cor implebimus, ex morte ista immortalitatem: ex tam brevi funere æternam vitam: ex passionis ignominia cœlestem gloriam consequemur. Dab. ex museo meo, Mense Martio. Anno 1646.

SIC NUBILA JUBILA FIUNT.

Qui rerum omnium in mundo gyrus est! adversa ex secundis; secunda ex adversis subnascuntur. hæc eò semper gratiora, quò graviora illa extiterunt. Sic reducem maris temperiem commendant turbines! tempestas nobis blandiores reddit solis radios! Omne post mœrorem gaudium naturæ dulcius: dulcedinem adauget superati temporis durities. Quid dubitemus? ipsi hoc sentimus in præsenti, & ostendimus. Postquam enim tot jam dies luximus, sub nostro Capite; postquam miserabilem clamorem ejus in tremore; tremorem in languore; languorem in sudore perpendimus attoniti, & inter cordis gemitus, elato tandem funere, ivimus exsequias, ad quas Cœlum nos & Terra invitabant: ecce omnia vertuntur hodie! eluximus! transivi septimana lamentabilis! ad gaudia vocamur triumfalia! quis ea satis valeat gaudere? satis inde exsultare? celebrare satis laudibus & plausibus, quod Christus Victor ex sepulcro nobis retulit? O vices optatissimas! ut verè, quantò major antehac tristitia autò major & in cœlo, & in terra hodie hilaritas. Quas enim nunc choreas ducit prin-

ceps siderum ? quid, præter morem, fortes stringit radios? putabam, exsulare, ceu proscriptum nuper mundi facinoribus, cum diei lucem, luci splendorem, splendori seipsum eriperet. Sed citiùs revertitur & lætior, ut, ad spectandam pompam triumfalem Dei-hominis, per orbem universum, lucem dividat. Non est in ea quidam solium eburneum : non laureatæ candentium equorum quadrigæ : non boves redimiti sertis aut auratis cornibus: non exercitus simulacra urbium. Profana fuit ista olim ostentatio ! hîc quicquid est, cœleste splendore venerandum est. Vides Servatorem nostrum augustissimum! divini circumfusus nimbi lumine, vexillum crucis dextra gestat; sinistra legis chirographum, sed suo cancellatum sanguine. Quanta spoliorum vis portatur? hanc hostibus devictis potentissimè eripuit. Hîc trahitur catenis tenebrarum victus Satanas. Mors illic & Peccatum conculcantur Christi pedibus, quem plurimi sequuntur Patres suis evocati conditoriis. Præcedunt varii tibicines & triumfales modos accinunt. Vox una mentium chorubicarũ est & hominũ: Iò triumfe! Vicit Leo de tribu Juda! triumfavit fortiter, quem triumfatum nuper mœrebamus! Jubila cœlum! serenesce denuo splendidius! sepone nubem mœstitudinis quæ te operuit! Exulta terra! tridudia hodie, non trepida! non ampliùs ad planctûs; sed ad gaudia reclude sinûs tuos! Gaudent omnes tui incolæ, quorum

quorum bono, quicquid pompæ instauratum, instauratum est. Erecti olim arcus triumfales sunt, portarum instar. inscripta nomina illius & merita, qui, domitis hostibus, salutem publicam promoverat. Intra fornicem pendebant alatæ Victoriæ, quæ transeunti auream coronam imponebant. Sic gratos se præstabant cives optimi ! Quid verò erigemus nos Victori nostro? quæ munera tot meritis aptabimus? Arcum itidem in corde nostro, arcum gratæ pietatis, piæ gratitudinis, aureamq; gloriæ coronam parabimus. fides nostra aurum est: hæc, nullis fermentata mixtionibus, in laudes ejus totam se effundat : hæc isti arcui, antiquo ritu, hodie insculpat firmiter :

JESV. CHRISTO.
DEI. ET. MARIÆ. FILIO.
OPT. MAX. S. AUG. LIBERATORI ORBIS. FUNDAT. QUIETIS. OB. SALUTEM.
FEL. RESTITUTAM. TOTUM.
HOC. QUANVUM. EST. ÆT.
CULTU. D.D.

Et per hanc viam sacram, velut portam triumfalem, ad nos veniet Salvator noster : hîc adornabit triumfale epulum, divinisq; nos pascet deliciis, ut posthac, in cœlorum gaudiis, cum ipso, sine fine, sine modo, sine metu convivemur. Sdd finio ; gaudere malo impræ-

sentiarum, quam plura scribere, ne traham in hunc calamum, quæ studio laudabili, ad exercendum melioris genii vires, meditati sunt duo Juvenes Eruditissimi, JOHANNES WOLCKEN, Arensburgo-Osiliensis, & HERMANNUS HERMELING, Riga-Livonus, quorum alter paschalem triumfum Carmine heroico: alter epinicion cœleste Oratione soluta explicuit. Primi Christiani totos quinquaginta dies in honorem Christi resurgentis festos habuerunt: nos unum, nostro in Gymnasio, d. II. Aprilis, pro hilari & læta hac materia, quæ plus pietatis, quam facundiæ desiderat. Quos utriusq; amor tangit, Summatesq;, oramus observanter & amicè, ut honestare tunc spectabili præsentia, & animare declamaturos ne graventur. Dab. ex Museo, mense Martio, Anno 1646.

ABSIT A ME GLORIARI, NISI IN CRVCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,

IN ea enim pendet salus nostra, nostra gloria, Deus; sed in carne afflictissimus: homo; sed unitus Deo, omni major homine, & minor omni homine felicior & infelicior, mundi scandalum

dalum & honor, cæli atque terræ admiratio. Quod spectaculum ulla ætas vidit tristius? quod lacrumosius deflevit pietas? quod salutarius peccator unquam habuit? Jesus noster, nostra gloria, inter maledictos pendet, & pro illis, maledictum penitùs inglorium! Multo sanguine concreta coma est: hunc caput spinis perforatum funditat: faciem in ipsa facie quæsiveris; ita nares colaphis contritæ, ita toties contusæ genæ tabo tument: graves natant in cruore oculi, heu duo quondam bonorum sidera, improborum fulmina: silet os sanctissimum, ex quo mellei pluebant favi: aret lingua, vincta cruciatibus & victa, & tamen quiritatur miserè: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Horrescit inde cœlum, & in nubem cogitur: terra, cum non possit planctum, flebilem mugitum edit: princeps siderum diei lucem, præ dolore, eripit, & Jesus noster, O inæstimabilem amoris gloriam! noster Jesus, in extrema hac necessitate, in angore mortis, in dolore inferorum, causam sibi tot malorum, hominem, ardenter & constanter amat. Quantum æstimabimus ardore illum, quo conflagrat pectus humanissimum? quantum ignem, qui in eo latitat? ex hoc enim, per tot partes corporis apertas, totidem erumpunt amoris incendia: ex hoc major effervescit calor: ex hoc flamma exardescit vehementior, quàm ut ullis uspiam fluminibus restingui possit. Magnum certè est, quod mihi bonum pariunt; labores

Tui,

Tui, Jesu benignissime : majores tamen Tui sunt labores, quàm quod patrum illis bonum est ; sed longè maximus amor, qui Te, mihi ut prospiceres, Te ut despiceres, coëgit. Peris pro me, & peris me, & dum propter me crudeliter suspenderis, laceraris, confoderis, quanta caritatis signa edis ? inclinas ad me caput, ut fraternum figas osculum : moribundis me ocellis adspicis, & illibatam doces gratiam : cruentas ad me manûs tendis & exporrecta brachia, ut in amplexus Tuos veniam. Venio, mi Jesu, peto gratiam, &, os hoc sitibundum ori Tuo jungens, extremum haurio spiritum ? Quis verò hîc auditur strepitus? nonne fontis est, qui largo cadit impetu ex latere, & per foramen hoc universo mundo distribuitur ? Nimirum intus adytum est misericordiæ, quod Deus animabus nostris posuit : eodem ducit patens iste aditus, quem subter sanguis Jesu nostri labitur. O fontem vitæ longè optatissimum ! quàm copiosa undiq; dispensat commoda ? sanat, quicquid, sub peccati morbis, vapulat : lavat, quod nefandis conspurcatum sordibus : refrigerat, quod flammis inferorum uritur : recreat, quod præ dolore cordis, fractum atque fessum est. Currunt passim homines: mare, terras : æstum, frigus superant, & fontes quærunt salutares corpori. Bonum quidem hoc, at quantillum? currant potiùs ad hunc fontem, qui in cruce scaturit : theatrum hîc doloris & amoris spectent, pœnæ & gratiæ : venerentur aram ignominiæ

& gloriæ : adorent tropæum mortis & vitæ, & suspirabunt ad ista, & gaudebunt. languores suos & medelam sentient. Annon hîc transgressiones nostræ rubent, instar coralii ? & nive tamen candidiores redduntur. Annon fluunt hîc amaritudines peccati, juxta rivos miserationis ? Sanè vitam in morte, gloriam in ignominia, amorem in dolore, gratiam in pœna invenit, quicunque invenit. Quid enim ? nonne mors Dei nostri vita nostra est ? mors, quam pro mundi vita mundi vita subiit ? mors mortis & cœleste immortalitatis pretium? nonne amor Dei nostra gloria, triumfus noster, non de doloribus tantùm ; sed de ipso quoque Deo : tanquam Deus ipse amor est. Traxit eum ad terram : ligavit ad columnam : in ferale lignum sustulit. Hî demum mira Salvatoris ignominia in gloria : hîc gloria in ignominia deprehenditur ! Utramque sibi aliisque fusiùs explicaturus Juvenis Eruditissimus, JOHANNES CAHLEN, laudabili ardore nuper incaluit, scriptâ de Glorioſa crucis Christi ignominia oratione, quam d. XVI. April. ex memoria promat. Confluunt præsenti tempore, ut audiant de Jesu crucifixo, populi : ædium sacrarum area arena est tristissimarum enarrationum : templa personant piorum gemitu, doloribus, suspiriis. Personet iisdem quoq; nostrum hîc Collegium, tristissimaque omnia ingeminet. Confluant ad illud (quod humiliter humaniterque precamur,) Summates, infimates

fimates: confluant ad Sanctam crucem, dicto tempore. Cognoscent ibi ignominiam, cognoscent gloriam : utrinque reparatæ salutis autoramentum, utrinque sanctioris vitæ argumentum. Dab. in Museo, d. IX. Aprilis Anno 1647.

SCIPIONIS LACRUMÆ.

HAs enim fudit Heros optimus, cum sedecim dierum incendio Carthaginem consumi cerneret. Mirum viri fortis, & Victoris factum! Nunquid gaudet hostium excidio quandoquidem & LÆTITIA suas habet lacrumas, nolenribusq; sæpe excutit. Non gaudet ita Scipio; cum gemitu deplorat victos, et Romam tot victoriis afflixerant: etsi toties malitiose luserant: etsi ad incitas propemodum redegerant. Quam ergò causam lacrumarum habuit? Cadebat princeps urbium, post Romam, cujus centum & viginti annos æmula fuerat: in favillas redigebatur Africani orbis Roma: ejecta inde quinquaginta hominum millia, cum ejulatibus & planctibus, inermia nuda, quiritantia, palabant. Num temperaret sibi, in tam lamentabili spectaculo, vir optimus? quia enim talis erat, FACILIS in lacrumas erat: generosus spiritus, commiseratione ictu pulsus, ut totum corpus: ita oculos cutiebat, ut flerent rerum humanarum vices: flerent perpetuam illam flendi materiam. Licèt enim non sit tanta semper flendi ratio, conspectus tamen hominum, & ipsa ratio mortalitatis, summa est. QUIS diem facilè nominet, qui triste quippiam non afferat homini, aut minetur? Quanquam gravius Victori malum lacrumas hîc concitat: gravius, quod nondum erat, quam quod erat; istius verò ex hoc ipso capiebat præsagium. Flebat Romam felicissimam in Carthagine: flebat Romam; quis crediderit? quod felicissima. Excisâ etenim Magistrâ ejus Punicâ, sinistrè dispensatum iri prævidebat libertatem, & erupturam in petulantiam. cogitabat, (ausim dicere) utiliùs victam Carthaginem, quàm victricem Romam esse: isti enim, post tot tentamenta, ereptam esse iniquitatis licentiam, quo quid utilius? huic mirum quantum auctam, quo quid magis noxium? LICENTIA utiq; & noxa inter se familiares sunt: firmos altera cum altera complexûs miscet: perquam rarò illis, quod decet, libet, quibus, quod libet, licet, & quod licet, possunt, &, quod possunt, audent: unde, quod audent, ad sui; quid ad sui dico? ad perniciem multorum perpetrant. In sole positum exemplum est, Roma Domina, qualis post Pœnorum cladem fuit. Satis quidem ampullatur Græcus scriptor, quod Fortuna, postquam, innatâ sibi levitate, per tot orbis nationes deerrâsset, nunc has, nunc illas librans, tollens, premens,

mens, Romam tandem venerit, abjectisq; in Tiberim rotâ, globo, alis suis, in urbe media consederit, æternum ibi thronum collocans. Sed quâ metamorphosi Fortuna Vortuna esse desinat? Victis quidem Regibus, domitis populis, Carthagine inprimis diruta, ex omni parte consummata videbatur Romæ felicitas: sed videbatur tantùm! deerat POTISSIMA felicitatis pars, felicitate non corrumpi: hæc, ut rara est in hominum animis, qui, dum fortunam splendidam non capiunt, cadunt: sic in regnis etiam. Tanto Romanorum hoste cæso, cujus metus civitatis arma evocaret, quid mirum, quod in seipsos verterint? In armis nati, armis provecti, armis floridi, iisdem stabant contra hostes; cadebant in otio, quia bello quàm pace potiores erant: non tam hujus quàm illius, artes noverant. Quidni ergo dissuaderet ultimum Carthaginis excidium Scipio Nasica, gnarus patriæ indolis? audiendus utiq; fuisset Vir, jurati Senatûs judicio optimus; sed nemo audiit. Quidni pervicaciam hanc fleret Africanus noster? quidni Censor factus, diceret, cum ei, lustrum condituro, in sacrificio solenne precationis carmen scriba præiret ex Tabulis, quo dii immortales, ut Rom. populi res meliores amplioresq; facerent, rogabantur: satis bonæ sunt & magnæ: O si eæ modò perpetuò incolumes servent! Pium certè votûm fuit hoc & necessarium: extulerat tum Roma potentiam supra humanum prop-

fastigium; at non supra ruinam. humana erat. QUO altiùs ascenderat, eò propius aberat à casu, quem & sensit graviter, & ruit. Ruit; sed à suis diruta: ruit in suorum sanguine, ut, ceu extincta, quæreretur, non inveniretur in suo solo. Quantum, bone Deus, malum! ipso Carthaginensium malo tristius. Meritò in hocillud flevit præsagus Scipio, & providè conjecit, ab eodem hoste, cujus potentia dicam, an impotentia? Carthago cecidit, Romam quoq; casuram. HOSTIS enim utriusque fuit magna felicitas: hæc ipsa quoq; Carthaginenses ita fascinaverat, ut, cum rebus suis integris, ex voto pacem habere possent, nollent. Ingerebat quidem illis Hanno, pacis amantissimus, cum Hannibal Cannensem à Romanis retulisset victoriam, ut felicitate sua rectè uterentur: Si prætermittimus hoc tempus, inquiens, quo magis dare, quàm accipere possumus videri pacem, vereor, ne hæc quoq; lætitia luxuriet nobis ac vana evadat. Sed narrabat surdis fabulam, vel potiùs oraculum, quovis Delphico certius. Factum sanè, quod prædixit: optimè consultum omnes postea Carthaginenses fassi sunt; sed serò nimis: serò sapuêre cum Phrygibus, cum eò miseriarum redacti essent, ut, quas ante ferre poterant conditiones, supplici deinceps oratione non impetrarint. Quam modestè Romanorum terror, Hannibal, cum ex Italia, ad liberandam patriam, retractus esset, pacem petit? quanto

eam opere Romano Duci persuadere satagit? Testis est Oratio illius elegans & mascula, quam Siren Patavina nobis exhibet, illamque statim addit, quam ad eum Scipio Africanus habuit. Ad illas cum non ita pridem Livius me duceret, exactiùs cum animo discussi omnia, & fusiùs elaborandas Ornatissimis Juvenibus, CASPARO MARTENS, & CASPARO HERMES, Riga-Livonis, tradidit. Egregiam uterque præstiterunt operam, non succinctè minùs, quam ornatè utramque deducentes. Cum verò unicè exoptent, ut sequenti d. XIX. Aprilis, alter sub Hannibalis, alter sub persona Scipionis, publicè audiantur, omnes studiorum nostrorum Patronos, Fautores, cultores, humiliter, humaniter, amicè precor, ne laudabili eorum voto suam denegent præsentiam. Audient, quæ fuerunt, & fortassis adhuc sunt, sub alio colore atque nomine. Felix, qui fortunæ lusûs inter veteres expendit, sine dolore; sed non sine fructu suo! Qui enim rectè respicit, rectè prospicit. Dabam in Museo, Rigæ, d. 12. Aprilis Anno 1649.

IRIS GOLGOTHÆA.

ET verè quidem Iris, singulariter mirabilis, Salvator noster est, ornamentum illud cœli, stupor

stupor mundi, pignus Dei reconciliati unicum. Attollite in Golgothæam crucem oculos, miselli Homines! Amabile præcipuorum Iridis colorum instar Deus passus nobis exhibet. Hîc flamma rutilat amoris intimi; sed isthîc viror innocentiæ conspicitur: in primis purpura effusi sanguinis undique se diffundit. Quem in sui admirationem facta hæc Thaumantias non rapiat? Ecce flammeum colorem! ingens ardor est, quo pectus Salvatoris nostri benignissimum torretur: fulgens ignis, qui in eo latitat. O flammantem penitùs divini amoris ignem! Quis non igneum illud B. Ignatii emblema suum faciat? Amor meus crucifixus est! DEUS enim, quantus quantus est, amor est: imò, qui triumfat de DEO, amor est. Jesus amor est, qui in personæ suæ unitatem carnem nostram assumsit; sed id parum, quanquam maximum: qui, susceptâ servi formâ, se obedienter exinanivit: id majus quidem; sed adhuc minus: qui crucifixus, maceratus & mactatus, quæsitissima subiit supplicia: id verò amare est, id verè amare, id sine exemplo amare est. Quid mirum, quod, his incitatus flammis, vitam ipsam, pro mundi vita, Deus noster prodigit? quod sacerdos ipsa victima: justissimus peccatum: sanctissimus catharma esse sustinet? Ecce viridem decorem nostræ Iridis! Decor hic est innocentiæ, quam cœlum, terra: amici, inimici: maximi, minimi confirmant: omnes tamen, ecquis credat? omnes eam impetunt gravissi-

mè. Si hoc faciunt in viridi, in arido quid fiet? Christus quidem noster, arbor vitæ, arbor est viridissima, nullâq; peccatorum vitiata carie, arbor omni virtutum genere constanter germinans; nos verò, nos, qui nisi lignum putre? lignum aridum & infrugiferum? Dei autem bonitate incredibili factum est, ut ignis, jure nobis debitus, in arborem virentem transferretur. Excisa fuit hæc, ut ligna putrida excidium effugerent: sublatus innocens, ut salus redderetur nocentissimis: ad mortem raptus benedictus in secula Deus, ut maledictus homo viveret. Quid hîc Damonem mihi aliquem aut Pythiam commendas, quorum alter innocens, pro altero nocente, vadimonium promisit? pares fuerunt, amici fuerunt, neuter prorsùs innocens. DEUS noster sanctus, justus, inculpatus, pro creaturis, servis, hostibus suis mortem adiit miserabilem: DEUS omnem iræ suæ impetum, omnium pœnarum atrocitatem, omnem omnium sævitiam sustinuit. Ecce purpureum inde cœlestis hujus vadis ruborem! Totus certè roseum in cruce pluit sanguinem: sanguine concreta coma est, quem caput funditat: faciem in ipsa facie quæsiveris: graves in cruore natant oculi. Quam largiter eundem antea sudaverat, cum sine flagris flagellatus, sine clavis terræ affixus, ante mortem pæne moreretur mortis Dominus? Hortum testor olearium, minio rubentem pretiosissimo! hic certè gemitûs arcanos atque voces, hic distincta lacrumis

lacrumis suspiria, hic interruptas anxiis singultibus preces audivit: hic grumos sanguinis, subjectam humum purpurantes, excepit. Nemo per naturam decidisse eos putet! nemo alia sudantium exempla, cum Christo, comparet! Dissimilia in illis, quæ videntur, similibus sunt plurima. Nec enim casus isti sunt germani, quibus justo temperamenti pondere constans natura, cum intemperie: Domina affectuum & motuum, cum eorundem serva: horror ad æternæ mortis sensum agitatus, cum temporalis mali metu: notæ cruoris leviter stringentes, cum tot ejus fructis concretis: stillæ sanguinis, cum rivo æquantur. Hunc verò rivum quanta brevi post secuta sunt maria? Profectò, cum carnifices Romani corpus, Deitatis templum, vestibus nudarent ad ludibrium: cum lacerarent illud tot flagella talis aspera: cum aculeati lentes divinum perfoderent verticem: cum grandes clavi manûs pedesque configerent, quid totus Christus, nisi livor unus, unum vulnus, factus est, totus suo tectus sanguine, sua purpura ne quis nudum in cruce pependisse opinetur? O verè igitur purpuream, in Golgothæo cœmeterio, Iridem! purpuream effuso sanguine. O viridem clementiæ divinæ indicem! sed viridem æternæ innocentiæ gloria. O igneũ hoc cœli decus! igneũ amoris in nos igne fervido, qui præsertim ex aperto ejus latere stupenti mũdo promicat: quã ob causã? ut nos omnes quoq; igneos efficiat, igneos fidei & lũinib⁹

& amplexibus : igneos reflexæ caritatis radiis, qua Salvatori nostro crucifixo solidè constanterque affigamur. Hoc ut fiat, merito theatrum modò Passionis Dominicæ frequenter ingredimur : meritò expendimus ibidem Christum, nunc in oliveto sanguinifluum : nunc in prætorio flagellis saucium : nunc in ara crucis planè mortuum. Et talem nobis etiam, ipso emortuali die, (erit autem d. XXVIII. Martii,) repræsentabunt duo Juvenes Ornatissimi, BERNHARDUS DOLMANNUS, & ADAMUS FRIDERICUS à Fischbach / ut alter ineffabilem DEI passi miseriam : alter hostium suffragio firmatam innocentiam, è cathedra Gymnastica, adumbrent. Quis enim vel utramque, vel altetutram saltem, ita explicet, quin, cum multa dixerit, plura semper dicenda adhuc restare, sentiat? Nemo unus mille Iridis colores, alios ex aliis permistos, plenè vel distinxerit, vel numeraverit. satis est, exstantiores cognovisse : idem de Golgothæa Iride, doloribusque ejus & decoribus, dicendum est. Venite modò (quod humiliter humaniterque precamur) Summates, infimates, dicto die, & videte, quæ exstantiora sunt, ut passum pro nobis DEUM magis admiremini, ut cultu cum igneo æternum prosequamini. P.P. d. XXIII. Martii,

Anno 1651.

INDEX

(o)

INDEX ORATIONUM

Præcipuas earum materias ὡς ἐν τύπῳ repræsentans.

ORATIO I.

De Eloquentia in tacendo.

TRactatio versatur in illorum explicatione, quæ sub Politicum hujus Eloqu. regimen cadunt ; hæc sunt

I. NOSTRA (. quæ concernunt : talia

1. VERE NOVIMUS, & quidem.

(1.) BONA,

α. CONSILIA de nostris negotiis, quæ habere tecta oportet, præsertim, cum tam facilè patefieri possint ; quod (α) rationibus : (β.) exemplis firmatur.

β. ENCOMIA, quæ aliorum favori committenda, non à nobis ipsis sordidè vulganda, quod (α.) ratione, quam Occupatio illustrat. (β) exemplis probatur.

(2.) MALA,

α. NATURÆ, in corpore vel animo ;

β. FORTUNÆ, cum adversam sentimus ;

2. INJURIÆ, quam ferre cogimus. Hæc omnia tegenda esse potiùs, quam detegenda, pluribus docetur.
2. NOVISSE VIDERI VOLUMUS, quod ostentatorum est. Sed hoc vitium silentio effugere possimus, ne cachinnis aliorum, cum P. *Florenio*, exponamur.
II. ALIENA, quæ alii nobis crediderunt; hæc verò sunt
1. PRIVATI, cum quibus in civili vita versamur,
(1.) *Amici*, quorum omnia, jure amicitiæ, prudenter reticenda esse, rationibus probatur:
(2.) *Inimici*, ex amicis facti, quorum secretis itidem silentium debemus.
2. RESPUBLICA, cujus utique arcana, arcana esse debent, ne, non tacendo ea, faciamus, cum multis, ut æternum taceamus: & hæc sunt arcana
(1.) BELLI, ubi maximum Ducis ornamentum hæc Eloquentia:
(2.) PACIS, ne, detectis Reip. consiliis, salus ejus periclitetur, quod exemplo, ex Hist. Venet. illustratur.

ORATIO II.

De Regimine dicendi.

TRactatio quinque proponit Sermonis, in civili vita, ornamenta. Ut enim placeat Prudentibus, sit

I. TEM-

I. TEMPESTIVUS, ratione temporis, loci, decor habita, quod, post brevem Occupationem.
1. Ratione: 2. exemplo vulpis. 3. à minori, *subjunctis monitis*, docetur.
II. PURUS, ne exoticis linguis lingua, præsertim Germanica, fædetur. Hîc *invectiva* est, in corruptores puritatis Germanicæ, qui graviter peccant
1. Laudabilem aliorum populorum morem negligendo:
2. Contemtui linguam nobilissimam exponendo:
3. Ostentationis suæ morbum manifestando:
4. Magnorum Virorum judiciis adversando:
5. Liberam linguæ nostræ majestatem, infra aliarum linguarum servitutem, abjiciendo:
III. GENUINUS, nec affectatus,
1. IN PRONUNCIATIONE, sicut multi Gallicastri, vitio pronunciationis, sermonem suum fædant.
2. IN CERTARUM FORMULARUM USURPATIONE, quæ, in conversatione, sæpius occurrunt ridiculæ, quia affectatæ. Hîc, de discrimine *imitationis & affectationis*, ratione formularum ejusmodi præcipuè, differitur.
3. *In patheticarum figurarum accumulatione*, quæ tamen magno cum judicio adhibendæ.

IV. GESTIBUS ORNATUS; sed ne pecce
tur istis
1. IN DEFECTU, cum ornare multum, s
variare sermonem ornati variique gestu
possint.
2. IN EXCESSSU, quod faciunt gesticu
latores
(1.) *Crassiores*, nimia corporis commotio
ne:
(2.) *Subtiliores*, laboriosa actionis accuratio
ne, in quos brevis invectiva subjicitur.
V. PARCUS, & velut intercisus, ne omnia, e
iam ad rem facientia, uno proferamus im
petu. Facit hoc
1. *Ad efficaciorem rerum expositionem:*
2. *Ad meliorem, ad responsa, exceptionem:*
3. *Ad providam sermonis moderationem.*

ORATIO III.

Ejusdem argumenti.

TRactatio reliqua pertexit ornamenta, u
commendet Sermonem, qui est
VI. AD PERSONAS ACCOMMODA
TVS, cum quibus conversamur; tal
enim
1. Ipsis est *gratissimus*:
2. NOBIS *utilissimus*, ut de variis erudia
mur. Probatur hujus ornamenti neces
sitas
(1.) Rationibus.
(2.) Ma

(2.) Magnorum Virorum judicio & exem-
plis, subjuncta illorum reprehensione, qui
diversum planè modum sequuntur, *ex l.*
IV. Satyr. Barcl. c. 10.
VII. SINCERVS, nec adulatorius
1. *Præsenti commendatione*, cum in os lauda-
mus alios:
2. *Gnathonicâ assensione*, cum parasiticam can-
tilenam ingeminamus. *Illustratur* hoc Oc-
cupatione, &, quæ amico laudes tribuen-
dæ, aut ambitiosioribus, ostenditur.
VIII. URBANVS, & jocorum suavitate, no-
stro bono, conditus, ut evitetur,
1. *Rustica morositas*:
2. *Multiplex scurrilitas*, quam, si petamur eâ
forsitan, dextrè oportet declinare.
IX. VERAX ubi agitur
1. *De veracitatis commodo*:
2. *De mendacij incommodo*, cujus tamen rei
non sunt, qui sua dissimulant. His brevis
Parciloquii commendatio annectitur.

ORARIO IV.

De Principatu Mercaturæ.

TRactatio comparativa est, mercaturam
literarum studio præferens,
I. RATIONE ANTIQVITATIS, quia
1. Mercatura ipsius *naturæ inventum*: literæ
multò post eam natæ sunt, latinæ quidem
matre Nicostratâ;
2. Ipsius

2. *Ipsius literaturæ fundamentum*, cum inde s
piendi & eloquendi suppellectilem er
diti petierint.

II. RATIONE NECESSITATIS, quæ m
jor mercaturæ, quam literarum esse d
cetur,

1. Omnium *populorum judicio*, ἀπαρέ
quadam mitigato:

2. *Italiæ*, præsertim, & aliarum provinci
rum *exemplo*, ut magis ad delectationem
quam sustentationem hominum, facer
literæ dicantur.

III. RATIONE UTILITATIS, quæ am
plior mercaturæ,

1. *Quoad Rerump. Salutem*,

(1.) Tempore pacis:

(2.) Tempore belli:

2. *Quoad ipsum literatorum ordinem*. Vbi bre
vis *Invectiva* in Cratetem, quam dupli
Occupatio excipit, &, ipsorum Literarum
judicio gloriam Mercaturæ illustra
ostendit.

IV. RATIONE JUCUNDITATIS, qu
potior mercaturæ.

1. *In promtiori dignitatum adeptione:*

2. *In lautiori vitæ sustentatione*, cum litera
plerunq; nihil, præter famam & famem
habeant.

ORATIO V.

De Principatu Literaturæ.

Tractatio

TRactatio est ἐλεγχζικὴ, prioris Orationis argumenta excutiens. Hinc, post formatam quæstionem, de Principatu, & insinuata quæpiam, pro literis, argumenta agitur

I. De ANTIQVITATE, quod

1. à probando instituto *aliena*:

2. à literis *non aliena*, si instinctum naturæ expendamus.

II DE NECESSITATE, quod

1. *Major* literarum,

(1.) *Quod omnes ætatum gradus*:

(2.) *Quoad omnes hominum statûs*, præsertim mercatorum.

2. *Inefficax*, ad asserendum principatum, cum refutatione judicii, quod, adversum literas, *barbari* ferunt populi.

III. DE UTILITATE: ubi ostenditur, commoda ex mercatura esse

1. *Incerta*, in primis, quæ ex navicularia; certa verò, quæ ex literis:

2. *Laboriosa*; alia ex studiis:

3. *Fluxa*, & fragilia; solida ex animi cultura:

4. *Sordidiora* quandoque, ubi in argum. priora & exempla inquiritur.

IV. DE JUCUNDITATE, quod falso tribuatur major mercaturæ, cum literarum sit maxima

1. *In asperis:*

2. *In prosperis.*

ORATIO

ORATIO VI.

De Conjuratione Catilinaria, quæ velut E
pitome est Belli Catilinarij, à Sallustio con-
scripti.

TRactatio in expositione illius versatur, q
attingat

I. CONJVRATIONIS MACHINAMEN
TA, describens

1. *Statum* Rom. Reip. *corruptissimum*, o
tum

(1.) Ex rerum *abundantia*:

(2.) Ex animorum *impotentia*, ubi varii Lo
ci comm. occurrunt.

2. *Autorem conjurationis nequissimum*,

(1.) Ex variis animi *vitiis*:

(2.) Ex variis cum aliis *flagitiis*.

3. *Tempus opportunissimum*,

(1.) Ob exercitûs *absentiam*:

(2.) Ob Senatûs *negligentiam*.

4. *Modum pessimum*, quò pertinet

(1.) Singulorum *corruptio*,

α. *Iuvenum* mobilium:

β. *Senum* nobilium:

(2.) Vniversorum *exstimulatio*, facta

α. Virulentâ catilinæ *oratione*:

β. Sanguinis humani *compotatione*.

II. CONJVRATIONIS IMPEDIMEN
TA, eaq;

1. ANTE Catilinæ ex Vrbe *discessu*
nim:

(1.) D

(1.) *Delatio*, ad Ciceronem, &, per hunc, ad Senatum.

(2.) Cic. & Senatûs, ad avertendum malum imminens, *attentio*, quò pertinet,

α. Senatûs de emittendo exercitu *decretum*,

β. *Propositum* conjurationis detectoribus *præmium*, quâ occasione tristis civitatis status repræsentatur.

2. *Post Catil. discessum*, ad quem maturandum Ciceronis præcipuè oratio ipsum adegit, ubi

(1.) *Nova* conjuratorum *detectio*,

α. Ex Allobrogum *relatione*:

β. Ex literarum *interceptione*.

(2.) *Captivatorum* conjurationis sociorum *trucidatio*, post Consultationem habitam:

(3.) *Totius mali*, victo extinctoque, cum rebellibus, Catilinâ, *sedatio*.

ORATIO VII.

De Conjuratorum supplicio,
I. Cæsaris, ex Sallust.

TRactatio ultimum conjuratorum suppli-
cium impugnat, ne Resp. Rom. incurrat
I. FAMÆ PERICVLVM, quâ toto passim
orbe floruit. Hoc argumentum illu-
stratur

1. *Occupatione*, quæ & belli calamitatem, &
sceleris, (quod belli causa gravitatem re-
spicit,

ſpicit, & utrumque ſententiosè expe
dit.
2. Sullani *excuſatione & refutatione.*
II. GRAVISSIMVM INCOMMODVM
1. Ob ejusmodi pœnæ *novitatem*, ubi itide
Occupatione dilatatur membrum iſtoc
de vi exemplorum diſſeritur.
2. *Ob* neglectam Majorum *autoritatem*, q
lege Porciâ civibus Rom. caverunt, &c.

ORATIO VIII.

M. Catonis, priori oppoſita.

TRactatio, poſt acre Exordium, ultimu
ſupplicium propugnat,
I. PROPTER ALIAM HVJVS à SCELE
RIBVS ALIIS, CONDITIONEM
cum non ſit
1. *Privatum*, quod tamen nec in ſe, nec i
aliis Cato tulit:
2. *Rom. civium*, quia tanti Reip. hoſtes nom
ne tam auguſto indigni:
3. *Infortunas paucorum conceptum*; ſed tan
tum, quantum unquam in Remp. perpe
tratum eſt.
II. PROPTER NECESSARIAM POEN
EXASPERATIONEM, quod argum
ex præcedenti naſcitur, ubi occurrit
1. *Sententiæ I. Cæſaris diſcuſſio*, cum ſit
(1.) Periculoſiſſima:
(2.) Molliſſima.
2. Oppo

2. *Oppoſitæ confirmatio*, cum ſupplicium de
captivis ſumtum faciat,
(1.) *Ad ſociorum confuſionem*, ubi occupatio
inſinuatur, &, de majorum, laudabili ſe-
veritate, diſcurritur.
(2.) *Ad ultimi exitii averſationem*, ubi ex cir-
cumſtantiis variis exaggeratur facinus, &
objectioni occurritur, *ducto à minori ar-
gumento*, quod nim : Veteres Rom. in
minoribus delictis acriores fuerint.

ORATIO IX.

Georgium Typicum, ſ. comparationem victoriæ à Diabolo per Chriſtum reportatæ, cum victoria Georgii Equitis, exhibens.

TRactatio eſt comparativa, & tribus membris συγκρίσεως conſtans proponit
I. REGIÆ FILIÆ CALAMITATEM: cujus not.
1. *Deſcriptio*, inſinuans
(1.) *Perſonæ* Draconi offerendæ *conditionem*, quod α. Regia filia: β. laudatiſſima
(2.) *Mortis* ſubeundæ *exaggerationem*, quod Draconi objicienda fuerit.
2. *Applicatio*, ad Eccleſiam,
(1.) *Ratione conditionis*, cum itidem ſit
α. Regis cœleſtis *filia*.
(α.) Ex gratuita *adoptione*:
(β.) Ex ſpirituali *deſponſatione*.

β. *Pulcerrima*, ex variis virtutibus, quarum nonnullæ referuntur.

(2.) *Ratione imminentis dilaniationis*, quæ tamen breviſſ. innuitur.

II. DRACONIS IMMANITATEM, cujus itidem hîc occurrit

1. *Deſcriptio*, quodq; ſatis ea appareat

(1.) *Ex* civitatis ſilenianæ *obſeſſione*:

(2.) *Ex* tot civium *devoratione*:

(3.) *Ex* aëris *infectione*:

(4.) *Ex* impugnantium *occiſione*.

2. *Applicatio* ad Diabolum, quæ non tantum juxta quatuor illa membra inſtituitur; ſed alia comparatio ejus, *cum Gigante quodam*, affertur.

III. TRIUMFATORIS GEORGII FELICITAS, cujus datur

1. *Deſcriptio*, explicans

(1.) Adventûs *opportunitatem*:

(2.) Advenientis *benignitatem*, quod & miſertus fuerit filiæ regiæ, & de Draconi oppoſuerit.

(3.) Victoriæ *celebritatem*, quam auxit

α. Pompoſa Victoris in urbem *deductio*;

β. Jubilantium & laudatium *exſultatio*.

2. *Applicatio* ad Chriſtum, triumfatorem paſchalem, juxta membra iſtæ; ſed illuſtrata

(1.) *Aliis*, cum tot Heroibus, *comparationibus*:

(2.) *Variis* triumfalis pompæ & vexillorum *deſcriptionibus*, ex quibus Concluſio pathetica deducitur.

ORATIO X.

De Pallade, eruditionis indolem repræſentante.

TRactatio comparat deſcriptam à Poëtis Palladem cum Eruditione,

I. RATIONE ORIGINIS & PRODUCTIONIS, & quidem

1. *Quoad producentem*, ubi

(1.) Palladis;

(2.) Eruditionis DEUS autor dicitur, & ex ejusmodi ortu *commendationis* argumentum ducitur.

2. *Quoad modum producendi*,

(1.) Reſpectu *Palladis*, ſecuris Vulcani,

(2.) Reſpectu *Eruditionis*, labor eſt, cujus neceſſaria utilitas hic prædicatur.

II. RATIONE EDUCATIONIS, & quidem

1. *Quoad docentem*, ubi Dædale, informatrix Palladis, præceptorum inſtar eſſe dicitur,

(1.) *Ratione doctrinæ*, quâ polluit, ut doceret:

(2.) *Ratione prudentiæ*, quâ potuit, ut rectè doceret.

Ad hanc pertinet

α. Scita ingeniorum *diſcretio*:

β. Apta modorum docendi *mixtio*.

(1.) *Ignorantiæ* diſcuſſionem:

(2.) *Morum* emendationem, quæ vel in primis in educatione necessaria; sed rara!
3. *Quoad docendi fractum*, quem Palladis habitus insinuat,
(1.) *In communi*, quod armata, vim eruditionis in prosperis & asperis designet:
(2.) *In particulari*
α. *Quoad crystallinum clypeum*, qui conspicuam in Erudito vitæ, rationem indicat:
β. *Quoad caput Gorgoneum*, quod in clypeo, exsertâ linguâ, fuit, & robur eruditionis in hostes, eloquentiæ præsertim beneficio exserendum, docet.
4. *Quoad docendum, s. discentem*, cujus hic not.
(1.) *Assiduum* in literis *studium*, cujus signum Palladis olea. Plus olei, quam vini consumendum:
(2.) *Egregium* studii *præmium*, quod triplicis coloris pallio, in Pallade, innuitur.

ORATIO XI.

De inimicitiarum commodis.

TRactatio quatuor præcipua exhibet, quorum

I. A. VITIIS AVOCATIO, s. publice, s. privatim committendis: hoc ostenditur
1. *Generatim*, quod fiat, quia *inimicus*.
(1.) Perpetuò in nos *vigilat*, & nos, ut *hostis* civitatem, obsidet:
(2.) Peccatis maximè *inhiat*, ut *vultur* cadaveribus. Hinc nostra est attentio! nostra in vitiis cautio! Illustratur hoc *Occupatione*, quod istud sit quidem amicorum officium; sed hi
α. *Nolunt* vitia notare, quia sæpe oscitantiores sunt:
β. *Nequeunt*, quia amore occœcantur:
2. *Speciatim*,
(1.) *Quoad dicta*, ob tales corycæos:
(2.) *Quoad facta*, quod illustratur partim *similitudine*: partim actionum quomodam *insinuatione*, quas imminente inimico maximè vitamus: partim *comparatione*.
II. AD VIRTUTIS STUDIUM EXCITATIO, quam animadvertimus,
1. *In integris Rebuspublicis*, ut
(1.) Romana:
(2.) Græcis, & in universum, & certis aliquot:
(3.) Batavica.
2. *In certis personis*, quas inimicus stimulat,
(1.) Ad fortitudinem
(2.) Ad mansuetudinem, & virtutes (quæ indicantur,) alias.
III. PROFECTUUM NOSTRORUM IN VIRTUTE EXPLORATIO, cujus proponitur
1. *Necessitas*, &, similibus potiss. illustratur.

2. *Varietas*, quæ virtutum varietatem respicit.

IV. FAMÆ NOSTRÆ ILLUSTRATIO, quod accidit

1. *Ratione personarum singularum*, ut sunt

(1.) *Scriptores*, qui, ex concertatione cum inimicis, plurimum inclarescunt:

(2.) Hostium reip. *oppressores*.

2. *Ratione integrarum Rerumpubl.* ut sunt

(1.) Romana:

(2.) Batavica:

(3.) Suecica, de qua fusiùs agitur.

ORATIO XII.

De inimicitiarum remediis.

TRactatio quatuor præcipua proponit, mederi nos posse malis istis indicans,

I. EARUM IN NOBIS SENSUM DISSIMULANDO, quod fit

1. *Iræ subortæ repressione*, cum ea malum non minuat; sed augeat:

2. *Vindictæ omissione*, quæ & periculosa, & vinis indigna est.

3. *Inimicitiarum, despectione*, quod pari Illustratur, & exemplis

II. EARUM CAUSAM TOLLENDO, quæ esse potest

1. *Vera*, ut justè vituperens: hic adhibe vitæ emendationem:

2. *Falsa*, & disce cautionem juxta laudabilem

lem, in virtute porrò exercenda, fiduciam.

III. VIRTUTES STRENUE SECTANDO,

1. *Insigni* earum, quibus inimicus ornatur, *æmulatione*, quod jussit *Plut.* quod fecit *Themist.*

2. *Studiosa vitiorum declinatione*,

(1.) Quæ *inimici in nobis* notant.

(2.) Quæ *nos in inimicis* detestamur, ne similes ipsis efficiamur.

IV. INIMICOS AMICIS NOSTRIS ASSOCIANDO, cujus rei monstratur

1. *Necessaria utilitas*: quò facit consideratio.

(1.) Nostræ mortalitatis:

(2.) Futuræ commoditatis.

2. *Modus s. qualitas*: fit enim illud

(1.) Odiorum depositione:

(2.) Veniæ concessione:

(3.) Beneficiorum exhibitione.

ORATIO XIII.

De Volscorum in Romanos bello. ex Dion. Halic. l. VII. VIII. & Livio, l. II. c. 34. seqq.

Tractatio compendiosè proponit

I. BELLI IPSIUS ANTECEDENTIA; quæ erant

1. *Respectu Romanorum.*

(1.) Imprudens *plebis exagitatio*, occasione

frumenti ex Silicia advecti, nimis calidè à Coriolano facta:

(2.) *Coriolani* in exsilium *ejectio*, quam plebs irritata, invito Senatu, ursit.

2. *Respectu Volscorum*,

(1.) *Promta Coriolani*, ad ipsos confugientis *exceptio*:

(2.) *Subdola occasionis*, ad gerendum bellum *captatio*, quam excogitarunt aptissimam.

II. BELLI ISTIUS CONCOMITANTIA, quæ erant

1. *Respectu Romanorum*.

(1.) Mutua Senatus & plebis *dissentio*, postquam irruptionem in Rom. agros Volsci fecêre.

(2.) Ingens omnium *constematio*,

α. Ob Consulum ad bella ineptitudinem.

β. Ob circumstantium malorum multitudinem.

2. *Respecta Volscorum*: ubi observat

(1.) Felicissimum undique *successum*,

α. In agri Rom. occupatione:

β. Ex aliorum populorum conjunctione.

(2.) Datum legatis Rom. asperius *responsum*, & quidem tribus vicibus:

(3.) Positum bellandi *impetum*, postquam Veturia Coriolani, filii sui, animum precibus lacrumisque flexit.

III. BELLI ISTIVS CONSEQVENTIA, quæ erant

1. *Respe-*

1. *Respe respectu Romanorum*, omnium statuum lætitia:

2. *Respectu Volscorum*, invida sævitia

(1.) *Apud Tullum*, multos in Cariolanum incitantem.

(2.) *Apud* factiosum *populum*, lapidibus Coriolanum obruentem.

ORARIO XIV.

Coriolani vindicias continens.

TRactatio vindiciarum momenta petit,

I. AB HONESTATE, quò refert,

1. *Iustam in hostes ultionem*, illustratam *Occupatione*, quæ patriam, virtutibus suorum inimicam, minimè patriam esse docet, in quam arma sumere nefas:

2. *Magnanimitatis indolem*, quæ nihil gravius contemtu ferre solet. Illustrantur hæc *exemplis* aliis.

3. *Exercendæ fortitudinis occasionem*, quam captare Coriolanus, quam sordescere, maluit.

II. AB UTILITATE, quam Romanis, illo bello Coriolanus attulit,

1. *In communi*, insolentiam civitatis compescendo:

2. *In particulari*,

(1.) *Ratione Senatûs*, autoritatem ordinis augustissimi asserendo:

(2.) *Ratione plebis*, impetum illius atterendo
III. à BELLANTIS FELICITATE, quam divinitus concessam, adeoque ipsum bellum Deo probatum fuisse, docet
1. Præcedentium *omnium varietas*:
1. *Successuum velocitas*, quam bonæ causæ indicium meritò dixeris.

ORATIO XV.

De Coriolani panicidio, præcedenti opposita.

Tractatio bipartita est, proponens

I. FACTI ISTIVS DETESTATIONEM, quia
1. *Inhonestum* prorsus, & pugnans
(1.) Cum naturæ ac gentium *juribus*;
(2.) Cum variis *virtutibus*.
2. *Ipsi Coriolano planè noxium*,
(1.) Ob cariſſimorum *carentiam*:
(2.) Ob sanciatam *conscientiam*.
3. *Temerarium & non necessarium*, quia
(1.) *Potuisset* alibi privatam vitam degere:
(2.) *Debuisset* etiam pro patria mortem oppetere: utrumq; multi fecerunt!
II. VINDICIARVM ALLATARVM DISCVSSIONEM, & quidem
1. *Ratione honestatis*: nullam esse in ejusmodi facinore, sententiis pluribus, ostendit, & ferendas esse patriæ injurias, exemplis docet.

2. *Ratione*

2. *Ratione utilitatis*: probat,
(1.) Quod *nulla* hîc sic; sed malum multiplex:
(2.) Quod *aliena* ab instituto, cum non omne utile excusandum:
(3.) Quod *ab aliis emendari* debuisset Patria.
3. *Ratione felicitatis*: indicat
(1.) Quoad prodigiorum *varietatem*, quod tam Coriolani insaniam, quam patriæ miseriam portenderint.
(2.) Quoad successuum *velocitatem*, quæ improba quoque arma comitari potest.

ORATIO XVI.

De multiplici Dissimulationis, in Civili conversatione, beneficio.

Tractatio proponit ista beneficia, nim:

I. TVTIOREM NEGOTIORVM NOSTRORVM CVM ALIIS TRACTATIONEM: ubi expendit
1. *Loquacitatis* s. præcocis lingua *incommodum*.
2. *Tutum* à taciturnitate, Dissimulationi cognata, *subsidium*, quod nec anseres ignorant: ubi *Occupatio* intercurrit, non pugnare taciturnitatem aut dissimulationem cum veracitate, indicans.
II. CONSILIORVM NOSTRORVM vel INTERMISSIONEM, vel MVTATIONEM, quæ sine dedecore, à Dissimulatoribus,

latoribus, fieri potest, si non successus videant ex voto. Hinc laudatur

1. Circumspecta in consiliis *cunctatio*:
2. Apta eorundem *exsecutio*. Vtrumque exemplo strategematum illustratur.

III. CONSILIORVM ALIORVM INDAGATIONEM: dissimulando enim mentem nostram, relinquimus

1. *Aliis, suadendi libertatem*, qui cognitæ aliorum sententiæ nostræ incautiùs accederent;
2. *Nobis, plenam eligendi*, ex auditis consiliis quod placet, *facultatem*.

IV. IMMINENTIVM MALORVM DECLINATIONEM,

1. *Ex dubiis amicitiis*, cum dissimulando saepe firmemus, quæ, remoto isto velo, in apertas transiissent inimicitias. Docetur hoc postrationem, exemplis bellicis:
2. Ex *potentiorum injuriis*, quarum utique remedium dissimulatio:
3. Ex *inimicorum convitiis*, quæ dissimulata exolescunt. &c.

V. MODESTIÆ NOSTRÆ COMMENDATIONEM, quæ, ut jactantia perficita dissimulatione socratica crescit plurimum. Conducit hæc

1. *Ad invidiæ declinationem*:
2. *Ad favoris* apud omnes *conciliationem*.

ORATIO XVII.

De multiplici dissimulationis periculo.

Tractatio proponit ista pericula, nim:

I. TRANQVILLI ANIMI TVRBATIONEM, quæ oritur

1. *Ex anxia morum occultatione*, ne se prodant: hinc trepidè agimus omnia, quod similibus duobus, *à comœdis & Musicis organis*, petitis, illustratur:
2. Ex *facillima aberratione*, quam & rationes, & exempla docent.

II. TIMIDITATIS OPINIONEM, quam de nobis, in aliis, gignit dissimulatio. Ista verò

1. Certissimum actionum *impedimentum*:
2. Nocentissimum famæ nostræ *detrimentum*, quod *contrariæ fiduciæ* commendatione illustratur.

III. MVLTIPLICEM SVSPICIONEM,

1. *In nobis ipsis*, de aliis, qui fortassis apud nos s. dictorum, s. factorum in nos, arguuntur; surgit ergo hæc suspicio
   (1.) Ex *omissam negotii discussione*, apud dissimulatores:
   (2.) Ex difficili animi compositione, ostenditur hoc, relato prolixius ex *Curtio* exemplo Alexandri, *l.* III. *c.* 6.
2. *In aliis* de nobis,
   (1.) *Quoad* formandum de nostris moribus *judicium*:
   (2.) *Quoad* ferendum nostris conatibus *auxilium*: unde viros apertos feliciter eminuisse;

nuisse; dissimulatores via aberrasse, exemplis docetur.

IV. CANDORIS ET FIDEI NOSTRÆ IN DVBIVM VOCATIONEM, quæ gignit

1. Aliorum *diffidentiam*, veri amoris tinctam:
2. Nostri *despicientiam*, mala scilicet ejusmodi, quæ Dissimulationem plurimùm diffamant.

ORATIO XVIII.

De duplici civilis Conversationis incommodo.

Tractatio illud proponit, nimirum

I. PROFECTVVM IN SCIENTIA ET VIRTVTE IMPEDITIONEM, & probat

1. *Quoad scientiam*,
(1.) Ratione:
(2.) Exemplis præstantissimorum virorum, qui, pro acquirenda scientia, *solitudinem* sectati sunt.
2. *Quoad virtutem*,
(1.) *In communi*, quia mundus vitiorum stabulum: quod & *occupatione*, & dicto factoq; *Diogenis* illustratur.
(2.) *In particulari*, quod nec temperantiæ nec justitiæ etiã studio vacare in liceat. Et scientiæ igitur, & virtutes meliùs *in solitudine* acquiruntur.

II. BONÆ INDOLIS CORRVPTIONEM, quam inter improbos probi sentiunt,

1. *Colligendo* variorum vitiorum *farcinam*, ubi de consortii mali malis pluribus agitur:
2. *Properando ad perniciem suam & ruinam*, quod illustratur
(1.) *Occupatione*, quæ allegatam conversationis commendationem discutit:
(2.) *Fabulæ* de Sirenibus, ad præsens institutum, *applicatione*, unde & animi, & corporis, & fortunæ jacturam facere, conversantes, ostenditur, & *solitudinis studium* denuo commendatur.

ORATIO XIX.

De triplici civilis Conversationis commodo.

Tractatio singula proponit, nimirum

I. MELIOREM VIRTVTVM & SCIENTIARVM COMPARATIONEM, & hanc probat,

1. *Ratione acquisitionis*,
(1.) *In communi*, quod cum rudes planè nascimur, necessariò ab aliis & scientias nobis comparemus, & virtutes:
(2.) *In specie*,

a. *Quod*

α. *Quoad scientias*,
(α.) *Addiscendas*, in congressibus nimirum docentium & discentium, quod *occupatione*, de αὐτοδιδάκτοις, illustratur.
(β.) *Ad usum transferendas*, cum non nobis solis discamus, sed & aliis: quod judiciis magnorum Philosophorum firmatur.
α. *Quoad virtutes*,
(α.) *Generatim*, ut conversatio earum officina; solitudo omnium malorum occasio dicatur.
(β.) *Speciatim*, ut de nonnullis distincte præsertim de *Prudentia*, agatur.
II. MELIOREM BONÆ INDOLIS CONFORMATIONEM, quæ oritur
1. *Ex eruditionis* acquisitæ *confirmatione*,
(1.) *Per* sententiarum cum aliis *collationem*:
(2.) *Per* aliorum *exstimulationem*, sive exemplis, s. monitis fiat.
2. *Ex vitiorum* nostrorum *emendatione*, quod speciatim diducitur, & *occupatione* de malis undique malis, sententiose illustratur.
III. RECTAM RATIONIS & ORATIONIS USURPAPIONEM, quæ unius hominis dona sunt, conversationem respicientia, quod patet,
1. De *oratione*:
2. De *ratione*: ubi ad ultimum quoque præcedentis orationis in commodum strictim respondetur.

ORATIO

ORATIO XX.

Pro decreto Scholastico, adversus præceptores clancularios.

TRactatio, post indicatam à Consule non nihil Legis ferendæ occasionem, exponit
I. DUPLICEM ILLIVS RATIONEM, quarum
1. *Necessitas curæ publicæ*, quoad scholas, illustrata argumentis
(1.) *à pari*, de religionis exercitio:
(2.) *à contrario*, de privati hîc arbitrii incommodo:
(3.) *à Græcorum*, *instituto*, quod pluribus commendatur, & Romæ quoque observatum ostenditur.
2. *Vtilitas*, cum inde oriatur
(1.) *Melior informatio*:
(2.) *Iuventutis* ad congressus publicos *assuefactio*:
(3.) *Firmior* animorum *conjunctio*.
II. LEGIS PROPOSITIONEM:
III. TACITAM CONSULIS INSINUATIONEM, ut ad legem amplectendam plebs inciteretur.

ORATIO XXI.

Ejusdem argumenti.

TRactatio, post idoneam insinuationem, suadebit decretum, ducto itidem argumento

I. A. NECESSITATE, præsertim quoad statum singulorum, qui suorum informationem domi curare nequeunt,

1. *Propter negotiorum domesticorum varietatem*, quibus obruti, quam suorum domi curam, præsertim quod *studia* concernit, habebunt?

2. *Propter ignorantiam plerorumq; & inditatem* unde facilè decipiuntur,

(1.) *Ratione præceptoris*, quem assumunt, clancularii, teste experientiâ:

(2.) *Ratione modi*, quem temere assumtus, in informatione, adhibet. Nec enim, bonus, an malus sit, possunt discernere.

(3.) *Ratione profectuum* in informatis, de quibus tantum judicare possunt, quantum cœcus de coloribus. *Publica* ergo Prudentum *cura* hic observanda est!

II. AB UTILITATE, productis observatæ legis commodis, quorum

1. *Frequentius bonorum morum studium*, quorum corruptio est

(1.) *Connata.*

(2.) *Contracta*, ex domestica patrum, & præsertim matrum, indulgentia, cujus incommoda, publicè privatimq; maxima, referuntur, ut tamen remediunt *publica institutionis* inculcetur.

2. *Aptum contrahendorum sumtuum medium*, quos satis amplos, in clancularios, præceptores,

ptores, effundi constat. Quo plerumque fructu.

3. *Decus scholæ publicæ integrum*, quod aliâs, multiplicatis pro lubitu scholis clancularibus, nullum erit, malo Reip. maximo!

4. *Honoratiorem sacrorum & exsequiarum cultum*, cum & his, & illis scholæ publicæ pueri, intersint. Quanta verò hodie illorum utrimque raritas? Illustratur hoc recensione melioris statûs *temporum superiorum*, & civitatum aliarum, cum *adsortatione* ad observationem legis propositæ.

ORATIO XXII.

Contra decretum Scholasticum, pro scholis clancularibus.

TRactatio argumenta proponit dissuasoria, nim:

I. DECRETI INIQUITATEM, quod ad ingenitam omnibus liberorum curam cogantur eò cives, præsertim inferiores, quod pugnat,

1. *Cum Rom. Populi conditione*, qui liberrimus, nec sub tale jugum mittendus:

2. *Cum ipsa* Liberorum *informatione*, quæ, in Rep. libera, libera esse debet. Hoc illustratur *contrario* Tyrannorum in Græcia instituto, & *Apostrophe* ad majores.

3. *Cum genuina legum ratione*, quæ est, omnes ἀπροσωπολήπτως obligare; sed hic erit

(1.) Patritiorum & potentiorum *exceptio* qui & alia sibi rapiunt, præ plebeiis, privi legia:
(2.) Certorum malorum, ex hoc fonte *cumulatio*.
II. INCOMNODORUM VARIETATEM ex quibus
1. *Multiplex morum corruptio*, circa quam no
(1.) Emendationis domesticæ *facilitas*, qu quidem
α. Oculatior:
β. Efficacior:
γ. Moderatior.
(2.) Præsens corruptæ scholæ *infelicitas*.
α. Ob *disciplinæ* exsilium:
β. Ob effrene *vitiorum* quorumcunq; studium:
γ. Ob *Præceptorum* vilipendium.
2. *Tardior in studiis progressio*,
(1.) *Ob* informandorum *multitudinem* quæ impedit
α. Rectam ingeniorum explorationem:
β. Concinnam ad cujusvis indolem in formationis applicationem.
γ. Seriam propositorum repetitionem.
(2.) *Ob* docentium & lectionum *diversitatem* quibus omnia promiscuè ingenia obr untur, diversa diversorum methodo. O mnia *privatim* hîc meliora! Id quod *insti tuto populorum* aliorum firmatur, &c.

ORATIO

ORATIO XXIII.

Pro decreto rursus; sed præcedente oratione vindicato.

Tractatio lectori sistit
I. PROLATARUM MODO RATIONUM CONFUTATIONEM, & quidem
1. *Ratione objectæ iniquitatis*, regerendo ad
(1.) Quod non servitus; sed libertas sit, *servire legibus*:
(2.) Quod ita libera sit informatio, ut tamen *Magistratûs directione* juvetur & ordinetur:
(3.) Quod lex data *communis omnibus* futura sit, quod Consul promittit.
2. *Ratione allatorum incommodorum*, dicendo ad
(1.) Quod corruptio morum *domo afferatur* in Scholam, unde
α. *Nulla* domesticæ, informationis *felicitas*, quia
(α.) Indulgentior:
(β.) Incertior.
β. *Scholæ infelicitas*, ex allegatis malis oriunda, natales suos debet corruptioni liberorum domesticæ.
(2.) Quod *felicior* sit in studiis, sub Præceptoribus publicis, *progressus*,
α. Ob præceptorum *conditionem*:
β. Ob mutuam discentium *æmulationem*,

quod ex Quintiliano uberius proponitur, & objecta declinantur:

β. Ob solicitam Magistratûs curam & *inspectionem.*

II. PLENAM LEGIS EXPLICATIONEM, quod non tollat privatam informationem; sed publicæ subjungi; sed conformari velit. Hîc ergo disseritur

1. *De idonea* privatæ & publicæ informationis *conjunctione*:

2. *De necessaria* privatæ ad publicam *conformatione*, quæ includat

(1.) Privatam publicarum lectionum *repetitionem*:

(2.) Distinctiorem, ubi opus, *explicationem*:

(3.) Concinnam ad ingenia *applicationem*.

(4.) Conformium autorum *conjunctionem*, quod quam utile sit, & domesticis, & externis exemplis comprobatur.

ORATIO XXIV.

De ignobili Zopyri, Nobilis Persæ, facto, &c. Herod. l. III. inf.

TRactatio in factum hoc invehitur, ceu

I. TURPISSIMUM, & ab omni honestate alienum,

1. *Ratione causæ impellentis*, quæ fuit *ambitio*, cujus hic describitur

(1.) *Ingenium*:

(2.) *In-*

(2.) *Incommodum*, illustratum *Occupatione*, quo nempe modo in militaribus quandoque Ducibus commendetur:

2. *Ratione adhibiti in agendo modi*, qui fuit

(1.) *Crudelis & horridus*, cum seipsum horride laniaverit & mutilaverit. Illustratur hoc

α. *Comparatione* facti hujus cum facto Scævolæ:

β. *Refutatione* opinionis de ἀυζοχειρία Stoicæ:

γ. *Explicatione* & exaggeratione sententiæ, de Zopyro, regiæ.

(2.) *Temerarius*, cum & dictis, & factis seipsum talem probaverit.

II. IGNOMINIOSISSIMUM, & omni viduum gloria, cum contaminent illud

1. *In gloria mendacia*, quæ commisit

(1.) Ficto *transfugio*:

(2.) Gravi in Darium *convitio*. Hîc *Digressio* est, quæstionem illam evolvens: Utrum hosti mentiri liceat, ex *H. Grot. l. III. de Iure P. & B. c. 1.* & Zopyrum saltem, tantum virum, inter Persas, non decuisse ostenditur.

2. *Scelesta perfidia*, cum de nunquam præstandis officiis fidem dederit. Illustratur hoc

(1.) Oppositæ fidei *encomio*:

(2.) Simili Tarquinii *exemplo*, ex *Liv. l. 1. c. 53. 54.*

(3.) *Occupatione*, de fide in Regem, cujus

exemplum ex *Piccart. Dec. 1. Hist. c. 1.* affertur.

2. *Fraus proditoria*, cujus describitur
(1.) *Ingenium:*
(2.) *Incommodum*, quod Babyloniis hîc intulit, quorum miseria & ob *culpam*, & ob *pœnam*, per Apostrophen, exageratur.

ORATIO XXV.

De Imper. Mauritii flagitio, propter quod justè occisus videtur.

TRactatio exponit illud flagitium, quod duplex:

I. AVARITIA, quam exercuit,
1. *Stipendia* militibus debita *subtrahendo*:
2. *Lytrum* exiguum, pro redemtione illorum, Cagano *denegando*, unde miserabiliter cæsi sunt.

Hîc agitur
(1.) *De avaritiæ*, præsertim in Magistratu, *turpidine*:
(2.) *De malorum* inde oriundorum *multitudine*, occupatione illustrata, quâ avaritiæ regiæ ministri refutantur.

II. SÆVITIA, quam exercuit,
1. *Subdola* bene meritorum, in manûs hostium, *traditione*; ubi occurrit
(1.) Ingratæ injustitiæ *detestatio:*
(2.) Objectionis *resolutio*, quasi ipsi in refractarios hoc licuerit.

2. *Ignominiosa* Deputatorum ab exercitu *vexatione*, qui de Commentioli facto querelas omnium afferebant. Concurrebat in ea,
(1.) Ferox petitorum *denegatio*:
(2.) Contumeliosa Deputatorum *exagitatio*, qua præcipuè in Mauritium inflammatus est exercitus.

ORATIO XXVI.

De Imper. Phocæ parricidio, quod in Mauritium commisit.

TRactatio parricidium hoc gravissimum esse docet,

I. RATIONE CÆDIS IPSIUS: nimirum
1. *Quoad ipsum cæsum*, qui à Deo constitutus Imperator: qua occasione agitur
(1.) De inviolabili regnantium *sanctitate:*
(2.) De patientiæ, inferendis etiam improbis regibus, *necessitate*, qua excusatio Phocæ eliditur.
2. *Quoad cædentem*, qui erat Phocas, subditus, injustâ instigatus ambitione.

II. RATIONE MODI, quo cædes ista perpetrabatur. Proponitur ille ἐνυποτυπώσει, ut exaggeretur crudelitas Phocæ,
1. *In præsentes*, nempe
(1.) *Duos filios*, ex quibus alter, ab uberibus raptus, interemtus est:
(2.) *Tres filias:*

INDEX ORATIONVM.

(3.) *Imperatricem* Constantiam:
(4.) *Imper.* Mauritium.
2. *In absentes* : qui postea trucidati sunt, nempe
(1.) *In filium* Timotheum:
(2.) *In ministros* Imp. alios, ex Tyrannorum nim. ingenio, de quo pluscula.
III. RATIONE EFFECTUS, s. pœnarum, quæ hanc cædem excipiebant: huc pertinent
1. *Calamitates publicæ*, quibus Rom. Imperium passim lacerabatur:
2. *Privatæ miseriæ*,
(1.) *Phocæ parricidæ*, quæ describitur, &, quod cædes ejus à Mauritiana Dist. ostenditur,
α. Ratione *antecedentium*;
β. Ratione *concomitantium*:
γ. Ratione *consequentium*.
(2.) *Militum Phocanorum*, ex quibus duo tantùm gregarii, ad finem regiminis Phocæ, vitam vixerunt: omnes perierunt miserrimè!

FINIS PARTIS PRIMÆ.

MEMORIA SAMSONIANA.

Celebrata

Anno M. DC. XLIV.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

DOMINO,

HERMANNO SAMSONIO,

Hereditario in vesten, Reipublicæ Patriæ Senatori spectatissimo, &c.

DN. ET FAVTORI amicissimo,

SALUTEM ET PROSPERITATEM!

NOBI-

NOBILISSIME ET AMPLISSIME DOMINE!

DEnuo tam tristes Tibi chartas sisto: plures ante annos, typis aliis impressas, jam legisti, inter lacrumas haut dubiè & gemitûs. Qui enim possis aliter? Celebratissimi Parentis Tui exhibent memoriam, & mei: mei utiq; affectu constantissimo, quem totos mihi novem annos indulsit. Nolui tum temporis silentio ingratus esse, audacter satis, modò piè, locutus sum aliquid. Rationem oratorij cultûs neque habui, neq; potui, totus prope in lacrumas liquescens, quoties SAMSONIVM, & ut meum, cogitavi. Exterorum certè neminem aut complexus hîc est arctiùs, quam me, aut amicius habuit. Ne nunc quidem facti causam assequor: fructûs jampridem sentio, adhuc agnosco Secreta hæc fuit naturæ benignitas: quis eruet? Deduxi, ut oportuit, ab his publica: perpendi mecum, ut decuit,

cuit, postrema morituri verba, &, DE DIVINÆ VERITATIS VINDICE, nonnulla protuli, quæ per mœrorem, inter domûs Vestræ planctûs, licuit. Vtinam & Frater Tuus adhuc superesset, Domine! Frater unicus, Frater unicè dilectus, cui pariter hunc gratæ mentis indicem transmisi. In eum sanè indoles B. Patris mascula, spectabilis, decora, extremis velut tabulis, transierat, & ipse, indefessa animi contentione, post impetratam Magistralem laurum, extra patriam, ne diu SAMSONIVM desideraret, laborabat. Sed, ô triste fatum! reversurum ad nos ex Germania, inter Musas Rinthelienses, propera mors expectationi nostræ surripit. Quæ tantam domûs Vestræ clades exprimat Oratio? Solus jam es, Domine, qui B. Patris nomen atq; gloriam, qui tanta ejus dona, licet alio in statu, sustines, quæ tamen, per divinam indulgentiam, in Te semper splendidiùs emicant. Vt solem, è cubilibus progredientem, clariorem usque cernimus: ita & Te, posteaquam Patria Te inter Patres suos numeravit. Servet, augeat, fœcundet DEVS, quæ largitus est benignissimè, & Te, ornamentum Patriæ, Te, unicam familiæ columnam, Te, Matris nobilis-

nobilissimæ solatium, Te, unicæ adhuc Sororis, & Affinium nobilissimorum delicium, Te, omnium bonorum; sed in primis meum & amicum, & patronum diu præstet felicissimè incolumem! Vale, Domine amicissime & fave

Dab. ipsis Cal. Novembr.
Anno 1654.

NOMINIS SAMSONIANI

Cultori æterno

Johan. Brevero.

CLARIS-

CLARISSIMO VIRO

M. JOHANNI BREVERO,

Cum publicè habitam laudationem funebrem, in excessum summi Theologi,

M. HERMANNI SAMSONII,

Typis exscribi curaret.

SAMSONIUS, quem publicæ vocis fides,
Non fama mendax, inter insignes viros
Pridem reponit; sed pusillo marmore
Parcæ ferocis claudit inclementia;
Nunc ecce suscitatur umbra pulveris,
Et pulchriore fronte nobis redditur.
BREVERUS, illud Gratiarum coetus lum,
Venustioris arbiter facundiæ,

Cœleste pectus, & caput gratissimum
Musis, potente quando Suada detonat,
Potentiore dictionis gratia
SAMSONIUM luci adserit pulcherrimæ,
Manes beatos funeris dignissimo
Honore clarat, & venustis laudibus.
Nil ossa præter atq; pellem vermibus
Relinquit: Ille spiritum ingentem, laris
Quondam hospitatorem caduci, vivido
Pingit colure, & altiore publicat
Cura indolem virtutis atq; fervidos
Motûs. Bonus patescit indoli tuæ,
Campus, Vir inter eruditos optime,
Flos doctiorum: perge famam Nominis
SAMSONIANI gloriosè extendere,
Atq; explicare voce, vita, moribus!
Sic transferes in te, tuamq; industriam
Favoris ac famæ decus pulcherrimum.

JOHANNES HÖVELIUS
Patriæ Prof. & Physicus, Illustrissimiq; Curlandiæ Ducis Medicus.

INVITATIO PVBLICA,

Ad instantes exsequitas.

HOc nobis igitur, post tot calamitatum publ
carum nomina, post recentissimum Livon
Herois obitum, sperandum erat, ut, dum tan
cœpimus madere lacrumis, dum plenô adhuc vi
nostrum hiat vulnus, novus nos mœror opprimere
capitalis æquè plaga, & eâdem septimanâ, ferret
Hoc immutabile decretum fati est: hæc in Livon
fixa necessitas, ut calamitatem trudat calamita
ruina ruinam involvat? O infelicissima excum
anni tempora! O mensem Decembrem, non jam ex
pectatione festivitatum, aut Calendarum Ianuari
rum commendabilem; sed luctu lacrumisq; f
squalore prorsus obductum! Fuit, fuit illud tempus
cum Te, revertentem orbe annuo, festivâ quisq; mens
te hîc exciperet: cum se ad natalitia pararet gaudia
Iam verò, postquam duo patriæ capita eximia ex
puisti, ecquid restet aliud, quàm ut in posterum, fi
ut Atlantes populi renatum solem diris devovent
Livoni tuum ortum detestentur; atris saltem te
bus impleant? Cum in expeditione Argonautica, p
superatas aliquot itinerum angustias, Herculem
Ducem suum, amisissent comites, quam miserè ja
ctura istâ cruciabantur? Cumulati autem, præter

opinionem,

opinionem, pluribus miseriarum fluctibus, eodem raptis tempore Idmone & Tiphy, illô Vate meritorum encomiô spectabili: hoc Imperatore cursus felicissimô, totô lamentorum mergebantur vortice, necq; novo luctui, consiliisve ampliùs sufficiebant. Aut caligamus nos in luce apertissimâ, aut geminô calamitatis ictu sauciatos cum Minyis Livonos videmus. Femnarum quidem est, inanibus de certa morte querimoniis, ut solent, urgere gemitûs; sed illos publicos, non tam profusione lacrumarum, quam veris excitare judiciis, virorum est, qui, repetentes animô, vestigia vergentis anni, maximam Livonicæ felicitatis partem, urnis conditam feralibus, desiderant.

Offerebamus, paucis abhinc mensibus, Generosissimum OTHONEM SPARRENSTIERNAM: nunc amittimus Perillustrem VIRUM ANGELIUM, Generales Livoniæ Præfectos laudatissimos, & cum illis statim HERMANNUM SAMSONIUM, Virtutum omnium, ad æternitatis sedem tollitur. Quando, quæso, civitati Rigensium magnoq; Livoniæ Ducatui, major fortitudinis necessitas, quàm in hac casuum importunitate, exstitit? Quæ hoc, inter alia, præcipuum habere dicitur, ut, inter ipsa generositatis meditamenta, inopinatus sæpe horror eluctantem fiduciam lacessat, & quò studiosiùs à perditorum desiderio munitur animus. eò formidabiliùs se offerat fortunæ fortis interpretatio, nullibi tam facilè obvia, quàm ubi maximè vitatur. Nemo SAMSONIUM nostrum solius Religionis damno cecidisse putet: latiùs se malum extendit, quod clarissimorum Dei virorum orbitus sequitur. Testis est

Africa, quæ vix Augustinum suum inter tristia omnium lamenta extulerat, cum & Arrius religionem & Genserícus regionem ferro flammisq; peragraret. Testis est (ne veteres Ecclesiæ fastos replicem,) Thuringia, quæ nunquam gravius sub cruciatu vapulavit bellico, quàm cum Gerhardum suum, ad beatum corporis portum, comitata est. Testis est Saxonia Electoratûs unio, Lipsia, quæ, post elatos ante sesquiannum Hopfneri sui cineres, mutatam penitus faciem suam experitur. O si, quicquid horum [illegible] ignoraremus hodie, ubi SAMSONIO *suo honorem sepulcrales pia adornat Patria, incomparabile depositum cœlo reddituraⁱ! cujus vitam, inter singularia virtutum exempla traductam, breviter hîc [illegible] gemus. Primam hujus lucis usur[illegible]hausit* SAMSONIUS *in hac ipsa Liv[illegible] Metropoli, matre bonorum ingeniorum felicissima, ne minor tamen Viri doctibus patria obtingeret, [illegible]nô, Christianæ computationis, supra millesimum, quingentesimum, septuagesimô nonô, Mense Martiô. Patrem habuit Virum perquam Strenuum,* NÆMANNUM SAMSONIUN, *Ductorem hîc civilium ordinum fortissimum, Geldriâ oriundum, ubi Samsoniorum adhuc familia laudatissimis viri ujus nominibus celebratur: matrem* ANNAM BOKERIAM, *feminam honoratissimam; qui parentes cum tertiam hanc ex sese subolem recens stinâssent mercatoriæ, quadrimulus noster, evocatô ad cœlestia parente alterâ, natam humanioribus literis indolem plus satis prodidit, & mater, ejusmodi fatorum indice mota, filium suum in hujus loci scholam deduxit. Quantâ bonæ*

bonæ Deus, in eo statim discendi industria! quanta ex moribus modestia! quanta in Præceptores observantia! Nunc proximos; nunc superiores; postremò semetipsum, eximiâ laudis cupidine, incitabat, vincebat, atq; adeò, quocunq; ipsum comitaretur potius, quàm duceret docentium fidelitas, in primis semper constiterat. Quàm verò bilem invidentibus movere virtus potest! Iesuitæ, intra urbis hujus mœnia hærentes, sapius captârunt SAMSONIUM *nostrum, &, ut in Alumnatum Brunsbergensem abducerent, demum ceperunt. Sed intervertit pestilens propositum divina providentia, suumq;* SAMSONIUM, *ex curru Iesuitico fugientem, in silvam: ex hac in Patriam: ex hac in Academiam Rostochiensem Anno* M.D. LXXXXIX. *arcessivit. Ibi Noster, patentiorem indoli suæ campum offendens, inconvictu summi quondam Philologi & Theologi,* D.D. *Lubini, annum integrum consumsit, & præcipuè latinitatis atq; Græcitatis scrinia, ceu eruditionis solidæ sacraria, excutere perrexit.* Witteberga *interim, prima resloreſcentis Religionis mater, blandis ipsum invitavit illiciis, ad quam ubi pervenit, penitissimè defixis in Theologiam oculis, omnem animi conatum in illius cultu consumsit. Philosophiam ergo, necessarium futuri Doctoris instrumentum, seriò tractare cœpit, longissimè remotus ab illorum sensu, qui, vix pulvere scholastico egressi, sine illa comite, in amplissimos Facultatum hortos ruunt, quiquid nomine humaniorum venit mente fatuâ, adspernantes. Neque præmium defuit industriæ, (quando enim defuit?) Magistrale ornamentũ laurús Philosophicæ,*

quam, inter competitores plurimos, annô M.DC.X. primus reportavit. Et jam, post lustrata Sanctæ linguæ penetralia, divinæ mentis Interpres totum sibi vindicavit SAMSONIUM, propositis summæ doctrinæ Doctoribus, Hunnio, Gesnero, Rungio, Hutthero, quorum expectationem ut aut æquaret, aut vinceret, in publicis semper & privatis Collegiis, quod habêtæ toties disputationes loquuntur, felicitatem laboris sui exercuit, dignus à Theologica Facultate præ aliis habitus, qui, locô defuncti D. Gesneri, in Templo arcis, menses aliquot, concionandô Wittebergam erudiret. Sed reddendus erat Patriæ SAMSONIUS, reddendus, suis civibus, & toti Livoniæ, hoc suum incrementum expetenti, quô tot annos jam caruerat. Revertitur ergò circa æstatem anni M.DC.VIII. ex utilitatum publicarum mercatu negotiator felicissimus: properat in amplexum desideratissimæ patriæ, ut officiorum publicorum commodis eximios donorum suorum proventus dispenset. Nec mora impetrandi adfuit, unde abfuisset festinata petendi temeritas. Ipso igitur Iohannis die, in petrino templo, flexanima ipsius facundia audita, probata, expetita est, omnibus feliciter acclamantibus, & singularem votis suis assumentibus fiduciam: hoc, hoc scilicet Samsoniana virtutis theatrum fore, in quo sese civibus suis laudabiliter explicaret! Mox in sacrosanctum Ministerij ordinem adscitus: mox ad Inspectionem Scholæ patriæ vocatus est, ut & salutis æternæ, & felicitatis publicæ fundamenta strueret, quæ, nisi ex bene constitutis scholis petantur, in quibus tandem angulis aut compitis curiosulæ Scholarum

rum mastiges latere existimant? Quemadmodum verò multiplici virtutum gloriâ spectabilis virgo multorum pleruncq; procorum solicitationibus exposita est: simili profectò ratione boni publici parantus, SAMSONIUS, multorum in se Regnorum, Ducatuum, Civitatum oculos vertit, Obtulit alumno antè suo Rostochium Professionem Academicam & Pastoratum: obtulit munia Ecclesiastica Hamburgum: obtulit Dantiscum: sed retinentibus Patriæ suæ votis reniti noluit, se eidem & natum quondam, & educatum non ignorans. Quid enim? Concreditum ne sibi divinitus ovile Christi lupis Iesuiticis objiceret, qui nocturnas diurnasq; insidias hîc orthodoxæ veritati struebant? HERMANNUM SAMSONIUM & hujus hominis virum, tempestas illa requirebat, qui, invicta mentis magnitudine, qualescunq; illorum impetûs exciperet, quantoscunq; retunderet. Venenata pluriumcalumniarum spicula in eum jaculabantur: frustra! disputationibus hinc inde suis ipsum infestabant: frustra! amicitiam illius subdolè, eminus, cominus ambiebant: frustra! per cuniculos promusionum varios constantiam tentabant: frustra! truculentis molitionibus illius vitæ insidiabantur: frustra! HERMANNUS SAMSONIUS, cœlestium armorum splendore conspicuus, ubiq; colloquiorum victoriis: ubiq; divinis dissertationibus: ubiq; scriptis quam plurimis eminuit, emicuit, triumfavit. O virum patriâ suâ dignissimum! quæ, memoratas ob causas, anno M.DC.XI. Cathedralem; post septennium supremum ipsi Pastoratum detulit, cum nul-

lum hîc illustrius officium posideret, quo civem suũ benemerentissimum posset exornare. Postquam Civitas hæc, atq; omnis Livonia, victricibus GVSTAVI MAGNI, Regis gloriosissimi, armis paruit, notus jam antea benignissimo Regi SAMSONIVS, in delitiis ejusdem statim censebatur, de signatus, anno M.DC.XXII. Livonicarum Ecclesiarum Superintendens, ut barbaros populorum animos, ad cœlestis doctrinæ cultum, deduceret: deductos constitutis à se Pastoribus emendaret: emendatos per annuas Synodos, ab omni hæresium inquinamento, assereret. Præstitit hoc virtute Dei, SAMSONIVS, & ita præstitit, ut Regia munificentia Vestensi in Livonia prædio principe laborum præmio, & ipsum, & omnes ejus posteros donaret. Ne autem in tanto referendorum concursu illius mentionem officii negligam, quod immortali cum fructu, finito feliciter Inspectionis Scholasticæ officio, itidem hîc administravit, promptisq;, ex ditissimo eruditionis penu, Theologiæ divitiis publicè, privatim, cives, peregrinos, opulenter instruxit, ut nonnisi putidæ ingratitudinis mancipium sit nominandus, qui se & hinc, ad amplificandam Beati gloriam, teneri, non fateatur. Professio illud est Theol. cui tredecim ferè annos, ab incunabulis scil Rigensis Collegij præfuit, illamq; meditationib. divinis, utinam diutius! illustravit. Quid enim posset aliud vir meritorum celebritate præclaris, fœnerari officiis suis, nisi gloriã, non invidam sui ipsius traducem? Cui ceu fastigium impositura S.R.M. Sueciæ, ante tres ipsos annos, ob præstita virtutum documenta, Superint. suum Nobilitatis honore & insignibus, cum omni posteritate, condecoravit. Nihil his addo, præter confessionem infantiæ meæ, quæ ab ulteriori meritorum recensione imparem hunc, & nimis hucusq; temerarium calamum revocat, ne SAMSONIANA fortè excellentia juvenilium verborum vilitate contaminetur. Si enim, ex Salustiano monito, eorum virtus, qui præclarè quid fecerunt, tanta haberi solet, quantum verbis potuerunt extollere scriptorum ingenia, quis, obsecro, si ad augustas SAMSONII nostri laudes eundum fuerit, ex nobis sufficiet? Si tamen pietatis aliqua professio in piè Defunctum requitur, ut procul dubio à nobis requiritur, Panegyrica Oratio eandem, primo tempore, volente Deo, declarabit. Mantisa autem loco tribus adhuc verbis domesticum SAMSONII nostri statum designo, quem, ipso Iohannis die, anno M.DC.IX feliciter auspicatus est, ductâ in matrimonium Virgine tum planè egregiâ; nunc viduâ longè mœstissimâ, singularis exempli matronâ, & si olim fuisset, HELENA HARTMANNIANA, Spectatissimi Viri BRVNONIS HARTMANNI, Civis hîc & mercatoris primarij, filia, qui cum optatissimam vitæ conjugalis societatem, in vario prosperitatis accremento, coluit, susceptis ex ea quinq; filiabus & tribus filiis, ex quibus ibi duæ adhuc, sexûs sui ornamenta, supersunt, totidemq; filij, paternarum virtutum heredes æmuli, alter in Argentoratensi, alter in Wittebergensi Academiis, magna cum laude, majori cum expectatione omnium, cum primis Patriæ, adhuc versantur. O consummatæ tandem felicitatis patrem, si spem senectutis suæ nobilissimam, utrumq; filium, videre contigisset reducem!

Sed aliter visum fuit unico votorum nostrorum arbitro, qui SAMSONIO *nostro, septimanis adhinc aliquot, cum notabili languore, scirrhum cum hydrope, insuperabilem auxiliis humanis morbum, immisit, & ante ipsos sedecim dies suggessit ipsi, ut cœlesti Synaxeos sacra viatico se instrui curaret. Quod magna etiam cum devotione factum, Nosterq; elatis supra hoc mortalitatis æstuarium cogitationibus, duobus Dnn. Collegis suis constantem Fidei confessionem edidit: se videlicet doctrinam illam, quam & calami, & vocis ministerio publicè privatimq; propugnaverit, immotam secum servaturum, & ad tribunal Judicis supremi, DEI sui, delaturum esse, certissimum animi, quicquid hactenus in controversiarum negotio, adignantibus passim sectarum, propoverit, ex limpidis Israëlis fontibus omne dimanásse. Ab illo tempore in novem usq; diem, inter calidissima cœlestis animi suspiria, cum Salvatore suo egit, totumq; se illius stitit beneplacito, donec sanctissima anima, à tot superatorum studiorum collega, corpore, circa sextam ejusd m diei vespertinam, placidissimè secederet, postquam in eo sexaginta quatuor, & quod excedit, annos hospitata esset. Licet ergo Ecclesia Livonica gloria! silet interpres oraculorum cœlestium lingua! cecidit palladium Collegii nostri! decussus est Ecclesiastarum! obiit Princeps sui ordinis, SAMSONIVS, Theologus de universa Christi Ecclesia, tot annis meritissimus! O jacturam nullis lachrymarum egestionibus mitigandam! O damna Livoria, nullo facilè constantiæ experimento superanda! Ite nunc, quotquot Viri tanti cultores exstitistis! ite Livoniæ lumina & columina! ite Rigenses inclyti! ite queruli Gymnasii cives! ite omnes boni, & exsequiali officio* SAMSONII *vestri exsuviis ad Petrinum quietorium, eras comitamini. Durante adhuc Vobis ex eo, quorum alterum inter solatia erit; alterum hos luctus faciet æternos: perpetuum Viri desiderium, perpetuum exemplum. P. P. Rigæ, d. XXV. Decembris, Anno 1643.*

MEMO

MEMORIÆ
VIRI THEOLOGI
M. HERMANNI
SAMSONII,

Superintendentis, Pastoris & Professoris in tantum æstimandi, in quantum & eruditio, & pietas, & sapientia summa intelligi possunt,

FAUTORES, AMICOS, CVLTORES,
Generosos statûs Succici Proceres:
Admodum Reverendos Religionis Antistites:
Celebratissimos alios Boni publici Pararios:
Magnificos Metropolis hujus Patres:
Excell. & Clarissimos spei patriæ Promotores:
Ornatissimos virtutum artiumq; Amasios:

LIVONIÆ
NVMINA, LVMINA, COLVMINA,
SVMMATES, INFIMATES,

Non ad declamatoriæ scholæ, artificium, sed declarandæ solenniter pietatis cultum,

EX ANIMO, EX OFFICIO,
Patri, Præceptori, Hospiti, Collegæ
INCOMPARABILI,

Oratione
DE ORTHODOXÆ VERITATIS VINDICE PRÆcipuisq; illius adminiculis atq; experimentis,
In æde Mus. Gymn. d. 8. Feb. à sese præstandũ,
Debiti *sub hostimenti promisso humiliter, officiosè, humaniter invitat, vocat*
M. Johannes Breverus, Eloq. Professor.

PANEGYRICUS.

SI tanta mihi, septimanas abhinc aliquot, ingenii vis, tanta dicendi copia fuisset, quanta mentis ægritudine, inter publicas totius Civitatis lamentationes, confundebar, ipso stationis ferali die pietatis hoc officium exsecutus essem HERMANNVM SAMSONIVM, ingentibus virum meritis, ingenti undiquaque fama, condebamus illo tempore; cujus profectò tam funesta erat acerbitas, tam robusta casus inclementia, ut omnia nobis verba ingemitûs, omnes voces in julatum, omnem deniq; sermonem in murmur & silentium transferret. Palabunda per tot Vrbis angulos mœstitia, inter inconditos tristissimorum animorum singultûs, regnabat: gemebunda patria civem suum atq; ornamentum, costernati Patriæ Patres magnum Reipublicæ subsidium, suspirantes ad Deum Ecclesiastæ principem ordinis sui gloriam, omnes cives maximam solatii, voluptatis, auxilii partem tolli querebantur. Quis, in tanto lacrumarum concursu, orationem illis imparem requireret? Submisso potiùs obtutu testari juvabat tristitiam, ne deploretur SAMSONIVS noster meliùs, quam si nemo audiatur. Solius doloris prærogativa silentium est, sub calamitoso, ejus onere, animus sibi ipse succumbit, &, qui parvas inter curas ægrè loquitur, gravioribus circumsessus planè stupet. Multum concedendum esse magnis luctibus, nemo negaverit: dum enim, per continuos ferè singultûs, locutionis ordo perit: dum aliquid sibi temporis justissimæ deposcunt lacrumæ: dum in gratiam paulatim, cum oratione, redit animus, omnino serum est, quod quis à lingua sua impetrat: nec tamen facilè mœrorem loqui convenit, nisi, maximâ sui parte, exhaustum. Licet, si non nisi exhaustum ita mœrorem loqui convenit, quam nos miserè infortunati sumus, qui nunquam vocis publicæ officium præstare poterimus SAMSONIO nostro, natum ex illius [illegible]ere mœrorem nunquam deposituri! Ego [illegible]ertim, (liceat mihi privatam animi curam [illegible]bjungere,) qui infelicem trahere hucusque spiritum debui, ut meum tot annos, heu quondam! Præceptorem, Hospitem, Amicum, Parentem, [illegible] in vita desituris lacrimis, deflerem. Cui usquam tristior dicendi simul, & tacendi incubuit necessitas, quam, quæ hîc à doloris pertinacia; ibi pietatis imperio: utrinque ab immensis Præceptoris mei virtutibus mihi imponitur? ut non sine causa sit verendum, ne luctus observantiam animi publicè, sed cum dedecore quodam meo, fateatur. Quapropter, Tu potiùs surge, Livonia fortissima, & honores parentales tuo instrue SAMSONIO! Surge RIGA Nobilissima! aut, si qualicunq; demum vocis hujus ministerio uti volueris, non tam eruditæ orationis artificium, quàm rudem à me mussitationem exspecta. Quod si Vestrûm aliquis,

aliquis, dignam tanto virò laudationem auditurus, modò aderit, fruſtra hîc erit. Maxima SAMSONII laus eſt, quod nemo illum vituperet quod nemo illum non deſideret : quod nemo in hac civitate reperiatur tantæ facundiæ, qui laudare illum ſatis queat. Commodiùs itaq; nobis erit, ex variis præconiorum titulis, unum VINDICANDÆ RELIGIONIS EXEMPLUM aſſumere, ut proponamus attentioni Veſtræ, Auditores, Virum eximium, Vindicem orthodoxæ veritatis inſtructiſſimum, qui decus & majeſtatem Eccleſiæ, noſtro ſeculo, in hac præſertim Livonia, ſuſtentavit.

Tumeſcebant pridem, ſub ingreſſum [illegible] hujus ſexti & decimi, factiones Jeſuiticæ, [illegible] tis admoveri videbatur hoſtibus Eccl[illegible]æ defi- derator terminus, qui cœleſtem [illegible] odoxiæ gloriam, longo hîc tempore in [illegible] poſſeſſam, non concuteret modò graviſ[illegible]; ſed, reductis etiam idolomaniis Papiſtarum, penitùs exſtirparet. Imminenti huic Religionis fortunæ arctiſſimo prorſus, & ſupra ſanguinem ſolenni vinculo, innexa erat Reſpublicæ : in hanc technas quoque ſuas, in hanc malitioſæ mentis cogitata nequiter movebant adverſarii. Excitabatur crebritate inſidiarum attentior periculorum reputatio, ex reputatione timor, ex timore vota, ut, ad obeundas hîc divini nominis vindicias, Auguſtinus aliquis aut Athanaſius inſtrueretur. Inſtruebatur, tempeſtate illâ, HERMANNUS SAMSONIUS, vir

ſui nominis, & cœleſti benignitate, ad doctrinam orthodoxam vel docendam, vel propugnandam, ab illuſtri præſertim Saxoniæ Academia, concinnè factus, in qua, poſt juvenilia Scholæ patriæ præparamenta, omnibus vindiciarum inſtrumentis ornabatur. Exercitores ib. habebat longè feliciſſimos : profundiſſimũ Ægidium Hunnium : accuratiſſimum Salomonem Geſnerum : perſpicaciſſimum Davidem Rungium : eloquentiſſimum Leonhardum Hütterum, quos vel vidiſſe tantùm ; non dicam audiviſſe, pulcrum illo tempore & glorioſum cenſebant, ut vel intuitus eorum ad magna ſtimulare poſſet SAMSONIUM, tacentibus etiam ipſis erudiendum. Quemadmodum enim, qui ſolem hunc, hilaratorem univerſi, obvio corporis proceſſu excipiunt, aliud etiam agentes, foventibus illius & colluſtrantibus caleſcunt radiis : ſic, in clariſſima tantorum virorum luce, inter iſtos cœli Theologici Soles verſantem, neceſſe propemodum erat, vigorem ingenio, doctrinam animo concipere, & cum maxima omnia videret, audiret, ſentiret, non minora cogitare, agere, deſtinare. Obverſabatur inſuper ipſius animo arcanum illud ſtudiorum, multis neglecta, omnibus neceſſaria, paucis dextrè tractata ſcopi, ſtudiis præfixi, & utilitatum publicarum meditatio. Hæc acuebat : hæc animabat operoſam induſtriam, quæ majoribus profectò adminiculis, noſtro tempore, Theologiam indigere, ideoq; accuratiori

ſtudio

ſtudio tractandam eſſe, videbat. Illud enim extra dubium fortaſſis mecum ponent, ſi qui ampliores ſapientiæ auguſtæ circuitûs contemplantur, controverſiarum ſacrarum tractationem, à ſeculo & ampliùs, plus aluiſſe laboris & periculi, quàm antehac quis ſuſpicari potuiſſet. Cumq; ipſa membrorum, in doctrinarum corpore, connexio non parum difficultatis; plus etiam, Hæreticorum vitio, perplexitatis ſemper offerat, uſu venire ſolet, ut nemo in ſingulis fidei partibus feliciter verſetur, qui non univerſæ genium percalleat: nemo unius aut alterius articuli vindicias rectè perficiat, niſi communem penitiſſimamq; omnium coordinationem intelligat: nemo cum adverſariis congredi utiliter poſſit, niſi miniſtrantia Dominæ ſuæ Philologiæ & Philoſophiæ auxilia conjungat. Quomodo enim vernaculas utriusque Teſtamenti locutiones capiet? quomodo nativam dictorum venerem, ex ſede ſua, dijudicabit, qui, degenerantis ſeculi correptus morbo, duo illa neglexerit conditoria, quibus integerrimè ad nos voluntas Dei conſervatur? Hebræam & Græcam linguas intelligo, quarum illam Wittebergæ, ſub Mehlfuhrero ſuo: hanc inter Muſas Lubinianas, dum Roſtochii ageret, tanta comprehendebat diligentiâ SAMSONIUS, ut inſigniores ſæpè materias ex græco in latinum, ex latino in græcum verteret: neceſſariam verborum proprietatem notaret: figurarum copiam, vim explicandi, & ſagaci optimorum imitatione ſimilia inveniendi facultatem pararet; imò, ſecretam quoque cum autoribus contentionem inſtitueret, &, ejusmodi exercitationis beneficio, magnus in Græcitate, magnus in Latinitate evaderet. Nec enim erat in, ſermone SAMSONII noſtri, rudis barbaries: non hiulca & tortuoſa obſcuritas; ſed perſpicuus & æquabilis dicendi character, qui, ſine difficilibus ſalebris in aliorum mentes influens, horridi agreſtisque ingenii ſuſpicionem ſatis amoliebatur. Fuit hoc inter ſuperiorum temporum ſomnia non poſtremum, ut non ipſi ſolùm Doctores, in Theologicis ac Philoſophicis, humaniorum obſervationem negligerent; ſed, majorem in literas tyrannidem exercentes, cum ſeveriori doctrinarum genere non crederent convenire poſſe. Inde cum vocabulis monſtroſis, mira quoque diſputationum portenta finxerunt, melancholicis, in ſpeculatione ſua, non abſimiles, quibus plurimùm negotii faceſſunt lemures & ſpectra, in delirantis alicujus monachi phantasmate primum genita. Non arridebat SAMSONIO ſcolaſtica hæc diſputandi magiſtralitas: non macerabat ſe rudibus Thomiſtarum aut Scotiſtarum vitilitigationibus, quæ in pulvere tantùm ſcholaſtico æſtimantur; extra illum ſolo contemtu refutantur, ut prudentiores quoque publicæ utilitatis intereſſe judicent, tot monachorum ineptias, à Facultatum ſuperiorum ſtudioſis, penitùs ignorari. Quid enim, poſtmodum ad ſeria pro-

vectis, præter seriam agnitionem strenuæ inertiæ, præter dediscendi molestiam relinquunt quid, ad capessenda publica, negotia, veram studiorum nostrorum regulam, subsidii afferunt? Longè rectiùs benignitatem virium nostrarum exercemus illis artibus, quæ usum habent sive in Ecclesiam, sive in Rempublicam, sive in quodcunque vitæ genus aliud, laudabiliter diffundunt. Et hæc salutaris fuit Philosophici studii meta, quam, in sedulo illius cultu, SAMSONIUS sibi præfixerat; quam ad finem usque vitæ ex hoc loco inculcabat. Calumniantur enim, & calumniantur graviter, qui Beatum nostrum aut neglectæ, aut contemtæ Philosophiæ postulant. Scilicet fatali multorum peste non occubuit: Sirenes scholasticas, à proposito sanioris cursu revocantes, non audivit: periculosos fugit Philosophiæ scopulos, quæ miseram adolescentium industriam, quotidiano pæne naufragio, subvertit, ut, nisi multi salutem deberent meliori genio, etiam optimæ mentes incurrerent vada illa, quæ curiosa subtilis Monasteriorum imprudentia exata vit. SAMSONIUM nostrum duo MARTINI, principes illo tempore senatûs Philosophici præcipuè formabant, qui, detersis hinc inde Scholarum sordibus, modum atque usum disciplinarum, ad Theologicas vindicias, tradebant: ipseque, futuri opportunitatem officii prospiciens, potioribus adolescentiæ studiis ad practicam Philosophiam ferebatur. Ut igitur

igitur & seipsum vigilantiùs intenderet, & aliis ad virtutem viam præiret, post impetratam, solenni cum laude, Magisterii lauream, privatum in moralibus collegium instituit, ita tamen, ex laudabili veterum præscripto, de virtutibus disputans, ut continuâ iisdem solicitudine in vita sua vacaret. Multò certè rectiùs, quam sordidi speculativi, qui, cum justitiæ, humanitatis, temperantiæ dogmata, subtilium disputationum alis, quasi pervolant, prætervolant seipsos, &, cum omnem controversiarum apparatum exactè sciunt, illud unum, quod in primis scitu necessarium est, nesciunt, ut se sciant: quod, annon inter usitata publici egregii obstacula referendum sit, ipsi vos, Auditores, decernetis. Sicut in eadem Meditina nihil facilius, quàm helleborum, quàm uniones, aut quicquid deniq; sanitatem promovet, cognoscere; hæc verò miscere salubriter, & concurrentibus applicare casibus, facultatis perfectio est; ita facilius est proculdubio, ventilata hinc inde, & nimium plerumque ventilata, virtutum præcepta tenere, quàm sequi: facilius, scire, quod justum, quod humanum est, quàm esse, ut non immeritò eximiorum in SAMSONIO profectuum notis accenseri debeat, ea in Philosophicis præcipuè sectatum esse, quibus non tam literatior, quàm melior evaderet. Sed hoc atrium erat gentium: hoc sanctum seculare, ubi, postquam in ærea linguarum atque artium concha non manûs & pedes, ut Sacerdo-

tes olim Levitici; sed cœlestem corporis hospitem SAMSONIUS eluisset, ingressus est, cum bono Deo, interius Theologiæ sacrarium, ad instantes illius vindicias, decretoriis demum armis indueretur. Tum confestim præmonebat genitam ad excelsa mentem fati sui solitudo, majusque concionatoriâ functione theatrum fore & sublimius ostentabat. Explicaret igitur hîc ingenium, ut in simili studiorum professione, iis esset quam dissimillimus, quorum imbecilli conatûs scripta hujus vel illius homiletici non excedunt. Aliud in Catechesi spectari; aliud quæri in Theologo, quorum cum ille pietatis tantùm principia explanare necessum habeat; hunc, velut constitutum in acie sacrâ Imperatorem, viudicias pro veritate pugnas pro Ecclesia subire, præsidium Religioni, hæreticis metum afferre, nullos apostaticæ pravitatis impetûs exhorrescere. Idcirco virtutem & antea desidiam magis magisque cœpit detestari SAMSONIUS, omnem divinam sapientiam, solidiorem fidei tractationem, motas in Ecclesia controversias, Conciliorum & Patrum statuta, sibi indaganda existimans. Cum primis sacra scriptura erat, quam & modò memoratis, fundamenti loco, substernebat, & inexhaustâ illius ubertate familiarem à puero divinis dictis animum, sine fastidio, implebat. Habent hoc peculiare, præ aliis, sacræ literæ, ut delicatulo primum animo nostro insipidæ appareant, seriò autem frequentatæ, sine nausea oblectent, sine satietate nutriant. Instar palmæ cujusdam Ægyptiacæ, cujus fructus, principiò minus amabilis, magis deinde magisque homines afficit, ut, occultâ illius suavitate, non unquam facilè possint saturari. Quoties, cibi & remissionis oblitus, in dulcissimis cum Deo colloquiis substitit SAMSONIVS? quoties, ruptis somni induciis, vigiles per commentâra oculos circumtulit? ut succum, ut sanguinem nutrimenti illius spiritualis, in omnes animæ venas, dispensaret. Sæpius hoc, ipso referente, audivimus, quàm fixis in scripturæ sensum cogitationibus, quam intentâ mentis acie, monimenta rerum divinarum perscrutatus fuerit, clavem piæ precationis ante omnia, & perspicaciæ lumen adhibens: quam devotè dictorum intelligentiam ex ipsis expectarit, ne videretur ipsi dictis illud contineri, quod intelligendum ante lectionem præsumsisset. Ideo, dicebat, semovere ex oculis consueveram magna hominum nomina: non movebar Luthero, Brentio, Calvino, Bellarmino, aliis: momenta potius rationum, ad amussim Spiritus Sancti, expendebam, non multo post tempore, in operoso orthodoxiæ scrutinio, ita firmatus, ut ne portas quidem monstrorum infernalium, aut quascunque hæreticorum strophas, pertimescerem. O virum ubique sui nominis, fortem, solidum, erectum! O deformatum jam expressumq; lineis omnibus Vindicem! in quo tantum adhuc illud restabat, ut partes quædam,

immisso lumine, tollerentur altiùs, ne consummando propediem vindiciarum honori quicquam deesset. Hoc consilio modo cum Chemnitio erat, in Examine Concilii Tridentini quod totum pæne, in suos usus, memoriæ mandaverat: modo fulminantem in Tomis Lutherum mirabatur, in quos, suo marte, locupletissimos rerum & dictorum indices confecit: modò Pontificium Herculem, Bellarminum, inspectabat, futuri Ducis officium faciens, ut hostilium consiliorum seriem internosceret, & quibus rebus confidat, iisdem sæpius everti posse videret. Cum primis verò Hunnium suum, vel in aureis lucrubationibus consulebat vel in publicis audiebat lectionibus, ubi viva docentis actio spiritum quasi atq; animam profitentium voci affundere, & auditorum commoda locupletare efficaciùs solet. Ne autem, dum hæc loquor, peregrinantes in auditoriis cogitetis animos, aut fastidiosa ingenia, quæ ita nonnullos, in affectata præpedimenta, distrahunt, ut, quæ in aures ire utiliter debebant, absque ullo studiorum commodo in auras dimittant,; sed sagacem aliquem Professorum veneratorem; sed constantem omnium observatorem, & in primis SAMSONIUM illum, qui, junctam alteri eruditionis administræ, auscultationem publicam, totannos adhibuit, dapesque cœli ambrosias, nobili cupiditate, percepit. Ut verò cibus alius non accedit corpori, neque illud vegetat, qui citra coctionem

nem mox egeritur: ita omnem perceptæ ambrosiæ fructum perire judicabat, quem in omnes animi sinûs solertissima meditatio non digereret. Quid enim est meditatio? magistra est doctrinæ solidæ: anima studiorum est: exercitatio ingenii est & confirmatio judicii, omnisq; in consulendo prudentiæ, in agendo dexteritatis, in dicendo promptitudinis officina, quæ ad singularem diversarum quoque rerum gloriam capacem talium indolem, hoc est SAMSONIANAM exornat. Nemini quidem Vestrûm non constat, hoc plerisque usu venire juvenibus, ut, licet benignior in illis naturæ felicitas, non tamen plùs, quàm in uno, ferè excellat. Quod si nonnunquam deprehendimus aliquos, in quibus variarum rerum notitia pariter & promptitudo eluceſcit, admirabile quippiam, & prope divinum inesse iis autumamus. Mirabatur Witteberga SAMSONIUM suum: mirabatur novum veritatis Vindicem. Videbat in Collegiis plurimis disputantem: magnus erat! videbat locupletes eorum fructûs, ex thesauro mentis, refundentem: magnus erat! videbat aliis raras virtutis & doctrinæ lampades præferentem: magnus erat! videbat deniq; ex suggestu Ecclesiam erudientem: magnus erat! & dignus, cui vicariam B. Doctoris Gesneri operam aliquot menses, in habendis concionibus, deferret: dignus, cui potestatem instituendi Theologica Collegia concederet. Quid igitur mirum fuit, si privato tandem studioso

major fuit, dum privatus fuit, magnarum que dignitatum capax habitus ab omnibus, prius quam ullam obtineret. Ibat in adultam ætatem annus seculi hujus octavus, cum prolixa Tibi gaudiorum surgeret materia, sive nutrix mea nominari, sive hospita mavis, RIGA nobilissima, cujus in laudes, majori dicendorum copiâ obrutus, vocem hanc non diffundo, quæ nec Rhetoricam dilatationem; sed masculam exempli Theologici diductionem spectat, nihilque tibi aliud, propter editum SAMSONIUM, quam gratulationem & vota destino, ut, qualem te & præsenti, & aliis hactenus argumentis præbuisti, semper esse, semper honoratæ mereatis clarissimorum virorum mater & educatrix! Ibat in adultam ætatem annus iste, cum, ex novennali publicarum utilitatum mercatu, rediret optimus negotiator, patriæ laudi, patriæ voluptati, patriæ vindiciis devotissimus, quam non solum patriam; sed altricem quoq; studiorum Academicorum habuerat, & jam fructûs liberalitatis sancto proposito referebat. Et poscebatur pridem votis omnium, qui ordinem desolatamque Inspectionis Scholasticæ dignitatem nitori suo, & emolumentis publicis vindicaret. Statim usitata Reipublicæ hujus, in dispiciendis salutis suæ instrumentis, prudentia officio isti admovit SAMSONIUM, qui, Augusto mense, ad illud ita accedebat, ut augustiorem sibi, in ipso accessu, palæstram, & patentiori fortunæ idoneam constitueret. Nec pollutum

pollutum iri existimabat scholastico pulvere famam suam, neque audiebat prona quædam ab eruditione in ambitionem, ab hac in vecordes fastûs hominum judicia: multo minus, ex supercilioſa illorum censura, vilioribus annumerabat curas scholasticas, quibus juniorum ingenia, ad fortunæ excelsioris, cultum excitantur. Fundamenta quippe omnium statuum sciebat Scholas esse, sæpius cogitans cum animo suo politæ gentilitatis principes, Athenienses, quibus, de conservanda Republica sua solicitis, illud non consuluit oraculum, quàm, ut, beneficio institutionis pædagogicæ, rem omnium pretiosissimam, liberorum suorum animis instillarent. Difficile est exprimere, quanta studiorum in schola strenuitas, Inspectionis Samsonianæ auspiciis, enituerit. Gratulabantur sibi reliqui docentes de magni nominis capite, quod amplum scholæ corpus vivido vegetoq; spiritu animaret: debitam omnium autoritatem, adversus scholastici nominis hostes, assereret, nec referret validiorum astrorum indolem, quorum exortus minora reliqua obscurat. Major quidem illis erat SAMSONIUS; sed sine ullius deminutione major: eandem autoritatem præsente illo quisque, quam absente, retinebat. Quin omnibus etiam ex illo reverentia accedebat, quod ipse, à Senatûs liberalitate lautiora salaria impetrans, eosdem studio paterno honorabat. Itaque perinde docentibus atque discentibus carus, sic Inspe-

ctorem Collegamq; miscebat, ut studium omnium laboremq; &, tanquam exactor, intenderet, &, tanquam particeps sociusq; relevaret. Omnia ad orthodoxæ Veritatis vindicias dirigens, ut, ex ejusdem Dominæ suæ præscripto, juventutem à lue Jesuitica defenderet, & non in vera minus Religione, quàm solida & sana Eruditione, ad Patriæ usum, informaret. Hæc enim duo, veluti Helenæ sidera, in educationis cursu meritò ponuntur Doctoribus, ut fundamentum boni publici, Religio, verus nempe, & ad scripturæ normam exactus Dei cultus, cereis imprimatur mentibus, cum genuinis scientiarum virtutumq; dogmatibus, quæ Monasteriorum indigetes plurimi planè nesciunt, &, licet omnes doctrinarum divitias, velut in custodia, habere putentur, neq; bene tamen, neq; tutò nos docere Eruditionem possunt. Quod attendentes sapientissimi Regni Gallici Proceres, juxta causas alias, non immeritò Jesuitas appellârunt corruptores, juventutis publicos, ut, qui hos sibi duces, ad imitandum, proposuerit, vix ac ne vix quidem possit, commissa fidei suæ pignora, in cordatam eruditionis habitudinem commasculare. Nobis argumentum optimi esto, quod SAMSONIUS noster sequabatur, cujus in docendo dexteritas, & voce, & stylo hinc inde celebrata, viis instirit felicioribus, ut, post singularem ingeniorum delectum, in quotidiano pietatis studio, juventutem bonis artibus instrueret, ut exube-

exuberantem illius procacitatem coërceret; neque tamen Orbiliano; sed patrio more, disciplinam publicam tueretur. Utrumq; enim in vitio videbat esse, & nimiam indulgentiam, & flagellorum sævitiam: quandoquidem, ut ille ait, quæ inter ægerrimæ custodiæ vincula, suppliciorum metu, colimus, tristi plerunque fastidio solemus aversari; & concepta à puero odia, nescio quâ horroris consuetudine, ad senium quoque deducuntur. In erectis præsertim ingeniis, quorum magna tum temporis copia, major alacritas ad Scholam, ad domum, ad institutionem SAMSONII nostri properabat. Dum hoc dico, Auditores, dum fæcundam inspectionis Samsonianæ felicitatem & felicem fæcunditatem prædico, oculos animumque circumfero ad omnes propemodum Livoniæ statûs, & summates infimatesque interrogo: Annon utiliter SAMSONIO præceptore usi fuerint? Quod ad Ecclesias cœlestem sapientiam, quod Senatorium ad curias prudentiam, quod ad privatos lares circumspectam honestatem, quod ad communem officiorum salutem singuli suam portionem afferant; annon exuberrimo Samsonianæ institutionis fonte, per mutuæ industriæ canales, derivârint? Sequere hos prædecessores & patres tuos, spes patriæ, Juventus optima, &, fideles quoque præceptorum monitiones observans, tempora ætatis tuæ laudabilibus rebus, studia vitæ, labores virtutibus impende. Hæc enim nisi à singulis

gulis etiam attendãtur atq; etiam, universorum salus est in lubrico, cui haut dubiè subtrahitur, quicquid fructuosæ sapientiæ, quicquid melioris vitæ studio suffuramur. Iisdem enim gradibus incolumitas publica, & efformatio juventutis ambulat : eodem illa transitu, iisdem mutantur conversionibus, quas in Republica, Romana in primis & Persica, (ne de Germanica dicam,) ex infelici utrusque dissidio natas esse, soli possunt ambigere, qui in profunda rerum alibi gestarum ignoratione versantur. Plurimum aliâs illo tempore, Jesuitarum importunitati, debebat Livonia, plurimum debebat Ecclesia, cum, ad exscindendam hîc juventutis salutem, civitatis pietatem, fidem, constantiam occupatissimi, eadem omnia mirũ quantum excitârent. Quis credat, tàm utiles Rigensibus Jesuitas fuisse ? Frequenter equidem mirari licet, quòd praviſſima quæque, contra ingenium suum, toties exerrent in melius, ut pessimæ rei usus sæpe luculentior, quàm abusus melioris, appareat. Nisi tantis hîc molitionibus veritatis solium oppugnâssent sive hospites Livonorum, sive hostes, Jesuitæ, nunquam certè tot illustribus exsplenduisset documentis lumen patriæ, SAMSONIUS : nunquam tantus utilitatum proventus ex eo, in scholam hanc & universam Ecclesiam Dei, promanâsset. Habent nimirum dona supernè concessa, innuente Apostolo, instar ignis aliquod, qui, ab injuriarum tactu probè munitus, inerti prunâ, per alimenta sua, serpit, & mox sua sponte moritur ; irritatus autem ventis undiq; vexantibus, quanta virtute consurgit ! quam fortiter totis flammis emicat ! Pari profectò ratione SAMSONIUS noster, cujus prima ad cives suos concio, quid, nisi classicum erat & signum illius pugnæ, quam, ad vindicandam ab hostibus cœlestem orthodoxiæ gloriam, Vindex instaurabat ? Quod simul ac Collegium Jesuitarum ad muros Jacobeos audivit, mirari primùm materiæ insolentiam : fluctuare omnes : in cænaculo, in area concurrere pavidi : alius alium scitari : unde nobis illud nomen SANSONII ? quæ furiæ hominem agitant ? Lutheranam sectam ex ipsis mundi cunabulis eruit : catholicam propudiosæ novitatis accusat. Occupandus erit hæreticus iste, ne intervertat propositi nostri commoda : vi, fraude, dolo occupandus erit. Neque mora ! Vilnensibus statim & Brunsbergensibus suis sacrum hoc voti mysterium, nescio, an sub confessionis fide, aperiunt, &, ad construendam aciem, ad armandas succenturiantes copias, eosdem stimulant. Exstimulat quoque Deus animosum SAMSONII sui genium, &, ut oportunius decurrendi spatium pateat, ad intimiorem operum suorum officinam deducit, ubi, insanctum Ministerii ordinem promptissimè receptus, seriò vindices, cum Deo suo, labores pertexat. Nihil ex illo tempore in Ecclesia, nihil in schola, citra consilium ejus atq;

opem,

opem, suscipi: quicquid tractatu arduum, actu impeditum, industriæ illius committi : quicquid consiliorum & domi, & foris submini-strandum, Samsonianam dexteritatem vide-batur postulare. In ipso controversiarum fervore stabat Vindex noster, quas Calenda-rium Gregorianum, ut vocant, non huic mo-dò Civitati ; sed jacentibus etiam in circuitu locis, cum gravissimo periculorum turbine, suscitabat. In quibus tamen omnibus quan-ta Christianæ conscientiæ, quanta Theologi-cæ prudentiæ specimina ediderit, nulla tam incuriosa rerum gestarum ætas reticebit. Quin ipsi quoque Papistarum primipilares, ex his nubibus plerasque procellarum in se fervere, ex hoc consiliorum secreto tanta in se arma ex-pediri, ab HERMANNO SAMSONIO tot societatis suæ consilia suffocari, senties-bant, eadem secum tacito volventes animo, quæ de astutissimo principum, Philippo Ma-cedone, Athenarum libertati modis omnibus insidiante, referuntur. Dum enim ista civitas ambitiosæ Philippi dominationi potissimùm obsisteret; frustra tamen tot & tanta callidita-tis sacra moverentur, mœrebat toties ante vi-ctrix vafrities, suetusque successibus animus priorem fortunam, misto indignationi pudo-re, circumspectabat. Neque latuit eum fa-talis versutiarum mora, Demosthenes, neque tam populum Atheniensem esse, quam Ora-torem illum unicum, cujus in Regem consilia tam

tam anceps atque difficile bellum facerent. Et hoc sæpius Macedo, inter amicos, de A-thenienси : Jesuitæ procul dubio inter sese de Rigensi Demosthene, conquesti sunt, Cu-jus susceptam ab illis oppugnationem, ut splendidissimo huic auic auditorio planiùs ex-plicem, cum comparatione loquendum mihi est: vester labor erit, si placet, ut de auditori-bus spectatores reddamini. Ædificate Vo-bis arcem, omni munitionum genere instru-ctissimam : metamini circum eandem castra obsidentium validissima : implete hæc viris ad impetendum alacribus, laboriosis, audacibus: adjicite subsidiantes eminus cominus socios : ingeniosos præsertim cunicularios, modò hîc meatûs, modò illic, sub terra, fodientes, ad-jungite : omnia hæc SAMSONIUS erunt & Jesuitarum obsessio, quam non apertò tan-tùm marte; sed per cœcos in primis cuniculos crebriùs suscipiebant. Primus oppugnatio-nis impetus erat, de vocatione Lutheri & Mi-nistrorum Lutheranorum, quem non feliciter solùm, ex propugnaculo veritatis, repellebat Vindex noster; sed, collectis quoque ex verbo Dei præsidiis, missificantium castra valdè tur-babat. Mirum erat, quod larvatus quidam bar-bitonsor, & re, & nomine Kahlius, amentatas aliquot conviciorum & mendaciorum hastulas victori objicere auderet, qui, divinis instructus machinis, & cœlorum majestate in terra fultus, intacto

intacto latere, nulloq; negotio talia declinabat. Verùm, ex alia castrorum parte, novum surgebat agmen incurrentium, duo Jesuitarum hic præcipui, Pater Rector Collegii Jesuitici, D. Philippus & Pater Fabianus, ex arce Religionis Lutheranæ Nobilem quendam rapturi; sed priusquam vel signa sua inciperent educere, circumventam undique aciem suam videbant primis SAMSONII copiis, &, post quinq; horarum certamen, ne fugæ species esset, iteratò suis revocabantur. Ad quos cum perturbati redirent, feroces omnino mali insaniâ, & mortis necessitatis ingenio, ultimis consiliis animum aperiunt. Inclinatas cohortes suas, nisi aliis erigerentur mediis, sisti non posse. Neque pauci erant extribulibus, qui apertam vim post hac penitùs dissuaderent: ad cuniculos, ad bellica furta eundum esse: multa & magna per hæc in obsidionibus fici. Ecce latissimè fulgentia ipsius tentoria! quot vexilla nobis eripuit, in velitationibus plurimis? Quid Butendakius noster cum sociis? quid Klantius? quid Schwarzius nuperrimè? tropæa ipsius auxerunt: triumfos amplificârunt. Crescit quotidie hominis autoritas: vires assumit fama, qua bella sæpius constant: infelicibus omnes sunt inimici. Et jam dudum experitur nostra Societas, quod, hoc Duce Lutherano, neq; frontem, neq; terga aciei suæ, multo minus latera aut cornua, spe potiundæ Civitatis hujus, firmare possit. Ubique in statione est, ubique in

insidiis, sive scholam respicias, sive Ecclesiam! Neque transfugam nanciscì possumus, cujus beneficio insidiæ nostræ expediantur. Blanditiis igitur & nobilibus benevolentiæ contestationibus denuo adoriuntur SAMSONIUM, ejusmodi nimirum armis, quibus neq; gladii interdum pares sunt, neq; muri, sæpiusque delinitur animosa virtus, quàm frangitur. Sed petra veritatis fundamentum erat arcis hujus: omnes facilè spernebat arrugias, omnes fossores, qui & toties, & frustra, & cum indignatione adhibebantur. Ira demum in furorem exarsit: ut Warsoviæ, in Regio Senatu gravitet accusetur SAMSONIUS, urgent. Accusatur à Czyslakio: traducitur tota hæc Civitas: publicatur decretum Regium, cujus imperio Vindex noster ad Rigense forum, admissis in actione illa Commissariis Regiis, vocatur. Cum verò nec cognosci causam accusationis, nec audire excusantem; sed tumultuaria statim pœnâ, sine figura, sine forma judicii, quasi diu condemnatum obrui SANSONIUM auctores vellent, nihil à malitiosis Patribus effectum est. Quanta posthæc, in Polonia, istius rei criminatio? cui cum causa Religionis publica implicaretur, SAMSONIUS omnem asserendi sui curam vigilantissimis Patriæ suæ patribus committit. Ipse tot convitiis, tot machinis, tot insidiis obsitus generoso animo aut agebat scribenda, aut peracta in officiis scribebat, ne posteritatis notitiam fugiant, quæ, veluti pru-

dens in vindiciis sacris Imperator, & pacatiùs in templo gesserit, & contra hostes strenuis pugnis perpetrârit. Inter hæc efferebatur per Livoniam, per Curoniam, per Poloniam, per Daniam, per Sueciam, per Germaniam magnum nomen hujus Vindicis : volabat fama felicissimorum triumforum, omnesque tantarum dotium æstimatores in favorem, in amorem, in SAMSONII cultum trahebat. Honoratissimis etiam Rostochiensium, Dantiscanorum, Hamburgensium solicitationibus evocabatur, ut non tam Rigæ, conditione generis ; quàm in aliis terrarum finibus, caritate meritorum, natus videretur. Nihil tamen fortius amore patriæ, nihil erat constantius, non ut honores tantarum Civitatum à se cum fastidio ; sed ut ab illis seipsum removeret, certissimo patriæ fidei argumento, quam ut immotam atque invictam præstaret omnibus, materna prorsus Reipublicæ hujus, pro Pastore suo, solicitudo, & tot ex eadem in Poloniam expeditiones faciebant. Fruere laudibus illis tuis, RIGA fortissima ! quî enim possum te non rursus alloqui ? te non rursus venerari ? te non rursum solennibus celebrare præconiis ? & quidem propter tot generositatis nomina, quæ ad vindicandum, ab internecione Vindicem tuum, mirantibus etiam hostibus, usurpabas. Fruere meritis illis tuis, interpres generositatis istius efficacissime, nostris quidem usibus ; non tamen publicæ veneration subducte,

ducte, JOHANNES ULRICE, immortalitatis hospes glotiosissime, qui illud ostuum, Tullianæ Suadæ domicilium, illud pectus Tuum, tot virtutum sacrarium, in præsenti causa, multis quoque periculis objecisti ! Æstimet hoc universa Christianitas, & audiat, RIGAM, Livoniæ Metropolim, pro Pastore suo, coram Serenissimo Polonorum Rege, contra insidiosissimos & potentissimos adversarios, tempore periculosissimo in causa fidei difficillima, stetisse, & ita stetisse, ut, se sanguinem potiùs suum plenis rivis effusuram, quàm Religionis orthodoxæ Vindicem, cum ea, deserturam indicaret. Et jam in acie novaculæ constituta erat actio : jam diplomatum Regiorum fulmina severissima minabantur Jesuitæ : jam pluribus intricare difficultatibus Civitatem satagebant, quarum quidem inventionem Deus illius permiserat ; eventum tamen singulari providentiæ suæ directioni servabat. Quotidiana pæne divinitatis hæc sunt opera, ut malorum consiliorum meditationes, ipso jam successu securas, præcox anticipet impetus, ne vel unquam improbis timor, vel spes absit calamitosæ virtuti. GUSTAVUS ADOLPHUS, Suecorum Rex, omni titulorum pompâ superior, destinatione cumprimis cœlesti, ad debellandum Livoniam contendens, principem hanc illius Civitatem terrâ mariqúe invadit, obsidet,

capit, interq; præstandi à devictis homagii ornamenta, primò omnium expetit concionem SAMSONIS nostri, quem alter Suecicarum rerum Atlas, Perillustris Regni Cancellarius, ceu suum olim in circo Wittebergensi commilitonem; nunc primarium Religionis Vindicem, dudum commendarat. Protinus Rex noster, inter Regias clementiæ suæ delicias, numerare cœpit SAMSONIUM, ad ornatum Regni sui facere existimans, si, inter primaria officiorum decoramenta, tanti quoq; viri nomen reluceret. Quem igitur validissimum, tot annos, orthodoxiæ Vindicem septentrio coluerat: quem cœlestis quidam ingenii genius, ad propagandam veritatem, præpararat: quem progressa fatalibus incrementis industria ad summa honorum culmina excitaverat, cum totius Livoniæ Cis-Dunensis Superintendentem Majestas religiosissima constituit. Utrum splendidam per se dignitatem hanc, laudatissimo administrationis splendore, adhuc magis illustraverit, supervacuum censemus, hîc decernere, cujus viginti & unum annos edita, & in cœlestes fastos referenda specimina, testem habent universam Livoniam: miratricem habebunt omnem posteritatem. Hæc enim aut omnia ignorabit, aut hoc nequaquam: vixisse in hac patria sua virum eximium, qui, post superatores spiritualium vindiciarum labores, omnes Papisticæ noctis tenebras ex Livonia dispulerit: divinam veritatis lucem reduxerit: per

per medias hostium fauces profectus, Ecclesias plantarit: plus septuaginta pastoribus sua voce vocaverit, suâ manu ordinaverit: sacros reditûs promoverit: synodales congressus solenniter instituerit: consultationes Synedrij Legij adjuverit: disciplinæ Ecclesiasticæ modum sanciverit: juventutis Livonicæ institutionem restaurârit; paternam omnium curam habuerit: omnium traxerit animos: transegerit negotio: omnium distrinctuum venerationem, singularem serenissimæ Coronæ Suecicæ gratiam, nobilissimum prædium, Nobilitatis insignia, omnium denique intelligentium admirationem, primus in Livonia Superintendens, meruerit. Labascо hîc, Auditores, sub immenso dicendorum onere, quibus profectò tantopere circumfundor, ut, dum sese cumulatim offerunt plurima, nihil aliud, quàm præpediant. Quin summa potiùs rerum capita vobis æstimanda relinquam, cum de consentanea styli gravitate dudum desperaverim. Quicquid inter Episcopalia officia illustre, quicquid inter Ecclesiastica negotia arduum, quicquid inter consulta Theologica sublime, quicquid inter ornamenta civilis vitæ conspicuum, omne illud cogitationibus vestris colligite, componite, pensate, &, annon collecta, composita, pensata singula SAMSONIUM Vestrum magnificent, seriò statuite. Licet enim haud verear, ne nimia exstent in Vindice nostro, quæ gaudemus omnes plurima esse: necessariæ tamen favoris Ve-

ſtri fiduciæ dabimus, ut, in tanta ſilveſcentium materiarum congerie, plura vobis cogitanda notemus, quorum exacta prudentia ſibi explicabit fœcundiſſimè, quæ Oratoris tenuitas non aſſequitur. Optimi Eccleſiæ primitivæ Patres, argutâ brevitate Origenis ſui gloriam complecti volentes, Adamantium illum Theologum appellârunt. SAMSONIUM, noſtrum, in catenatis officiorum laboribus, eundem & mereri, & tueri titulum potuiſſe, nemo dubitat, niſi qui non tam memorata hactenus, quam ſignata, ſupinè ignorat. Teſtor Vos, Templa Civitatis hujus regiæ ampliſſima, in quibus totos triginta quinque & amplius annos, magnâ vocis, majori mentis, maximâ virium omnium contentione, laboravit! Teſtor Vos omnes, qui tot exantlatorum laborum fructûs, tot luſtra, percepiſtis! Quis elaboratiſſimam Cœlitis noſtri in ſuggeſtu Eloquentiam non deſiderat? Eloquentiam dico, de qua, citra Eloquentiæ ornatum, nefas eſt aliquid hiſcere; quid dicam proloqui? præſertim ad illos, qui, comparatione ſuaviſſimæ quondam auditionis ſuæ, jejunitatem noſtræ deſcriptionis facilè poſſent vituperare. Unum tamen hoc, Vobis ſuffragantibus, non poſſum non dicere: uno eodemque tempore, & mentibus auditorum ſapientiæ ubertatem, & obtutibus erectam vultûs dignitatem, cum adgubernata membrorum omnium diſpenſatione, undiq; SAMSONIUM & undique

que inſinuaſſe. Jactant ſuum quendam Pontificij in Galliis Ambonitribam, quem aurea catena ex lingua pendente pinxerunt, quod videlicet, ſuavitate eloquij, auditores ſuos, quò vellet, quaſi vinctos traxerit; noſtros verò in univerſum concionatores exagitant, & ſimpliciſſimos ſimplicitate non columbina, ſed pecorina, ſatisque loquacitatis, nihil ſolidæ doctrinæ afferentes, pipulo paſſim differunt. At ſi quis Patriæ ſuæ concionatorem & Vindicem SAMSONIUM, ſi quis illud tantum eloquentis ſapientiæ exemplar, cum memoria ſua, renovat, quanta cum indignatione Valentiana illa convicia percipit? quantò rectius Ambonitribæ illius Gallici picturam competere SAMSONIO intelligit? Planè dixiſſes, & meritiſſimo noſtri Vindicis dixiſſes pectus, conclave cœleſtis prudentiæ: os diſertiſſimum, ſedem facundiæ: ſublimem vultum, hoſpitium gravitatis: totum corpus ab omnibus Gratiis, ab omnibus venuſtatibus inhabitari. Ne dicam de ſaluberrima docendi controverſias promtitudine, cujus, in juventutem propagandæ, occaſionem ſuggerebat Reipublicæ hujus munificentia, in Dei & literarum honorem Collegium hoc ſuum, ante tredecim ferè annos, excitans, ut benigniſſimis majorum votis ſatisfaceret, quos nihil in præſagio ardentius, nihil divinius in optatis habuiſſe veriſimile eſt, cum naſcentes in hac Urbe Muſas piis manibus ſuſciperent, quàm, quod ſucceſſo-

reseorum, hereditariâ curâ, præstiterunt. Huic illustrando ut applicaret animum suum SAMSONIUS, ut novam vindicandæ Religionis spartam susciperet, difficulter profectò, ab increscentibus officiorum laboribus, impetrabat. Impetrabat tamen, in suscepta postmodum Professione ita versatus, ut non nisi mœrorem incredibilem, amissi boni recordatio, omnibus ingeneret. Temperare mihi non possum, quin dubij timoris horrore concutiar, dum, in hujus rei consideratione hærens, singularis exempli Professorem cogito. Talem scilicet, qui, citra ostentationis inania usitatissima, inusitatam ubique solertiam adhibeat: talem, qui, nulla invidiæ prurigine tactus, patria fidelitate omnia communicet: talem, qui sine ullius laboris declinatione, à carceribus usque Theologiæ, per omnium articulorum curriculum, ad metam usque auditores suos plus semel duxerit: talem denique, qui, insuper habita vergentis ætatis lassitudine, omnes controversias publicè disputando discusserit. Talem enim fuisse SAMSONIUM nostrum; sed, heu fuisse! cogito, caput & Seniorem Collegij nostri; augustalis Theologici Patulcium, ut ita loquar: Patronum omnium bonæ mentis candidatorum, & illorum præcipuè, quos, ex Germaniæ miseriis, furor Martius huc ejecerat: Promotorem spei patriæ, si quisquam, & Doctorem orbis optimum. Et hic attentas in hoc, ante menses aliquot, volvebat meditationes

suas: quomodo devotam sacro studio juventutem, ad exactam Theologiæ cognitionem, velociùs duceret. Comprehendebat animo suo magnum Fidei ambitum: penitissimè intuebatur catenam Articulorum indissolubilem &, ex recentioribus nostris, GERHARDUM sæpe commendabat, qui prolixis Theologicorum Locorum, & Confessionis Catholicæ Tomis Orthodoxiam repræsentasset. Hoc igitur cum suo disponebat animo consilium, ex utroque magno Magni Gerhardi opere Aphoristicam ducere Epitomen, ut, contractis fusioribus paragraphis, coloribusque & lineamentis majorem partem castigatis, nervos & toros veritatis minori tabella & mole proponeret. Cumque, in paterna instituti hujus communicatione Chamierum contractum ostenderem, quem, ex quatuor Panstratiæ Catholicæ Tomis, Professor quidam Genevensis, nuper edidit, non parum eò delectatus, se concisius adhuc opus, ex Gerhardo colligendum, auspicatum esse affirmabat. Et auspicatus jam tum erat in hoc Collegio; sed auspicatus tantùm, egregium profectò imitationis laborem successoribus relinquens, quorum industria dignum hoc institutum est, ut, fiduciæ exspectationis atque voti publici satisfacientes, strenua illud sagacitate pertexant. Invenient tam in hoc, quàm in omnibus officiis aliis SAMSONII sui vestigia, & facilè quidem intelligent; faciliùs æstimabunt: difficillimè tamen æmulabuntur,

nisi tantis naturæ, diligentiæ, exercitationis, Bibliothecæ subsidiis, quantis in Livonia SAMSONIUS noster, instructissimi. Habebunt ab ipso mœstissimi, per magnum hunc Ducatum, Ecclesiastæ postumum rationarium, non imperij alicujus, quod Augustus Imperator successori reliquit; sed Ecclesiæ, latini Pontificia, vulgus Agenda Ecclesiastica nominant, quod, ad vindicandam posthac quoque ab impietate & improbitate regionem hanc, Vindex Religionis benemerentissimus, in devota ad Deum gratiarum actione, quam audivimus, brevi ante morbum suum tempore, absolvebat. Liquescit hîc animus meus, Auditores, refugo pavore deficit locutio, postquam, ex tam jucunda pulcerrimaque rerum contemplatione, morbi funestissimi memoriam occasio mihi reducit. Ignosce, precor, mihi vidua honoratissima, HELENA HARTMANNIANA, quod matrimoniale Tuum cum SAMSONIO nostro contubernium, prosperitatis atq; fidei connubialis speculum, hîc non effero! Ignoscite Vos nobilissima SAMSONII pignora! Vos inprimis duo paternarum virtutum heredes æmuli, HERMANNE & BRUNO, quod ramam Beati parentis Vestri gloriam, ex utriusq; genio reluceſcentem, nullus hîc prædico, qui nunc, in Argentoratensi & Wittebergensi Academiis, solida Juris & Theologiæ secreta penetrantes, in amore, in admiratione meliorum versamini! Ignoscite, quotquot adestis, Samsonianarum

sonianarum virtutum cultores, quod ex tanto illarum numero nullam hîc attingo, quibus, ad posteritatem propagandis, implere sermones Livoni gestient, quoties de Ecclesiæ salute, quoties de vindiciis Religionis, quoties de Theologo ad amussim facto loquentur. Cum enim per potissima tântùm Vindiciarum Theologicarum adminicula atq; experimenta cucurrerim, quid nunc in alium me campum conferam miser, cujus animus profectò liquescit, cujus locutio refugo pavore deficit, postquam, ex tam jucunda pulcerrimaq; rerum contemplatione, funestissimi morbi memoriam occasio mihi reduxit. Prodebat ille violentiam suam, cum obscura diu lassitudine grassantem, septimanis abhinc pluribus, post Concionem penultimam, de termino vitæ, quam ad historiam Hiskiæ sui divinus vir, in Cathedrali templo, habebat. Et cessisset utiq; Medicorum nostrorum dexteritati, si quicquam humanis artibus reliquisset ultimi fati vicinitas. Sed scirrhus erat cum hypropesocio, h.e. morbus supra virtutē pharmacorum nequissimus, qui nostrum infestabat SAMSONEM, quasi alio morbi genere superari nequiverit vir Fortissimus, quam qui clanculum congestas in ipsum vires, cum victoria demum, effunderet. Effuditq; die XVI. Decembris, anni præteriti, cujus initium totam docebat Familiam, illum, illum tandem fore, quem infamibus condemnasset notis gentilitas; nos autem novæ gloriæ, novæ initium felicitatis

licitatis videbamus, quam SAMSONIUS noster, elatis semper ad Christum suum manibus, præstolabatur. Dixisses, gaudia, cœli delibare virum æternitati viti viciniſſimum, ita exuberabat pectus Biblicis solatiis, ita exuberabat, ut Spiritum Sanctum, in ipso occupatum nemo non cognosceret. Adstabam ego inter gemitûs, ab horis usque matutinis, Præceptori carissimo, ut & bene moriendi exemplum in illo discerem, à quo, tot jam annos, bene vivendi acceperam: omnes nutûs observabam, cum ipse, graviorem pectoris pulsum fortè sentiens, elatis oculis latinè Deum alloqueretur: Etiamsi hoc celes in corde Tuo, Deus, inquiens, tamen scio quod memineris mei. Ibi ego mecum: O felicem animam, quæ nondum ex hominibus recessisti, & jam loqueris cum Deo tuo! nondum, post sexaginta quinque ferè annos, corpus tuum deposuisti, & jam illud relinquis! nondum mortalia hæc fugisti, & jam immortalitatem inchoas! Cumque data occasione apobaterion illud Theologi Uratislaviensis afferrem: Ibunt justi in vitam æternam! extemplò gravi voce SAMSONIUS: & ego ibo, acclamabat, & ego ibo! Utinam, adjiciebam, Elisæus hodiè quispiam esset, qui Livonici Eliæ spiritum, si non duplicem, simplicem tantùm retineret! Providebit Deus, respondit his verbis, Ecclesiæ suæ, quam pro concessa divinitus virili hactenus vindicavi, ad cujus tribunal, quicquid tot annos Livoniam, quicquid patriam meam, quicquid vos in Gymnasio docui, deferam, ubi rursus aliquando conveniemus. Hæc ultima SAMSONII mei ad me verba fuerunt, quorum recitationem quod lacrumis meis, præter decorum, misceo, magnitudini dolorum adscribetis, qui, cum exerrare sæpius nos linea concinnitatis faciant, benevolentiæ vestræ excusationem mihi impetrabunt. Sub vesperam demum, postquam omnibus & singulis suis ultimum vale dixisset: postquam toti Livoniæ, præsertim patriæ suæ, omnigenæ faustitatis vota sacrasset, stitit vocem, ne, cum Deo agens, humana loqueretur ampliùs: clausit oculos, ut in cœlestium meditatione nihil mundanum videret, beatissimumque spiritum, nullo doloris indicio expressum, hora VI. Deo suo restituit. I nunc, Religio sacratissima! mœstissimam ornamentis tuis pulliginem indue! abiit, abiit ex castris tuis Vindex optimus! abiit orthodoxi exercitûs ductor animosissimus! quem, in illustri Albimontana, tot vindiciarum adminiculis instructum, per omnes honorum Ecclesiasticorum gradûs, in fastigium eduxeras, abiit! I nunc atrata Livonia! I nunc patria tristissima! abiit, abiit SAMSONIUS tuus, qui tot salubres doctrinæ & sapientiæ fontes aperuit, vivosque illius in te latices effudit! Non audietis amplius, Patres in quocunque statu patriæ, è suggestu SAMSONIUM vestrum, vel luxuriantia mundi vitia reprehendentem, vel corda contrita delinientem:

tem? abiit! conticuit divinorum oraculorum interpres lingua: jacet exanime tot bonorum, sanctuarium, &, quia Vobis nec judicium, nec affectus in salutem publicam deest, quantum ejusmodi jactura doloris aut remedii postulet, minimè omnium estis admonendi. Non audietis posthæc, Juvenes carissimi, præceptorem vestrum ex hoc loco vos informantem: abiit! non compellabitis promotorem vestrum, necessaria vitæ studiorumque subsidia vobis procurantem: abiit! in DEUM nunc, in alios calamitatis vestræ & conditionis æstimatores cura hæc rejicienda erit. Tu verò, HERMANNE SAMSONI Pater, salve! Salve Vindex veritatis fortissime! salve aureum patriæ Tuæ pignus! salve victor hostilium odiorum! salve melioris gloriæ indiges! salve, & æternùm salve recentissimum cœli astrum, in quo, cum præceptoribus tuis, effulgescis in infinita secula! Nulla nobis, quàm tui, frequentior erit recordatio: perpetuam illam tibi promittimus, donec ex hoc miseriarum æstuario vocatos rursus videas, rursus, inter sanctissimos patres nostros, agnoscas, &, in occursum omnium tuorum auditorum veniens, nos singulos brachiis tuis amicissimis complectaris: cum singulis inter æterna angelorum tripudia, inter jucundissima cœlorum jubila læteris atque exsultes.

O suavissimam hilaritatis illius cogitationem!

INVI-

INVITATIO

Ad novam Panegyrim.

HOc ego unum illud esse crediderim, quod, supra munitionum robora, supra operum magnorum decoramenta, civitates solidat, si, elegantiori suorum virtute, ab ipsius quodammodo fragilitatis metu asserantur. Cum enim, quicquid saxa struunt atq; marmora, vetustas olim exedat, intemperies casuum absumat; præclaræ indolis gloria, bene-gestorum tradux atq; suboles, cum omni temporum profunditate, subsistit. Ex hac perennitatem Reipublicæ spe licet præsumere: ex hac æstimare loci genium, qui tantis se indiciis nonnunquam prodit, & præcipuum tuendæ publicæ salutis arcanum insinuat: magnas mentes imitari. Nam, ut forma talium æterna est: ita, quicquid unquam honoravimus in illis, aut mirati sumus, manet: manet in memoria hominum, in judiciis meliorum, posteritatis in fama, ut publicarum utilitatum Bono prodesse possint cives etiam mortui, modò facta illorum ac virtutes studiose percolantur, & figura potiùs divini animi, quàm exuti corporis, animo nostro circumgesterur. Parum enim juvat, conductitium recordari gurgustium, quò vel citiùs, vel tardiùs est, emigrandum de voluntate DOMINI, qui nobis illud, per parentes nostros, elocavit. Animus Rex omnium est & Imperator, solus virtutum hospes, hospes immortalitatis, qui, corporeis solutus vinculis, ad originem

ginem suam redit, ut in aliis tamen, mundo adhuc superstitibus, assimilatione quadam appareat. Refert homo, si Poëtæ credimus cujusdam instar speculi, quod, ut oppositum sibi speculum aliud statim suscipit, &, qualibuscunque insignitum figuris, efformat : ita ipse, improborum sibi specula proponens, non potest non easdem malitiæ species assumere : sin ad meliorum sese convertat imagines, cum adjunctis doctrinarum virtutumq; ornamentis, simile quid exhibebit. Non est nobis commodum, Pythagoræ dogmatis sacra hîc excutere ; si tamen animorum in alios transitum, mirandam illam μετεμψύχωσιν, de transitu morali intelligunt, nihil concinnius ad veritatem, nihil aptius ad rem præsentem dici posse arbitramur. Alter enim & idem quispiam esse incipit, qui sese ad præstantia magnorum exemplaria diffingit, & idoneæ expressionis beneficio, sui ipsius transformator, quod alius antea fuit, ipse vicissim evadit. Tanta nimirum imitationis efficacia est, quam non oculis modò atq; auribus ; sed in primis mentium magnarum æmulatione instituendam, ducimus, quæ, relinquentes in aliorum memoria sui nominis effigiem, sequentium bonorum autores fiunt, &, inter alia, hoc quoq; nobis approbant, tradita magistrorum de Virtute præcepta superari ab hominibus posse: Hinc, inter præcipuas erigendarum statuarum causas, primò numerabant veteres, ut incentiva essent omnibus, ad ejusdem gloriæ cupidinem, & reparationem similis animi, in adolescentum studiis, concitarent. Ex quorum ordine Themistocles, cum observaret generosi Miltiadis tropæum,

tropæum, monimentum victoriæ Marathoniæ, laudabili æstimatione virtutis hoc expendens præmium, sepositis usitatis remissionibus, in illius cultum ita ferebatur, ut verè alterum eundem Themistoclem cives respicerent, & quandam in adolescente suo Miltiadis similitudinem deamarent. Neq; alio fine Romanæ fâcundiæ princeps, relicta hominum priscorum ad imitandum, simulacra intuitus est, quàm ut præclaram mentis suæ habitudinem, hac ipsâ talium cogitatione, roboraret, & cum Eloquentiæ viribus, Demosthenis ; cum copia, Platonis ; cum jucunditate, Isocratis animum quasi indueret. Gravissimè, ut solet, ad mentem nostram nobilitatæ veritatis Historicus : Sæpe, inquit, audivi, Quintum Maximum, Publium Scipionem, præterea Civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere : cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neq; figuram tantam vim in sese habere ; sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neq; priùs sedari, quàm virtus eorum famam atq; gloriam adæquaverit, Ignis nempe materiam suam facilè corripit ; correptam alio sibi simili succendit ; succensam alter & idem penitùs inflammat, immutat ; simul atq; verò spiramenta vexantium follium adjunxeris, majori statim virtute surgit : subitâ pernicitate triumfat ! Applica, quisquis potes, excitatis majorum statuis vitam vocis tuæ : junge fructuosa commonitionum incitamenta, folles nitiq; applicabis & flabra, quorum auxilio gloriosæ cupidinis flamma regnare validiùs, ampliùs emer-

gere, promtiùs alterare valeat. Hoc consilio Græcorum populi, & inter illos politissimi Athenienses, frequentiores ornabant Panegyres, in quibus universorum animi vel præceptionibus sapientum, vel illustrium æmulatione componerentur, h.e. in quib. Eloquentium orationes, magnorum virorum eminentiam proponerent, & ad consimilium virtutum cultum adolescentes animos hortarentur. Neq; quicquam fortè utilius saluti fuit publicæ, quæ laudabili hoc & facili instituto in suæ felicitatis quondam subsidia (juventutem intelligo,) majorum suorum dona transtulit, eorundemq; spiritu ad Patriæ cultum, ad magna facinora, ad decorem omnium singulos animavit. Scilicet hæc tria sese mutuis devinciunt amplexibus, & prout publica negotiorum dijudicatio, juxta conditionem consiliorum, instituitur; prout consiliorum forma ingeniorum indolem aperit: prout hæc ipsa natalis genii moribus imbuitur, & imbuta exemplis publicè privatimq; positis formatur: ita pretium suum auferunt à prudentioribus, qui ob id exercitia Panegyrica, ex emporio Musarum principe ad nos delata, omnibus aliis longè anteponunt. Et illis prima quondam Auditoria, sub Augusto, Asinius Pollio: illis Athenæa & Minervia Romani: illis Scholas Palatinas Itali: illis semper Collegia consecrarunt Respublicæ, ut indefesso studio juventus, ad Eloquentiæ, quos dixi, advirtutum, adeoque ad Bom publici fructûs educaretur. Hanc quidem, ætate Quintiliani, tum demum bene studere, tum in literis proficere judicabant, ut ipse refert, cum quàm frequentissimè peroraret: ideo diligenter, à dicendi Magi-

stris, declarationes numerantes potiùs, quàm æstimantes, exercitationem hanc exigebant. Nullum enim, in disciplinarum orbe, instrumentum viderunt aliud, quod & orationem, ad bene loquendum, & orationem, ad bene agendum, erudiat. Nostrum hoc unicum est. Linguas polit, instruit animos, qui, debitâ industriâ argumenti practici tractationem ad eloquendum ingressi, & ex se meditantur plurima, & ex aliis virtutum thesauriis exempla congerunt, aut, indicio experientiæ, vivis adhuc & spirantibus capiuntur, donec indagatione talium penitissimâ, similem honestatis effigiem concipiant, ac deinceps, in actionibus suis, ostentent. Quod ipsum instigâsse jam videmus duos juvenes, ingenio florentissimos, PETRUM HOLLERUM, & HIERONYMUM DEPKIN, Rigenses, qui laudatissimis pridem eruditæ doctrinæ sacris initiati, nullum à se præstantius vel pietatis, vel profectûs experimentum proficisci posse judicârunt, quam si felicem operam, in celebratione Præceptoris sui, Magni nostri SAMSONII, ederent, &, quicquid per omnes ætatis periodos talem fecit, adhuc superesse in animis suis indicarent. Nec enim omnia nuper dici potuerunt, cum Patrem nostrum atq; Hospitem, ceu instructissimum Religionis orthodoxæ Vindicem, proponeremus, non tam historicæ narrationis, quam qualiscunque diductionis ratione habitâ, in qua tamen nihil nos spectâsse, præter fidem & veritatem, omnes cordati facilè intellexerunt. Somniculosæ autem ingratitudinis in Deum postulandi essemus, si de exquisitissimo illius depositi, ma-

to, magna illa mente, non loqueremur pro virili nostra, digniùs celebrandi copiam facientes illustrioribus ingeniis, quorum invidiam, vel hoc uno cive suo, Metropolis hæc potest provocare. Inquinamenta civitatum, quæsitâ etiam nocte, abscondenda sunt, ne patrii Egregii sinceritatem labe suâ fermentent; eximiæ verò mundi lumina quis non, in aperta literarii orbis orchestra, collocet? ut vehementi jubari vel perstringant nonnullorum aciem, vel suavi potiùs calore trahant meliores & focillent. Neq; verò sequiorem veterum consuetudinem exprimimus, pro qua, ambitiosam scribendi pompam adhibentes, amplificandis sæpius suorum encomiis, quam propagandæ ad nos veritati, incubuerunt. Citra omnem adulatorii styli suspicionem prædicatur à nobis SAMSONIUS *noster, prout in ipso æternitatis albo consignatum credimus, Theologus Livoniæ, donis, meritis, famâ in tantum æstimandus, in quantum & eruditio, & pietas, & sapientia summa intelligi possunt. Remigravit quidem ex lamentabili hoc contubernio; melioribus tamen adhuc superstes, exemplar imitationis dignissimum, quod firmiùs etiam hæret ac recentiùs animo Tuo,* LECTOR, *quam ut infirmo sermonis nostri penicillo indigeat. Vtinam juventus nostra repræsentaret vetis Livonicis* SAMSONIUM, *eâ parte, quâ potest, quæ nullam oculorum aciem, nullum videntis conatum admisit! utinam speculum illud augustissimarum virtutum, sui quoq; animi speculo, saluti Patriæ efformaret! cui profecto tam diu proderit* SAMSONIUS *noster, quam diu dotes Viri celebratissimæ, in præstantissimis*

tissimis civibus aliis, domicilium invenient. Invenient autem, quam diu solidis prudentiæ firmamentis innixa hæc Respublica, talium virorum & mater erit, & educatrix. Cujus Moderatores, Patres, Doctores, Cives, Hospites, ut, ad audiendam B. Samsonis vitam, Oratione prosâ, ejusdemq; cum Samsone Biblico comparationem, heroico versu descriptam, d. XXIX. Februarii Collegium nostrum revisere ne graventur, omnes atq; singulos humiliter, officiose, humaniter invitamus, PP. d. XV. Febr. Anno 1644.

ORATIO

De Vita B. SAMSONII.

NOn posse non mirari plerosque Vestrûm arbitror, quid sit, quod, cum in memoriam Viri celebratissimi, Beati HERMANNI SAMSONII, ante dies non ita multos, panegyrica hîc personuerit Oratio, ego, in hac illustri disciplinarum officina, in consessu Virorum & generis splendore, & doctrinæ ornamentis præstantissimorum, hodie surgam, beneficio temporis nonnihil obductum vulnus refricaturus, eaque vobis reducturus in memoriam, quorum non potest non esse, in vestris animis, lacrumosa recordatio. Profectò, si quis hîc infantiæ meæ temeritatem culpare velit, aut, me non idoneum existimet, qui de amplissimis tanti Viri laudibus, dicere denuo in-

grediar, is ad suum judicium non aliorum modò; sed meam quoq; ipsius sententiam adscribat. Sin pietati, undiquaque me instiganti, concedenda est aliqua venia, illam tantùm abest, ut à benevola favoris vestri benignitate non exspectem, ut toto potiùs animo herbescentes hosce meos in Eloquentia conatûs à Vobis suaviter provectum iri, existimem, qui nunquam melius, nunquam decentiùs, quàm in declaranda erga *Præceptorem* pietate, possunt exerceri. Amisimus nos, heu dolor! sive, ut piè magis loquar, præmissimus SAMSONIUM nostrum, cujus utiq; laudes tam concisæ non sunt, ut unâ exhauriri oratione possint; sed spatiosissimi campi imaginem referunt, quem unius vel alterius Oratio, cursu licet citatissimo, non emetitur. Sive enim publica tot bonorum, quibus excellebat, decoramenta prædicanda fuerint, materia perorandi nascitur splendidissima: sive laudabilis tot officiorum administratio sermonis flore vestienda, dicendi messis exstat copiosissima; sive animosa veritatis orthodoxæ assertio, tot annos in hac Livonia, & scriptis, & voce præstita, præconio vocis efferenda, ampliſſimum sese spatium ostentat, ut mihi sanè, in præsenti, contingere sentiam, quod convivis nonnunquam solet qui, cum mensæ, conquisitis epulis instructæ, assident, quod ferculum capere debeant, quod relinquere, ignorant. Nihil igitur mihi minùs, quàm materiarum multitudo deest; nihil magis

magis, mentem incitat ambiguam, quàm sanctum gratitudinis imperium, ut, cum dignum vivo Præceptori solvere minerval non potuerim, quod cum omnibus mihi commune est; demortuo saltem, quiescentibus ordinis mei eruditioribus, affectum declarem. Quapropter, cum SAMSONIUS nuper ut instructissimus Religionis Vindex, in hac potissimum Livonia, fuerit propositus, faciliorem Orationis viam secutus, laudabilem vitæ cursum, quem virtutum magis, quàm annorum dixeris, breviter complectar, & quàm feliciter, quamque velociter, ex carceribus usque educationis Patriæ, in glorioſæ virtutis curriculo, ad præfixam divinitus metam progressus fuerit, stylo juveniliter incondito, vobis declarabo. De benignitate vestra, Auditores, minimè ambigo: certissimam mihi eam polliceor; sed quam non tam inerudito sermoni meo, sub luctûs & mœroris onere adhuc labanti, quàm Magno (heu olim!) & amico Vestro & Fautori, & studiorum atque consiliorum Autori concedetis.

Quemadmodum, qui fluviorum effigiem, decursûsq; varios, in tabellas geographicas referunt, curiosâ indagine scaturiginem illius primam vestigant: simili ratione, qui Magnorum Virorum vitas recensere expetunt concinniùs, ab ipsa deductos natalium origine, auditoribus solent exhibere. Meritò enim, inter cæteras felicitatis humanæ partes, illustrem quoque

Patriam numeravit Simonides, non ut animum virtutis hospitem extra illam dari negaret, qui & cœleste donum est, nec aliunde, quàm à supremo hujus universitatis Parente datur, & contingere ubique potest; sed ut consentientem mortalium opinionem, ceu quandam naturæ vocem, suffragio suo exprimeret, & aliquod omnino, neque exiguum, momentum natale solum, ad ingeniorum præstantiam, afferre demonstraret. Fecit hoc Riga nostra ad SAMSONII sui gloriam: fecit Regia Livoniæ Metropolis, quam hominibus exoticis venerabilem, vicinis commendabilem, incolis dulcissimam facit temperata cœli, fœcunda telluris salubritas, insignis, & ad Romanam ferè formam constituta Respublica; mercaturæ, cum tot regnis & regionibus, exercitium: quodque primò dici oportebat, limpidissima Religionis orthodoxæ puritas, & ita quidem facit, ut virtutum & optimarum artium amorem, inter ipsa statim incunabula, civibus suis possit induere. Solet profectò tacitus quidam esse præstantium locorum genius, qui se, per obvia elegantiæ ac honestatis exempla, civibus insinuat, & luculentis passim indiciis prodit: utrùm verò iste in nostra quoque Patria, Magnorum semper Virorum & matre, & hospite, occurrat, nec ne, aliis efferendum committo, cùm, ex peregrinorum sententiis & commendationibus, tale quid præstet cognoscere, quàm, in ea ipsa, ab originario cive audiri. Quod si autem magna

magna lausest, & quædam prosperitatis humanæ portio, bonam nanciscì Patriam; tantò major certè gloria erit, bonis & laudatis parentibus nasci, quanto illi ipsi arctiori naturæ vinculo nobiscum, copulantur. Patrem autem habuit SAMSONIUS noster laudatissimum, NAEMANNUM SAMSONIUM, Virum strenuæ fortitudinis experimentis spectabilem, quæ non in Geldria sua tantùm; sed cum primis inter arma Franciscì, Gallorum Regis gloriosissimi, in adolescentia edidit, ut, virili tandem instructus robore, in Livoniam veniret, Ductorque hîc civilium ordinum utilissimus crearetur. Innuente scilicet naturâ, ex tam forti stirpe, ejusdem quoque genii surculum, licet in alio militiæ genere, exstiturum, cum fortes creentur fortibus, nec imbellem feroces aquilæ columbam progenerent. Mater fuit ANNA BOKERIA, matrona cum ex suis virtutibus, tum exinde singulariter celebranda, quòd tam egregium Patriæ pignus concepit, quòd bono publico exhibuit, quòd, ex prudentiæ & pietatis dictamine, ad magna quæque educavit. Patre præsertim, per ultimam necessitatis legem, ex vivis sublato, cujus voto SAMSONIUS noster mercaturæ; major natu illius frater literis destinatus erat: quod tamen propositum divina ordinatio feliciter invertit. Quis tunc induxisset in animum suum, quadrimulum hunc HERMANNULUM in tantum verbi divini Doctorem evasurum? quis sibi

persuadere potuisset, hunc jam orphanũ ad tanta emersurum, cujus spes omnis, isto mortis fulmine, quasi prostrata videbatur ? Solent nonnulli, sublatis ex hac vita parentibus, honestis valedicere studiis, & per inertiam, quicquid multo tempore secundæ famæ, quicquid bonæ existimationis collegerunt, deperdere. Sed ab hoc vitio ac infortunio longissimè abfuit SAMSONIUS noster, postquam mater spem afflictam divinitus erexit, in fastigium excitare molem satagens, cujus fundamenta indoles pueri jam tum ostendebat. Sicut, sub auroræ adventum, fulgor quidam tremulus & crispus apparet, in montium culmine, ex quo, de venturo sole, potest fieri judicium : ita in erecto SAMSONII sui ingenio fulgorem Mater. animadvertebat acceptissimum, ex quo, de futuro luculentarum virtutum splendore, robur voto suo assumebat. Illo igitur cognito, haud secus, quam par erat, mota, omissa alia solicitudine, in hunc omnem curam intendit, propensionem, quæ in natura est, fragilem esse & ceream intelligens, quæ levi sæpius momento tacta inclinari, incurvari, nonnunquam etiam frangi penitùs possit, nisi à primis annis rectâ institutione fulciatur. Spe igitur & fiducia in Deo collocata, Præceptorum fidei filiolum commisit suum, qui vix in scholam susceptum diligere, amare, mirari inceperunt. Et quidni, visa statim in eo tanta discendi industriâ diligerent? quidni, cognita ex ejus moribus tanta modestia, tanta in Præceptores observantia, amarent? quidni, perspecto docili & ad omnes honestas artes apto nato ingenio, mirarentur? Tam veloci profectò cursu, omnes scholæ patriæ classes emensus est, tam properè vel æquavit, vel superavit docentiũ industriã, ut, quæ in humaniorib. disceret, non tam accipere à Præceptoribus, quam ipse ex sese parere, & eorum reminisci quodammodo, ex veteri Platonis sententia, videtur. Et jam pulcris undiq; expressus lineis SAMSONIUS, de consilio suorum, extra patrios cancellos versari voluit, ut ad uberiorẽ bonarum artium mercatum venire, &, bono patriæ publico, egregiè cum Musis Academicis negotiari posset. Ingentis enim animi specimen dicerat esse, amore virtutis extra Patriam trahi, ad invisendum ea loca, ubi, cum egregiis Viris, in Religionis atq; artium studiis occupatus, ad sublimia natum animum exerceret, & egregia collectarum opum supellectile onustus, cum laude, aliquando reverteretur. Interrogate hac de re, Magnum literarum Principem, Justum Lipsium, qui vobis respondebit, juvenilem hanc cupiditatem optimo cuique cognatam esse; sed meliorem illam, quam ad peregrinationem & felicis culturam ingenij meliores afferunt; non, quæ in nonnullis cernitur, qui, vix è conspectu patrij fumi, ultra littora sua, progressi, varios variarum gentium habitûs assumunt, nõ nisi plumis & cristis decorati redeuntes, quasi contra grues cum pygmæis pugnassent in India,

& palmam

& palmam alitumque ſpolia, capiti ſuo impoſita reportâſſent. Aliud omnino propoſitum erat SAMSONIO noſtro, qui variis virtutum & diſciplinarum mercibus capacem animum, ceu navem, alibi implere, & ſuorum deſiderio poſthac ſubvenire cupiebat. Ideo, convaſatis rebus ſuis, itineris curſum Roſtochium dirigit, quod cum vix primo ſalutâſſet limine, à magno quondam Philologo & Theologo, Domino Doctore Lubino, tecto menſaque ſuſceptus, illius facilè, omniumque bonorum amorem demerebatur. Vivebat ibi tanta cum laude, ut junior ſenioribus, tiro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, obedientiæ, omnis denique virtutis, proponeretur. In amplexum Latinitatis ruebat atque Græcitatis, cujus ſuæ diligentiæ ſpecimina, typis etiam expreſſa, protulit, excuſſisque utriusque linguæ ſcriniis, eruditionis accuratæ ſacrariis, ſatis commodè primam ſtudiorum ſedem, elapſo anno, mutavit. Quanto verò cum dolore illum præluſtre Megapolenſium Roſetum dimiſit? jam tum ominatum, quis olim SAMSONIUS futurus eſſet; idcirco Cl. Lubinus abitum illius plurimum deprecabatur, ſingulari SAMSONII humanitate inductus, quâ, juxta elegantiſſimam doctrinam, multos ſui ordinis ſuperabat. Sed Wittebergam, quæ tunc apud omnes ita laudem omnem evicerat, ut præcipuum eſſe veræ domicilium doctrinæ, Theologorum ſchola, virtutis

virtutis emporium videretur, Wittebergam, dico, petiturus, tanti viri deſiderio locum relinquere noluit: huc verò translatus, Theologorum Magni nominis familiaritatem ac favorem ſibi facilè conciliavit. Nactus eſt autem ibi Præceptores doctiſſimorum optimos & optimorum doctiſſimos, *Hunnium*, *Geſnerum*, *Rungium*, *Hütterum*, quos audire tum temporis in magna felicitatis parte numerabat SAMSONIUS, tanquam promos condos ſapientiæ cœleſtis largiſſimos, ex quorum inſtitutione maxima omnia ſibi quiſque promittebat. Nimirum, ut natura, ad optatos frugum proventûs, non ſufficit; ſed diligentis quoque & periti hominis cultura accedat neceſſum eſt: ita ingenium, licet natura magnum dederit, ſæpe corrumpitur & malæ fidei eſſe incipit, niſi digna indole Præceptorum induſtria jungatur. Sed hic Dei Opt. Max. benignitas Samſoniana adjuvit ſtudia; adjuta felicitas naturæ excitavit: excitata Præceptorum ſedulitas promovit: promota vigor animi ſolidè conſervavit. Nolite percunctari, Auditores, quos in Muſarum Wittebergenſium horto fructûs protulerit Civis veſter. Patres Academici operoſam illius, in Philoſophicis pariter, & Theologicis, induſtriam mirati, publico philoſophicæ Facultatis ſuffragio, in magna Candidatorum copia, Magiſterii lauream ipſi offerebant, quam hortamentum laudis aliquod meritò dixeris, quoniam præſtans ingenium, meritis honoribus ma-

ctat um

ctatum, illo velutilætamine alitur, pascitur, excitatur. Ad disputandum ipsi cathedras aperiebant Theologi; suggestum ad exercenda eloquentiæ dona, quibus mirum quantum eminebat. Hîc igitur, tanquam in splendidissimo quodam theatro, exhibere se noster Roscius, ingenij pericula facere, exercendo experimenta capere, quantum hactenus discendo profecisset. Nihil enim juvare putabat, multa multis sudoribus ac molestiis domi discere: privatos intra parietes multa muginari, nisi labor & industria in publicum tandem erumpat. Cumque novennale hoc studium, magna ingenij contentione, frequentasset, editis in lucem scriptis eruditissimis, publico omnium præconio passim innotuit, indeque mota non immeritò Patria, benignissimis illum nutibus, in amplexûs suos, revocavit. Et quidni revocaret incrementum & stabilimen salutis suæ, SAMSONIUM? SANSONIUM scilicet, quem, ipso Johannis die, pro veritate religionis nostræ hîc concionantem, confertissimi cives audiebant, prædicabant, stupebant. Ille in flexanimæ facundiæ laudes ferebatur, quod insatiabili oblectatione hominum pervinceret animos, &, tanquam fons quidam perennis, nunquam intermittente, nusquam intersistente fluxu, novarum usq; & admirabilium rerum copia, exundaret, prædicans: iste autoritatem, ex toto vultu & actionibus omnibus reluscescentem, efferebat: humanitatis exemplar multi in ipso rimabantur: plurimi non parva, nec fallacia, magnatum virtutum signa, in fronte, in oculis animadvertebant: omnes magnum esse, majorem futurum affirmabant! Neq; fefellit prudentissimum Senatûs judicium SAMSONIUS cum officio scholasticæ Inspectionis, communi omnium calculo, admoveretur. Nec enim aspernabatur difficillimum pulverem; sed, cujus vos ipsimet, Auditores, omni exceptione majores testes eritis, partes suas, cum fide, & ad amussim, obibat, specimen suarum virtutum minimè dubium, in munere isto, relinquens. Sed qui fundamenta pietatis scholastica in juvenum ponebat animis, idem in altiorem quoque molem educere debebat civitatem in templis, unde, illo ipso anno, Ecclesiastis hujus loci feliciter annumeratus est. Ne autem laboriosis utriusq; officij oneribus succumberet, præsertim, cum plures Senatorum civiumq;, ut & Nobilium filij domesticæ illius inspectioni crederentur, Anno M. DC. IX. vitæ torique consortem sibi junxit, virginem tunc & pietate, & morum probitate æstimatissimâ, viduam nunc longè mœstissimam, HELENAM HARTMANNIANAM, Spectatissimi Viri, BRUNONIS HARTMANNI, civis quondam & mercatoris hîc primarij, filiam, cum qua pacatissimè ac amicissimè, ad extremum usque halitum, vitam peregit, susceptis ex ea octo pignoribus: quorum quatuor naturæ debitum persolverunt, quatuor, succum & sanguinem

paternæ

paternæ virtutis sustinentes, adhuc supersunt. Quanta verò cum laude directionem domûs suæ administraverit: quantis sumptibus, tot præceptores privatim alens, informationem filiorum ursérit: quàm domesticas virtutes publicis æquaverit meritis, si explicare inciperem, soli profectò, cum calet maximè, faces admoverem. Licet alias, in levibus minimè ponenda esse talia, prudentes judicent, ut sæpius Magnis Viris artem, quâ suam domum, quàm quâ suos cives, suam regerent provinciam, defuisse attestentur. Postquam ex mortalium contubernio recessit Magister Lemchenius, ad Pastoratum Cathedralem SAMSONIUS, ob præclara dona, & cætera, quæ in illum tam speciosa moderator omnium congesserat, vocatus defuncto itidem Petrino Pastore, Andreâ Baumanno, locum ejus replevit, & Pastor supremus, caput Reverendi ministerii patrii, constitutus est. O digna tanto Viro officia! O Virum illis ipsis dignissimum! Ex quo autem, in excelso illo dignitatis Ecclesiasticæ fastigio, positus fuit, triplex inire certamen visus est: secretum primò, nempe secum; publicum deinde, cum Patribus Patriæ laudatissimis; periculosum tandem; sed necessarium & fructuosum, cum Jesuitis. Ubique tamen Victor! ubique triumfator! In progressu virtutis secum pugnabat solertissimè, institutâ contentione inter personam, quam multi jugis laboribus obtinuerat, & quam adhuc magis exornare nitebatur: inter virtutes,

virtutes, quibus dudum omnibus satisfecerat, & quas, ad sustentandum illustrandumque officiorum decus, requiri intelligebat. Cum laudatissimis etiam Patriæ Patribus certatim contendebat, in promovendo bono publico, ut nec in ardore benevolentiæ, nec in amore benefaciendi ab ullo facilè vinceretur. Sed sub considerationis incudem vocate, Auditores, tertium genus certaminis, & cedro digna Viri facinora: subjicite Vobis varios gravissimarum disputationum conflictûs, in quibus longè fortiorem se exhibuit, quàm ut à tota colluvie Jesuitica superari, quid superari? imè vel labefactari saltem posset. Vidit potissimum superior ætas, vidit hæc Patria nostra, viderunt non ratò pravæ istæ mentes, Beati nostri SAMSONII animum, Zelo & cœlo plenissimum, dum eminus, cominus, stylo & voce, cum adversariis, in arenam descendit, falsam amicitiam simulantes, & inanem eruditionis umbram jactitantes publicè repulit, & spiritualium victoriarum felicitate totam Livoniam hilaravit. Ego sanè temporis atque operæ dispendium facerem, si colloquiorum cum hominibus istis habitorum seriem (quæ adhuc manu scripta exstant,) prolixè vobis recenserem. Quantis verò tunc periculis tantum non obruebatur SAMSONIUS? ilias eorum erat, quæ & aperto Marte Romanenses hospites, & per clandestinas insidias suscitabant, ut Proceres etiam Regni Polonici omnia dira ipsi

minitarentur. Tantum tamen aberat, ut propterea desponderet animum Beatus noster, ut eum potiùs inde solidiorem & fortiorem caperet. Omnium injuriarum inanis erat exitus, quia munitum fortitudine divinâ pectus offendebant. Sicut enim aër percussus non læditur, imò ne dividitur quidem; sed refundit sese & spissior redit: ita Beatus noster SAMSONIUS, multis adversæ fortunæ verberibus agitatus, nunquam animum abjiciebat, semper vincebat, semper vincendo hostes suos cruciabat. Quomodo enim erectam animi magnitudinem, quam vel nomen refert, probâsset, si contraxisset se humiliter? si ullis adversariorum injuriis victus cessisset? Turpissimum censebat potius, in Dei honorem & commune Ecclesiæ bonum, non quodvis perferre incommodum, & in acie invicto semper animo stare, pugnare, mori optabat. O virum sui nominis! O verum HERMANNUM, hoc est Virum sacri exercitûs, & Ducem animosissimum, qui Ecclesiæ Livonicæ, à summo illo Imperatore cœlesti, donatus erat! Nec ipsi etiam adversarii virtutum *Samsonianarum* multitudinem negare poterant, imò, felicissimè ipsum, in aciem disputandi, producere cohortes argumentorum posse, confitebantur, ex eminenti virtutis indole, cujus tanta esse vis solet, ut & ab ipsis inimicis laudem extorqueat. Unum autem vehementer paterculos & fraterculos illos mordebat, quod non cuivis ipsorum in via, vel alibi obvio,

obvio, apertum inclinaret caput, & reverentiâ tanto ordine dignam scil. exhiberet, propterea superbum illum, in primis per larvatum barbitonsorem, differebant, inhumanam vocabant. O crimen Gyaris & carcere dignum! Friderico, Urbini Comiti, tam fuisse ingenium come referunt, ut obvios quoscunq; compellaret, & pileum quasi continuò gestaret in manibus. Hinc, ab Octaviano Ubaldino, dicterio notatus est, qui, si quando hominem vidit negotiosum & festinantem valdè, eum Friderici Comitis pileo occupatiorem dixit. Non istius fictæ & fucatæ humanitatis erat SAMSONIUS: non adulari, & vanos circum palatia fumos vendere solebat, veritatis præcipuè adversariis, in tanta civitatis luce, & perpetuo quasi confessionis actu constitutus. Prudens erat & cordatum supercilium, quo Dei hostes aspernabatur, quod inter alia dona benignissima erectæ animi ejus indoli imputandum existimo. Famæ & honori suo abundem satisfactum putabat, si concredito sibi officio & conscientiæ satisfaceret: ne autem quicquam adversarium perpetraret, sedulò curabat. Testes vos omnes, qui hoc doctrinæ domicilium & virtutis emporium, vestrâ jam decoratis præsentiâ, testes, inquam, vos omnes appello. Quanquam testibus hîc opus non sit. Nec enim agimus judiciorum more, testimoniorum tabulis fidem nostram fulturi; in laude versamur, quam bonus quisque, & sine juratore, admittere solet, cum solius

ingenii & sensus industriâ fides dictorum possit investigari. SAMSONIUS noster magnus fuit, sive in suggestu ipsum videres, sive extra illum: ubique gravis eloquio, virtutibus & donis divinis magnus fuit. Quomodo igitur lateret tanta virtus? Profectò quicquid ullibi magnum, ubique magnum habetur. Quisquis illud aut apud se esse vult, aut suum facit. Hinc Amplissimus Senatus, & illustris Academia Rostochiensis, hinc Hamburgum, hinc Dantiscum honoratissimis illum requisiverunt petitionibus; sed, licet variis adversariorum insidiis, licet publicis delationibus, licet tot periculorum minis circumsessus, Patriam omnibus prætulit, se non vitam & spiritum tantùm; sed eorundem in primis fructum & usuram debere Rigensibus, demonstrans. Quid? quod ad majora ipsum reservaret cœlestis providentia, ut totam videlicet Livoniam, à Papisticis purgaret sordibus, totam regionem hanc, donorum suorum benignitate, fœcundaret. Dum ad hæc mea tendit oratio, Numæ Pompilii memoria mihi suggeritur, quem secundum urbis conditorem Quirities dixerunt, quod morum observantiam & rituum sacrorum exercitia introduxerit. Quis vestrûm, Auditores, GUSTAVUM Magnum, omnis ætatis ac memoriæ clarissimum Regem nostrum, quis non potiori jure secundum Livoniæ conditorem pronunciaret, quoniam, expugnatâ hac urbe, teterrimam inde Monachorum colluviem expulit,

pulit, neque Ethnica sacra, ut Numa; sed puram religionem, per universam Livoniam, instauravit? Ast non sine ministra SAMSONII, opera, cui Superintendentiæ munus clementissimè injunxit, & tot postea benignitatis Regiæ decoramenta exhibuit, ut, quanti Suecorum Corona Serenissima æstimarit SAMSONIUM, posteritas olim sit admiratura. Dum enim indefessam videt, in commissis officiis, SAMSONII industriam, non contenta, ex Regiæ clementiæ penu, donasse Vestense prædium in Livonia, tribus abhinc annis Nobilitatis privilegia addidit & insignia, quibus posthæc SAMSONIANA familia, cum omni posteritate, eminentior reluceret. At qui singultus? quæ lamentationes & aures, & animum meum ærumnabiliter cruciant? Proh dolor! Gymnasium hoc nostrum est, acerbam calamitatem, & calamitosam accerbitatem suam deplorans, dum SAMSONII sui benè meritissimi inter hæc meminit. Nec ex ore tantùm studiosæ juventutis illa, scio, suspiria; sed ex intimis animi visceribus proficiscuntur. Neque id immeritò! Si quis enim vestrûm, Commilitones optimi, (hos enim mihi alloqui, cum his communicare dolorem hunc liceat,) si quis vestrûm quicquam hominis, aut virtutis habet; si quis quicquam sanæ mentis possidet, non poterit ille, nisi cum lacrumis, SAMSONII sui memoriam renovare. Ad æquioris judicii lancem perpendite, quos & quantos

Professorij honoris labores: quos & quantos disputatorij laboris honores sustinuerit: quanta animi fidelitate, quanta sermonis perspicuitate, totos ferè tredecim annos, & nulla quidem interjecta quietis periodo, lectiones theologicas pertractarit. Tempore Professionis triginta & unam, si rectè numero, publicas disputationes conscripsit, quas, in laudabili doctorum Virorum concursu, viriliter defensas, typisq; junctim expressas, bono dedit publico, ne forsan posterior ætas, si qua futura est, talium monimentorum obliviscatur. Quanquam autem tantis diligentiæ atq; fidei argumentis satisfactũ fuisset muniis publicis; tamen, quantum suffurari ordinariis negotiis poterat, concinnandis quoque in publicum scriptis aliis impendebat. Non numerabo hîc singulares conciones: non recensebo meditationum sacrarum fasciculos, quibus primis statim annis inclaruit. Nihil dicam de Systemate Logico, quod teneræ ætati, pro illius quidem condicione temporis, satis aptum contexuit; nihil de accuratissimis contra Jesuitas scriptis, quibus Laurentium illum Nicolai feliciter icit, & vicit: tres tantùm Homiliarum Evangelicarum Tomos nomino, quorum editionem iteratam non Livoni solùm nostri; sed exteri quoq; vehementer urgent, cum per totum orbem terrarum hinc inde dilati, ab optimis quibusque viris, plurimi habeantur. Sufficerentq; illi ad æternitatem nominis, nisi à SAMSONIO profecti essent, cui sufficiebant minimè.

minimè. Plura igitur adhuc elaborata, privatos inter parietes, delitent: *Commentarius* in primis *Homileticus* in Acta Apostolorum, in libros Samuelis, & Biblicos alios, nec non Pontificia sive agenda (ut vocant) Ecclesiastica Livonica, quibus, limatius nonnihil expoliendis, dum sedulam & adamantinam quasi manum admovit nuperrimè, in ipsa benè de Patria & Ecclesia merendi industria, rantis involutus est morbi periculis, ut nulla vis humana remedendis illis par esset. Scilicet ex tot laborum officiorumque concursu, in quo totos ferè sexaginta quinq, annos exegerat, SAMSONIUM suum ad quietem ducere Deus voluit, mortemq; ipsi placidissimam, die XVI. Decembris, sub vesperam immisit, cujus adventum quàm generoso, quàm strenuò animo exceperit, nemo est, qui non, cum admiratione, à quam plurimis, qui astiterunt, audiat. O tristissimum verò nobis diem illum, qui fuisse SAMSONIUM, cum ejulatu, referebat! Livonia, nunciata SAMSONII morte, ut par fuit, mota, ruinam columinis Ecclesiæ in omen vertens, una omnium voce clamabat: Nostra nobis infortunia lugenda! nostra pericula extimescenda esse! Et nihil sanè supra verum & æquum querebatur. Quid enim septimanas abhinc aliquot amisisti, Patria? Lumen tuum! quid amisisti, Ecclesia? Instrumentum salutis æternæ! quid amisisti, Reverendum Ministerium? Coronam tuam! quid amisisti, Gymnas. Gloriam tuam! quid deniq; amisisti,

O flos ingenuæ juventutis? Patrem tuum! Heu! cecidit, cecidit corona capitis nostri! Tu verò, SAMSONI Pater, Præceptor omnium nostrûm meritissime, Præceptor honoratissime, Præceptor (O utinam liceret hoc abstinere vocabulo!) desideratissime, SAMSONI, cœli incola, salve! quid enim aliud dicere restat? Salve malorum omnium triumfator! Tecum benè agitur: Tu mortalium rerum solicitudine felicissimè solutus es: Tu vitam cœlestem in luce; nos terrestrem in perpetua cruce vivimus; Tu quietem; nos laborem: Tu pacem; nos tristitiæ facem: Tu tranquillitatem; nos tumultum: Tu fructum; nos luctum: Tu æternitatem gaudiorum obtines; nobis in hoc miseriarum ergastulo degendum est. Mortuus nobis, Tibi vivis in vita felicissima! imò vivis etiam nobis. Quicquid ex Te singulariter amavimus, quicquid mirati sumus, manet, mansurumq; est in meliorum animis, in temporum perennitate, in fama rerum, in nostra veneratione, in omnium horum sive cultorum, sive Amicorum memoria, qui, dum præproperum Tuum abitum lugubribus lacrumis deflent, Te quærunt, Te desiderant, Te in ingenii Tui monimentis venerantur, Te cogitant,

Tibi grata pectora, gratas voces deferunt,
Tibi, de adepta cœlesti felicitate,
unanimiter congratulantur!

Compa-

Comparatio Samsonis Biblici cum Livono.

Facta, Virosq; canam, quorum qui primus, in agro
Daniacæ stirpis, Zareæ quâ mœnia surgunt,
Prodiit; ille dolis multùm vexatus, & arctis,
Constrictus laqueis SAMSON, qui cardine portas
Extulit, & fortem potuit laniare leonem.
Alter erit nostræ nuperrima gloria terræ,
Heu! quondam patrii columen prænobile templi,
Cui nec carisonâ resonent si guttura voce
Stentoris, aut centum cantent quasi Martia linguæ
Tympana, pro meritis præconia digna rependent.
Cujus ego quoties mœstus simulacra pererro,
Distrahor in partes varias: num funera fletu
Persequar, an plausu: reprehendit Fama dolorem,
Quem tamen urna petit, quem damna recentia poscunt.
Sed dolor hîc vincat, testemur laude dolorem:
Laude dolor crescet, laus commendata dolore.
Et tu Mome, Theonino qui carmina dente
Rodere nostra voles, depone Tyrannica linguæ
Spicula: quid potiùs functo persolvere nostro,
Pro candore, licet, quo templa Livonica rexit,
Quàm facili meritas cantare melismate laudes?
Vos verò, Proceres Patriæ, qui nuper ademtum
SAMSONIVM tali dignum pietate doletis;

In primis patrii Princeps, MEINERE, Senatûs,
Burggravii titulos, rerumq; cacumina gestans:
BARNKENI, patriæ splendor, meritissime Consul,
Quo nullus gravior, quo non prudentior alter:
ZIMMERMANNE, Pater, Patriæ qui jure vocaris,
Proconsul dignâ Gives ratione gubernans:
Tu GRAVI, præses cœtûs clarissime sacri,
Templorum columen, Pastor venerabilis urbi:
COIE decus nostrum, Consul, quem laude decenti
Haud poterunt dignè tenues extollere versus:
Vos qui salvifici cœlestia semina verbi
Spargitis in populum: Vos O rutilantia juris
Fulgura, qui regitis populosam legibus urbem;
Et Tu Doctorum series electa Lycéis,
Quos Virtus & Fama citis super astra quadrigis
Evehit, & meritum spectataq; dona celebrant:
Omnes insignes, ex cultis artibus omnes!
Deniq; Vos Clarii suavissima corcula Phœbi,
Divite quos niveis alit ubere Pallas in ulnis,
Flos Patriæ, sperata salus, & fulcra Livonûm,
Et quisquis vel Civis ades, vel amabilis hospes:
Ore favete, precor, facilem juvenilibus ausis
Ferte pedem, præbete manûs, animate paventem.
Debita quod pietas consanguinitate propinquo
Injunxit, tremulæ, quæso, permittite linguæ.
Et quoniam pelago fragilem committo phaselum,
Heroasq; veho Zareæ, Rigaq; celebres,
Flabra meis velis precor adspirate secunda,
Quod si tranquillum potero contingere portum,
Ulterius vestro quoq; velificabor honori.
Hoc igitur restabat adhuc ad fata Iacobi,

Post

Post varios casus, & tot discrimina rerum,
Post conturbatos felici Marte Tyrannos,
Et divisa novæ pinguissima climata terræ,
Vt serpens, portentiferis armata venenis,
Tentaret, variâq; viâ de semine Iudæ
Prognatos, ad vana putris ludibria trunci
Flecteret, inveheretq; dolos, lapidesq; Deastros.
Quocirca celeres, sua dira flagella, Philistas
Incitat, ut populos lessæo sanguine cretos
Disturbent, penitusq; ruant, belliq; reducant
A Domino, qui templa regit flammantis Olympi.
Talibus hi monitis faciles, precibusq; dicati
Immensas glomerant vires: furor arma ministrat:
Arma placent Ducibus: tollunt vexilla repente
Martia: stant peditum numeri, stant ordine turmæ,
Quot pelagus fluctûs, quot littus volvit arenas.
Has igitur lustrans turmas Dux impiger, amplâ
Planicie, magnâ juvenum comitante catervâ,
Alloquitur populi Proceres, post talia fatur:
Quamvis ipsa globo stet sors incerta rotundo,
Et pede veloci Fortuna volubilis erret;
Cum tamen in populos hæc bella paremus inermes,
Blanditur sperata novæ fiducia palmæ.
Non eritis regno turpes; sed fortia cuivis
Facta dabunt famam; petet altum gloria cœlum
Fortiter hîc igitur vestras expromite vires,
Vicinumq; malum generoso tollite ferro.
Spondemus, si quisq; suum spoliaverit hostem,
Conceptum votis spolium, gratasq; rapinas.
Dixit: & his stimulis præsentia corda suorum
Excitat. it clamor cœlo, clangorq; tubarum

Horri-

Horrificus superæ conscendit limina sedis.
Fit via vi, variq; mali molimine vexant
Isaci victos octo propè lustra nepotes,
Dum fortes animos immensa catena laborum
Debilitat, miseros cogens, perferre siniſtros
Fortunæ lusus, tempestatisq; furores.
Sed Deus ipsorum casus speculatus, amico
Tandem subsidio juvit tot tristia passos,
Et subitò Genius cœlo demissus ab alto,
Os, humerosq; Deo similis (mirabile visu,)
Exhilarat Manoan præsentia damna querentem:
Parce metu, dicens, Israëlita! Philistæ
Amplius haud vestris ita prædabuntur in agris.
Mittam, qui lapsis valeat succurrere rebus,
Magnanimum, fortemq; virum visuq; verendum,
Qui, velut imbelles muscas, venabitur hostes
Intrepidus, multosq; suo sine vulnere cædet.
Hic tibi nascetur, qui, regna Philistica turbans,
Vincula Iudæis victis adamantina solvet.
Nec mora: magnus adest invicto robore SAMSON,
In quo tam solers caristat cura Parentis,
Et puer Allophylis pugnas clademq; minatur.
O Patriam Domini circa mortalia curam!
O dispensatos cursûs, statatempora fati!
Scilicet hisce locis, ubi RIGA rigatur aquoso
Flumine Turunthi, pariter sua regna repelli,
Et veræ pietatis opus, mysteria sacri
Dogmatis, induci, conservariq; peragrè
Hæresis indignata tulit, dudumq; Lutheri
Discipulos turbare volens, consulta nefando
Corde coquit, tacitoq; malum sub pectore versat.

Hisce furens tandem succendit ferrea flammis
Corda Patris stygii: Placidâ num mente ferendum
Dedecus, ut nostros penitùs corrumpat honores?
Proh! infesta mihi dudum Rigensia cepit
Mœnia Relligio, variosq; retexere ritûs
Nititur, excelsus Latiæ quos Iupiter aulæ
Inter Pontificum quondam monimenta reliquit.
Ergò ferenda mihi gravis hæc injuria RIGÆ,
Illatumq; probrum? Contemto Numine nostro
Vivunt, atq; novas audent attollere moles.
Perpetiarne meum, juvenesq; virosq; Livonos
Solvere districtum, facili certante cachinno,
Quos ego! sed præstat latos sine pectore ventres,
Ignavos Monachos, ad pristina Regna vocare:
Hos animabo viros, hos in nova bella vocabo,
Adjutuq; tuo, Genitor dilecte, reducam
Livonis, supero pugnantia dogmata verbo.
Sic ait, & rasos hortatur vertice fratres,
Instigans Papæ fucos cupidosq; Gnathones:
Vel vi, vel precibus tandem Livonica templa,
Et celebrem repetant urbem, quam nobile flumen
Cingit aquis, magnam dicunt cognomine RIGAM:
Noxia quò rapidi Papatûs dogmata crescan,
Et simulacrorum cultus revocetur ab orco,
Ad vigiles Vrbis cives, teneroq; nepotes.
Tempus erat, quo Iova potens, cui fingere cœcos
Nemo potest impunè dolos, fraudemq; parare,
Constitit, & varios Romani Præsulis astûs,
Lojolæq; dolos conspexit ab æthere summo.
Ad quem Relligio se supplice contulit ore,
Tristior, & lacrumis oculos suffusa nitentes:

O Pater omnipotens, qui res cœliq; soliq;
Æternis regis imperiis, & numine servas:
Quid meus hic populus potuit committere tantum?
Quid potuêre Livi? queis tot discrimina passis
Cunctus ob Eusebiæ cultum succensuit orcus.
His certè populis, olim volventibus annis,
Iugia salvificæ fidei documenta daturum,
Magnanimo præeunte viro, quo vindice prorsum
Debellata cadat trucis Indulgentia Papæ,
Pollicitus; quæ te, Genitor, sententia vertit?
Hæresis abjurata Livos, tot casibus actos,
Nunc iterum vexat: tentant exscindere verbum
Salvificum Papana cohors, stabilireq; regna
Pristina, quem finem das, ô Pater alme, laborum?
Num tua progenies, summo quam præside Christo,
Prælucente facem Scripturâ. magna LUTHERI
Virtus, Persephones Italæ revocavit ab orco,
Ad Papæ placitum pereat? neq; vera manebunt
Dogmata; sed fidei fundamina condita solves?
Illi subridens mundi Dominator & altor,
Vultu, quo solitus concedere vota rogantum,
Respexit querulam Natam; post talia fatur:
Solve metum, mea Nata, tuum, curasq; futuri,
Inconcussa tibi stabunt hæc fata tuorum.
Et quamvis vesana cohors Rigensia templa
Fraudibus atq; dolis variis corrumpere tentat,
Non tamen hæc capiet, si, quot Phlegethontis in amne
Spectra fluunt, mittat furibundus Papa Suitas.
Tandem conspicies sublimia mœnia Rigæ,
Excelsumq; feres ad fulgida sidera cœli
SAMSONII nomen, Neq; me sententia vertit!

Hic

Hic, (effabor enim, quoniam te cura remordet,
Et placidam membris negat ingenerata quietem,)
Prælia sacra geret Rigæ, servosq; Paparum
Confundet, rabidosq; viros, & dogmata vincet.
Nec minus obductos atrâ caligine mentis
In lucem ducet populos, terramq; Livonam.
His illam sine fine dabo, nec tempora ponam.
Tristia tum positis mitescent tempora rixis,
Sectarum portæ claudentur, & invidus hostis
Humano generi, fremet horridus ore cruentô.
Hæresis excutienda ruet, populumq; Livonum,
Quem stygiis technis indignabunda fatigat,
Præreliquis cernet florere, caputq; levare,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Scilicet hæc etiam tua provida cura regebat,
O Deus! hæc eadem cœlo demisit ab alto
SAMSONIVM, pietate gravem, studiisq; celebrem.
Tam vigil est oculus Domini! tam cauta Iehovæ
Cura futurorum, quâ res & tempora format!
Ast veluti, cum quis quærit prosternere densos,
Obsessi populi muros, hostilibus armis,
Hîc aptâ distendit humo tentoria fixa,
Exstruiturq; locus tutus, sublimia latô
Cespite præcipiti surgunt fastigia clivo:
Illîc anfractûs fodit, occultosq; recessûs
Sub tellure parat, nigri penetralia Ditis,
Vt sanctam celso Vestam confundat olympo:
Haud secus Allophyli vario molimine tentant
Spernere Manoaden, felici Marte superbum,
Sed modò blanditias fingunt, mellitaq; verba
Subjiciunt, tectâq; parant seo cere fraude.

Ipsius

Ipsius, illusi, socerum, cum conjuge vincta,
Absumunt celeri flamma, quò, vindice pœnâ
Motus, in ultores clementia pectora sumat.
Subdola blanditiis scortorum retia tendunt,
Vt strato redeant victores funditus hoste.
Hoc ut perficerent, quos non superare labores
Aggressi? quos non casûs & damna tulerunt?
Sed nullis potuit fucis & fraude moveri
Magnanimus Victor, cum Spiritus egerit ipsum
Cœlicus: instítit ille tenax, ad utrumq; paratus,
Vincere, vel celebri corpus submittere morti.
Post inter laqueos trahitur, plaudente maligno
Agmine Misramidum, lætumq; sonante triumfum;
At nullis captus laqueis, nec perditus armis,
Vincula disrupit, plausuq; repentè secundos
In tristes vertit lacrumas, tristesq; querelas,
Victricique manu crimen commune refellit.
Irrita semper erant crudelia vota malorum
Cum Deus Angelicæ studio pollente catervæ
Suggereret vires & firmis robora membris.
Quid verò poterit concinnius esse Livono
SAMSONIDÆ, *nulli veterum virtute secundo?*
Mascula cum pueri Virtus, ætate tenellâ,
Signa daret magnæ mentis, doctisq; pusillo
Digna viris scitu gestaret pectore dicta,
Tum pugnàs tentare graves, & vincere Calvos
Optavit Monachos, *Latij Doctoris alumnos:*
Nec minus Ausonias cœpit cognoscere fraudes
Mens animosa Deo, strictas quæ puberis ævi
Exierat vires, surgens generosior annis,
Et nunquam segni vivens contenta quiete.

(*Non*

(*Non etenim faciles patitur mens ardua frenos;*
Sed DEUS *ardorem præclaris mentibus indit,*
Et magnis animis fluitantia lora relaxat.)
Præsidis Ausonii suboles, ut idonea semper
Ad raptum rabidis fuit hæc gens visa Suitis,
Fraudibus, & blando puerum sermone parabant
A vera revocare via pietatis amatæ.
SAMSONIUM *properè, quò, vectus ab urbe Paterna,*
Acciperet leges, infensaq; dogmata Papæ.
Sed DEUS *ille potens, qui fulgida temperat astra,*
Restituit patriæ cœlestia munera terræ.
Annon ille fuit variis hinc inde petitus
Armis, cum Patriam, post multas lætus aristas,
Viseret, & cœli mysteria panderet urbi?
Porticus hic poterit testari sæpius acta,
Hîc ubi Collegî quondam tres ordine fratres,
Spirantesq; minas, & sesquipedalia verba,
Reppulit, & sævos exstinxit fortiter astûs.
Quis ta? vel quite talem genuere Parentes?
Quærunt: at subitò retulit: Sub Biblicus Hercles!
Mirantur responsa viri, novitate moventur.
Nec mora, decoctas fraudes, & pectore dicta
Expediunt, gliscunt de sacris jurgia rebus;
An deceat servare modum sacrumq; quod olim
Cæca superstitio templis induxit avorum,
Et placet cœli Dominum, cum pronus in aram,
Murmura præproperô contortuplicata rotatu

Detonsus tacito secum sub pectore volvit?
Post: Num Lutherus, Mystarum nobilis Heros,
Fulmine qui linguæ vanas dejecit in auras
Somnia Paparum confictaq; numina terræ,
Cum successorum cætu, sit rite vocatus?
Respondit SAMSON, *calidiq; sophismatis uncos,*
Et dubiis contorta plicis quæsita paratò
Solvens judiciò, negat illa; sed annuit hisce,
At cum successûs nullos, eam vota viderent
Irrita, vindictæ sub mentem cura recursat.
Ergo citas iterum moles & prælia tentant,
Promittuntq; sibi dulcem cum laude triumfum,
Si texendo, retexendoq; sophismata trita,
Et lites liceat puerilibus edere formis.
Scilicet his linguis, oculisq; minacibus esse
Vis solet! his raptò possunt Iovis igne Deorum
Devastare locum, miserandis viribus acti
Inferni nigras possunt effringere portas!
Omnia compositis hi possunt vincere rixis!
Sed cum certa viros poscunt discrimina fortes,
Involvunt subitò nimiâ formidine pectus.
Instigant igitur generoso stemmate natum:
Ille, decem cornis Bruti caligine captus
Nonnihil, & mentis dubiis affectibus actus,
Nutabat penitus, donec, pede fervidus instans,
Sollicitè peteret, ne SAMSON *fortè rogatus,*
Cum Patribus, sacrum certamen inire negaret.
Promittit SAMSON *placidè, nec sacra recusat*

Prælia,

Prælia, confisus gladio clypeoq; Iehovæ,
Non, ut Paparum servi, qui Biblia jactant;
Cum res deposcit, Scripturæ cernere dictis,
Exanimes fiunt, rumpit pavor ocius artûs.
Ergo parit pugnam SAMSONIUS *impiger, hosti*
Obvius, &, solidè Papæ sancita refutat
Sanctaq; justificæ Fidei mysteria tractat.
Pugnator Fabianus erat, Doctorq; Philippus,
Ambo Patres, ambo doctrinæ laude superbi.
Vidisses ibi pallentes hos lucida fratres
Sidera, papali latè radiantia cœlo,
Sermo, labans hominum multâ formidine pectus
Innuit implicitum, ruit in præcordia sanguis,
Cumq; resarcirent vires, quæ fulmine linguæ
SAMSONII *fuerant dispersæ, protinus ira*
Commotus Fabianus, alens, sub pectore vulnus,
Alloquitur socium tremebunda voce Philippum:
Ergone nos cœptis deceat desistere victos,
Et non posse virum Loderanâ vertere gente?
Vnicus ergo ipsum SAMSONIUS *ille tenebit?*
SAMSONIUS, *qui tanta dedit, qui tanta daturus*
Damna Patri nostro, triplici cui tempora circum
Ordine consurgunt auro fulgente coronæ?
Nos ejus suboles, unâ cum gente, tot annos
In varias lites, studiô certaminis, imus:
Et quis præterea Paparum numen adoret,
Aut sacrum supplex aris imponat honorem?
Talia flammato volvente pectore verba,

Butlerum *repetunt, & persuadere parati*
Artifices fraudum, tandem sic ora resolvunt:
Nobilis O Butlere, *cave, ne fortè* Livonus
Teq; simulq; tuos ad noxia dogmata flectat.
Incute vim verbis, & acutis obrue dictis,
Aut procul hinc procul hæreticum repedare jubeto.
Quid refugis nostros hucusq;, vir optime, mores,
Pontificumq; sacros ritûs, & dogmata Roma?
Ad veteres potiùs, nostrosq; revertere cætûs,
Hæc tibi res summam laudem, Regisq; favorem
Afferet, & longè vulgaribus eximet umbris.
Sed veluti patulam solidatô robore quercum,
Cum furit Æolia validus Dominator in aula.
Fortiter exagitat, frondesq; cacumine vellit,
At, nihil illa tremens, ita conquassata resistit,
Et valido nisu sævis Aquilonibus obstat:
Sic quoq; SAMSONIUS *molimina vana repressit,*
Blanditiasq; leves contemnens robore mentis,
Eripiensq; lupi cupidis è faucibus agnum,
Funditus eversoredìit superator ab hoste,
Victricesq; tulit felici Marte corollas.
Sic olim SAMSON *quoq; Biblicus, impigri Heros,*
Discerptô penitùs retulit mel dulce leone:
Cum celeraret iter per latos Asklonis agros,
Miframidas plures sub tristia tartara misit,
Et, raptis horum tunicis, sua debita solvit.
Nec minùs illo novas curas sub pectore volvens,
Tercentum celeres vulpes, post terga revinctas,
Applicitis facibus, Cerealia misit in arva
Allophylûm, damnô tali sua lumina pascens,
Dum videt exustam Cererem, Bacchumque novellum
Et semper virides oleas, & pignora ruris.
Maxillam posthæc lentè gradientis aselli
Disruptis reperit laqueis, quâ mille Philistas
Impetit, atq; novas iteratò concitat iras.
Nec mora: restaurant pugnas, gens Ethnica densat
Hinc illinc celeres gladios, hostemq; lacessit
Manoaden, victumq; virum, cæsumq; cupiscit.
Tympana tenta tonant, Taratantara rauca timorem
Incutiunt, lituûmq; fragor, sonitusq; tubarum
Horrificus subitò cœli per inania surgit.
Quisq; suum sentit vulnus, vix conspicit ictum:
Ille gerit gladium; hic pharetram, cupidasq; sagittas.
Samson, habens asini maxillam, sternit atroces,
Exertatq; mares animos, invictaq; membra.
Arva cruore natant, dant turpia terga Philistæ,
Quos domuit maxilla, cadunt, vitamque relinquunt;
Vulnera Philistas multos accepta retardant:
Hic fugit, ille cadit, quidam sua crura retractant:
Hic nasum mutilus; laceratus hic impete dentis
Fert deformatos vultûs; hic claudicat, illi
Dextra notata labat, non unô vulnere multi
Inæreunt, donec caderet nox humida cælo

Arvaq; couciperent occisos mille Philistas.
Pandite nunc Helicona Deæ, cantûsq; movete,
Et mecum tantos, age, proclamate triumfos!
Quis tot Miframidas potuit prosternere? SAMSON:
Quis raptâ cepit vulpes Thimnatide? SAMSON:
Quis Vestæ segetes potuit committere? SAMSON:
SAMSON *erat, qui mille viros occumbere campo*
Fecit, & ingentes portas cum cardine fregit.
Ecce triumfantem video, cui gloria currum
Exornat, plenoq; vehit super æthera plausu!
Quisquis es, hæc eadem de nostro SAMSONE *credas;*
Quid? majora puto, quia relligionis avitæ
Defensor retulit toties ex clade tropæa.
Ecquid enim præsens animus, mens alta timeret,
Nostri qualis erat, Livonæ SAMSONE *digna?*
Ille Dei verbum, sancti mysteria libri,
Quæ plagis animi fomenta salubria præbent,
Edocuit caram Patriam, civesq; Livonos,
Exhortans omnes, incedere tramite recto.
Ille, O Christe, tuos fortis pugnator honores
Asseruit, custos populi præclarus, iniquæ
Nescius insanis fortunæ cedere ludis.
SAMSON *erat sacrô calamô celer, ore disertus*
Doctrinâ præstans, famâ super æthera notus,
Almæ pacis amans, justis promitissimus armis.
Hoc duce victus abît Paparum pestilis ordo,
Qui Salvatoris sanctissima nomina jactant,

Et fictâ fingunt sub relligione, supernæ
(Grande malum Papæ!) vitæ meritoria facta.
Fortiter his primum scriptis obsistere justum
Censuit, atq; genus socium convincere falsi
Dogmatis, & crebrò spreta strepituq;, minisq;,
Vicit terribiles, fregitq; ferocia monstri
Corda, favente Deo; promtus victricibus armis
Centimanum, Romæ mysteria sacra, piumq;
Mutantem cultum, dare terga maligna coegit,
Et Musas patrias, viduo corpore cadentes,
Iusto digessit studio dux ille juventæ.
O felix quondam tanto Schola patria fulcro!
Huic debent patrias exaucta Lyceaper oras
Quæ satis ampla quidem, numeroque referta docentum,
Quod semper veniant pulcræ fœcundius artes.
O præstans animi robur! manet ipsius ingens
Fama Viri, & virtus jugi celebrata favore.
Attentis oculis liceat si facta videre
Non sexagenos quinosq; putaveris annos:
Quin & vix hominem vixisse putaveris unum;
Sed multos doctos simul, & tot secla, quot annos.
Tu toties calvos ruis, obteris ordine fratres,
Qui tua non poterant tolerare tonitrua linguæ,
SAMSONI: *calvum Tonsorem Marte secundo*
Prosternens, linguam fecisti condere voces.
Te præeunte viam, regnicœlestis amores,
Et sacra vis fidei redière in corda Livonûm.
Fallor ego? nec fallor enim: quid sensibus obstat?
Optima Relligio, niveis invecta quadrigis,

In quibus arte laboratô cælaverat aurô
Notas SAMSONII *pugnas, & fortia facta*
Diva manus, spoliisq; suis distinxerat axes.
SIC VEHITUR SAMSON. *Divina Peritia currum*
Laudato temone regit, Formido, Pavorq;,
Seq; vorans Livor, ferratis terga catenis
Innexi subeunt, latrat Hæresis improba, latrat
Esavita ferox, aconitaq; ructat avernus.
Vox tamen una probos animat: Fortissime Victor
SAMSONI *salve! quia te duce terra Livona,*
Auspice te, melius mœstum caput extulit umbris
Tartareis, & sole Dei spatiatur aprico.
Spectra, leves umbræ fugiunt, stygiasq; paventis
Cocyti repetunt sedes, neq; devius Error
Ancipites animos populi deludit, ut olim.
Æternum vives, Samson! tibi Fama patentes
Hîc illic portas aperit: tibi Templa, Camænæ
Perpetuam donant amaranthi fronde coronam.
Hæc utrinq; ferè communia bella fuerunt,
SAMSONIIS, *quorum primus Virtute celebris*
Isacidas inter viguit; sed noster in oris
Livonum viruit, quo forsitan amplior unquam
Nec virtute fuit, nec fortibus auctior actis.
Nunc quæ conditio fuerit communis utriq;,
Tempore pacato, placidâ pernoscite mente.
Postquam perdiderat diffusos funditus hostes
Misramidas, fortes armis, belloq; feroces,
Robore mirando donatus Samson ab alto,
Tranquillam pacem quatuor bene lustra tuendo

Innatis

Innatis rexit patrios Virtutibus agros.
Quid mage conveniens stellæ decoriq; Livonûm,
SAMSONIDÆ? *summô studiô sanctissima templa,*
Quà cis Dunensem Livonia respicit arctum,
Anno plus uno, quatuor quoq; lustra rèbat,
Postquam Regnator Boreæ, GUSTAVUS ADOLPHUS,
Quem sua fama vehit per Solis utrosq; penates,
Magnanimam RIGAM *cepisset fortibus armis.*
Hic etenim curas vigili sub pectore volvens,
Pro Domini cultu secum, sic ora resolvit:
Dic mihi, quis tandem, LIVONIA *victa, sacrorum*
Dignior imperio, quam qui victricia signa
Deraso toties retulit tibi Victor ab hoste?
SAMSONIUM *tibi dico tuum, qui munere tali*
Fungetur, pandensq; tuis oracula sacra,
Ut Superintendens cultum reparabit Iovæ;
Quô vigili custode lupi, rabiesq; lyciscæ
Tollere non poterit mites ab ovilibus agnos.
Hunc igitur statuam, qui sit fortissimus Hector
Militiæ sacræ, qui templa Livona gubernet.
Sic ait: & subitò templis præfecit & aris
SAMSONIUM, *pietate gravem, factisq; celebrem.*
Hic Zelô plenus, lapsantia templa recentans,
Præpositos & Pastores præfecit ubiq;,
Qui plenis animis, & vivâ voce docerent

Indoctum populum cœlestia verba Iehovæ.
At cum SAMSONIUM *mandato munere fungi*
Perciperet, cultumq; Dei reparare Livonis
GUSTAVUS *Magnus, gentes frenare superbas*
Qui potuit, jussit meritis pro talibus illi
Maxima donari fœcundi jugera campi.
Cumq; Virifieret Virtus magis incluta mundo,
Præmia digna pari meritò virtute dabantur,
Nobilitatis honor celsus, clypeiq; decorum.
O Fortunatam natam te SAMSONE RIGAM!
Sed dum præclaros ita viveret inter honores
Qui fuit Euboicos dignus transcendere fines,
Triste ferens nobis Vitam mala Parca peremit,
Et tantum Patriæ columen mors abstulit atra.
Heu Pietas! Heu vera fides! sic SAMSON, *amate*
Flos veterum, Rigæq; decus sublime jacebis?
Te queritur mea RIGA *patrem, te terra Livona*
Abreptum mœsto fatis crudelibus orbi
Crebro suspirat gemitu, lacrumisq; cruentis
Incusat Parcas crudeles. Heu mihi quantum
Patria præsidium, quantum Livonia perdis!
Occidis heu! rasi quem non potuere Suitæ
Sternere tam diris instantes undiq; telis:
Quô meliùs vitæ monitis, verboq; salubri
Vix aliquis duxit populos ad sacra Sionis:
Qui mentes sacris rexit sermonibus, ille,
Proh dolor! ante diem pallentibus occubat umbris,
Lumine vitali cassus, lux incluta mundi.
Heu dolor & lacrumæ! citius secuere sorores
Licia Samsonii, cui summum mentis acumen

Et tot sublimes concessit ab æthere dotes
Omnipotens genitor, qui cælica dona ministrat.
Heu quantam perdunt Rigensia Templa columnam!
Occidis heu! linguæ vinctam qui compede pubem
Ad tua ferre citum fecisti pulpita gressum,
Quiq; Cleantheo pavisti pectora fructu.
Ite pii juvenes, & tundite pectora palmis,
Nigraq; pro nitido sumatur vestis amictu!
Occidit ille sui decus indubitabile secli,
Cuius Cecropio manduit mens tota lepore.
Deplorare suum, gemebundo pectore, Musas
Vidimus ad tumulum stantes, & flere parentem,
Et manibus plenis lectos conspergere flores.
Quin & vos tristes oculi deflete Patronum.
Non ego SAMSONIUM *Cathedræ de pote videbo*
Amplius ah! nunquam, velut ante, docentis ab ore
Excipiam doctas fœcundi pectoris artes.
Heu quantum perdunt Parnassia culmina Patrem!
Sed quia sic Iovæ placitum, neq; fletibus ullis
A superis poterit quisquam revocarier oris,
Perfuga siste dolor, quæ flectis in avia gressum?
Ec quid inutilibus juvat indulgere querelis?
Dent alii tumulo silicernia; ridet inane
Obsequium mens divino satiata lepore.
SAMSON *sidereo spatiatur in æquore, terras*
Gloria pervolitat nunquam moritura per omnes.
Ille diu vixit, quem tot monimenta laborum
Egregium mundi civem vixisse probârunt.
Ille, quod optavit votis, quod & omnibus unum
Semper anhelavit, cœlorum sede potitus,

Et vacuus curis ſecuro lumine ridet,
Queis torquentur humi mortalia pectora, curas.
Fallor? an infando ſimul externata dolore
Optima templa Dei, patriis conjuncta lyceis
Funus in hoc fundunt triſtes Epicedia verſus,
Et nova ſubjiciunt noſtris ſermonibus orſa?
Tu, prognate Deo, Livonis ſuffice ſemper
Præſtantes Virtute duces, qui ſancta reſervent
Iura ſuper terras, & flecti neſcia præbe
Pectora: ſint aliqui cœtus te ritè colentum!
Tu bona parta legas, multoq; labore receptam
His terris duce de placeat ſervare quietem!
Tu ſtructas tacitè vires elide, nec ullum
Conſiliis precor eventum permitte malignis.
Fac Deus, O facili nobis quæcunq; dediſti,
Hoc duce SAMSONIO, *ſeram ſine fine perenne nent*
Ad ſubolem! maneant venturos illa nepotes
Dum redeas orbi ſpectabilis, atq; fideles
Ad Patris ducas habitacula cœlica.

DIXI.

FINIS.